HISTORIA
ECCLESIAE
CHRISTIANAE,

A NATIVITATE SALVATORIS,

USQUE

AD OBITUM PII VII. PONTIFICIS MAXIMI.

AUCTORE

ANTONIO KLEIN,

S. S. THEOLOGIAE DOCTORE, HISTORIAE ECCLESIASTICAE IN GRAECENSI SCIENTIARUM UNIVERSITATE PROFESSORE P. O.

Tomi II.

PARS PRIOR.

GRAECII.

SUMTIBUS CHRISTOPHORI PENZ.

MDCCCXXVIII.

INDEX PARAGRAPHORUM.

Periodus sexta.

A sede pontificia Avenionem translata usque ad scissionem ecclesiae Catholicae per Lutherum aliosque, seu ab a. 1308. — 1517.

Caput primum.

De incremento et decremento ecclesiae.

Caput secundum.

De fatis doctrinae.

*) A §. 561 — 600. numerus ex errore typographico bis occurrit.

Caput tertium.

De ecclesiae organismo.

A. Hierarchico.

Periodus septima.

A scissione ecclesiae Occidentalis per Lutherum aliosque usque ad initium saeculi decimi octavi 1517 — 1701.

Caput primum.

De incremento et decremento ecclesiae.

Caput secundum.

De fatis doctrinae Christianae.

Caput tertium.

De ecclesiae organismo.

A. Hierarchico.

INDEX PARAGRAPHORUM.

Periodus octava.

Ab initio saeculi 18. usque ad mortem Pii VII. summi pontificis, 1701. — 1823.

Caput primum.

De incremento et decremento ecclesiae.

Caput secundum.

De fatis doctrinae.

Caput tertium.

De ecclesiae organismo.

A. Hierarchico.

Periodus sexta.

A sede pontificia Avenionem translata usque ad scissionem ecclesiae Catholicae per Lutherum aliosque, seu ab a. 1308. — 1517.

Caput primum.

De incremento et decremento ecclesiae.

§. 518. Sublatio ordinis templariorum.

Limites ecclesiae Christianae in Palaestina et adjacentibus terris, per Muhamedanos coarctati, hac periodo dilatati non sunt, cum nulla amplius expeditio cruciata ab Occidentalibus susciperetur, quantumvis plures ex pontificibus talem efficere conarentur. Ordines religioso-equestres, quamquam in plagis Orientalibus Muhamedanos debellare pergebant, soli tamen terram sanctam recuperare eo minus valebant, quia mox ineunte hac periodo potentissimus inter eos, Templariorum scilicet, sublatus est. Hic, qui amissa Palaestina sedem suam in insula Cypro fixerat, per opes suas ingentes vitiis quidem exinde nasci solitis infectus erat, ac superbiae et independentiae studio multorum principum et episcoporum invidiam incurrerat; attamen de ejus sublatione nemo fere cogitabat, cum a. 1306. duo malefactores in Gallia, ad carcerem damnati, quorum alter Templarius fuerat, regi Philippo Pulchro horrenda crimina quasi Templariis propria indicarent. Philippus ea pontifici Clementi V. nuntiavit, et anno sequenti, priusquam iste in Templarios inquiri permisisset, supremum ordinis magistrum, Jacobum Molaeum, nobi-

lem Burgundum, qui a pontifice evocatus in Galliam venerat, et omnes equites in suo regno eodem die comprehendi jussit, eorum bona occupavit, atque per inquisitorem Parisiensem in captos inquirere coepit. Pontifex ab initio quidem de hac laesione juris sui, contra ordinem, ecclesiae soli subjectum procedendi indignabatur, ipse contra eum processurus; postea tamen, rege, cui haec causa maxime cordi erat, vehementer instante, permisit, ut inquisitores et episcopi, aliique, quibus potestatem, faciebat, contra Templarios judicio procederent. Criminum, quorum hi arguebantur, praecipua erant: abnegatio religionis Christianae, ita ut initiandi crucifixum inspuerent aut pedibus calcarent, idololatria, seu adoratio, certis quibusdam idolis, quae capitis formam referebant, et Baphometae dicebantur, exhibita, denique impuritas Sodomitica. In quaestione alii ex Templariis hoc, alii illud crimen, sive de se, sive de confratribus confitebantur, nonnulli sponte aut poenitentia ducti, plerique tormentis aut aspectu eorum, aut fame in carcere tolerata, aut etiam suavitate persuasionis, aut promissionibus, aut aliis modis adacti. Multi omnia negabant, aut confessiones suas vi extortas protestabantur, et usque ad mortis supplicium in protestanda sua et ordinis innocentia perseverabant. Supremus ordinis magister modo se ordinemque innocentem esse asseverabat, modo culpam confitebatur. Septuaginta quinque equites, Parisiis in vinculis degentes, per aliquot e suo gremio deputatos a. 1310. defensionem ordinis offerebant, omnia opprobria ei facta calumnias dicentes, et inter alia id monentes, primas accusationes a fratribus perfidis, et ob crimina ex ordine ejectis factos fuisse. Haec non obstabant, quo minus a pluribus synodis provincialibus, a. 1310. in Gallia habitis, sententiae in singulos equites ferrentur, ex quibus alii dimissi, alii ad carceres, alii ad ignem damnati sunt, qui posteriores omnes, donec a flamma consumerentur, in negando persistebant. Extra Galliam,

ubi pariter postulante pontifice ab episcopis et inquisitoribus in Templarios inquirebatur, fere omnes crimina ordini objecta, constanter negabant, et hinc inde etiam absolvebantur.

§. 519. Concilium Viennense.

His praemissis pontifex a. 1310. concilium oecumenicum indixit, sequenti anno Viennae in Gallia celebrandum, in quo sententia de toto ordine diceretur, simulque de recuperanda Palaestina, et de reformanda ac ordinanda ecclesia ageretur. In hoc concilio, cui ultra 300 episcopi et multi praelati inferiores intererant, pontifex praelectis eis, quae hactenus in causa Templariorum acta fuerant, sententiam praelatorum ea de re exquisivit, qui omnes, etiam Gallici, exceptis solis tribus archiepiscopis, vindicias Templariorum audiendas esse censebant. Nihilominus Clemens, postquam Philippus Viennam venisset, a. 1312. in consistorio cardinalium, cui ex patribus concilii quoque multi intererant, ordinem Templariorum penitus sustulit, sed potius provisione, ut ajunt, quam condemnatione. Haec sententia in altera concilii sessione, praesente Philippo promulgata, simulque quid de bonis ordinis et de singulis equitibus faciendum sit, statutum. Non multo post, sessione 3. concilium finitum est, postquam aliqua decreta contra varios abusus inter clerum condita, et respectu expeditionis cruciatae decimae bonorum ecclesiasticorum per 6 annos dandae decretae fuissent. Post concilium tres cardinales Parisios venerunt, ibique supremo Templariorum magistro ac tribus ex ordinis primoribus poenam perpetui carceris annuntiarunt, in quam mortis supplicium mutatum fuerit, quod crimina sibi objecta publice confessi essent. Verum magister et unus ex caeteris praeter omnium expectationem confessiones suas revocarunt, quam ob rem a cardinalibus judici criminali traditi sunt, tamdiu custodiendi, doneo novum de iis consilium captum foret. Sed rex tali ex-

pectato, mox ambos, qui ordinis innocentiam usque ad mortem contestabantur, vivos concremari jussit. Contra illos, qui crimina confessi fuerant, ex decreto pontificis mitius actum; qui ab eis absoluti fuerant, sustentationem ex bonis ordinis accipiebant; qui ne in equuleo quidem confessionem fecerant, aut in domibus ordinis sui, aut in monasteriis custodiae mancipati sunt. In Germannia plerique mitem sortem experti, nonnulli ordinem Joannitarum ingressi sunt. In Hispania concilium Tarraconense, a. 1312. celebratum, eos innocentes judicavit, statuitque, ut in domibus ordinis ex ejusdem bonis, sub inspectione episcoporum viverent. Bona ordinis a pontifice Joannitis adjudicata fuere, quod tamen non ubique, nec cum omnibus factum est. In Aragonia enim et Lusitania novis ordinibus equestribus, qui propter continua fere bella cum Mauris necessarii videbantur, consentiente pontifice collata sunt. In Castella rex Ferdinandus IV. ea bonis suis adjecit. In Gallia Philippus non tantum omnes Templariorum thesauros, sed etiam duas tertias partes fundorum ordinis sibi attribuit, reliquam partem tertiam Joannitis nonnisi pro ingenti pecunia concessit. — De culpa vel innocentia ordinis scriptores jam inde a tempore sublationis dissenserunt. Recentiori aetate numerus eorum, qui eum innocentem censerent, auctus est, praesertim ex quo statuta ordinis, plane innocua, et acta processus contra Templarios in Gallia, in lucem protracta sunt, e quibus apparere videbatur, idolum Baphometae sacram reliquiam fuisse, in susceptione tironum nonnunquam quidem aliquid minus honestum commissum, et Christum abnegatum, attamen haec non ex quodam ordinis instituto, adeoque nec semper, nec ubique facta fuisse; Templarios haud raro vi a defensione detentos, haud raro equulei tormentis ad confessionem adactos esse; pontificem nonnisi paulatim, et ex metu Philippi regis, qui ordinis interitum jam ante inquisitionem decreverat, et ejus suppresionem vehe-

menter sollicitabat, in eam consensisse. Attamen, postquam jam anno 1782. Fridericus Nicolai vestigia opinionum Gnosticarum inter Templarios deprehendisset, et idolum Baphometae tanquam symbolum Metis seu Sophiae, quam Gnostici ceu aeonem venerabantur, declarasset; a. 1818. Josephus de Hammer, consiliarius et interpres orientalis aulicus certa quaedam idola, ex inscriptionibus et figuris in eis exhibitis, Baphometas Templariorum esse detexit, Deam Metem seu Sophiam Gnosticorum, speciatim Ophitarum sistentes, atque ex eo potissimum, quod forma ejusdem idoli, et similes figurae etiam in templis ac monumentis Templariorum in Austria, Bohemia aliisque terris insculptae deprehendantur, ostendere conatus est, Templariorum ordinem cultui Deae Ophiticae deditum, ac proinde impuritatis Ophitarum et apostasiae a religione Christiana reum fuisse. Sed non caruit adversariis, quibus explicationes figurarum, et praesertim interpretationes inscriptionum ab eo factae mutationibus et hypothesibus arbitrariis plenae, et ideo ad rem decidendam non sufficientes visae sunt.

Continuatio chronici Guiliel. de Nangis, in Dacherii spicileg. t. III. Histoire general de Languedoc. Dupuy histoire de la condemnation des Templiers. Histoire critique et apologetique des chevaliers de S. Jean de Jerusalem, dits Templiers. a Paris. 1789 Antons Untersuchung über das Geheimnifs und die Gebräuche der Tempelherren. Frid. Nicolai Versuch über die Beschuldigungen, welche dem Tempelherrnorden gemacht worden. Moldenhauer Procefs gegen den Orden der Tempelherren, aus den Originalacten der päpstlichen Commission in Frankreich. Münter Statutenbuch des Ordens der Tempelherren. Hammer mysterium Baphometis revelatum etc. in Fundgruben des Orients 6. Bd. 1. Hft. Baphomet: Actenstücke zu dem durch Hammers mysterium Baphometis revelatum wieder angeregten Processe gegen die Tempelherren; zur Ehrenrettung eines christlichen Ordens.

§. 520. Fata reliquorum ordinum equestrium.

Reliqui duo ordines equestres majores hac periodo laete floruerunt. Equidem Joannitae, pariter divites et potentes, mox illa ineunte, insula Rhodo potiti, et sede ibi fixa equites Rhodenses dicti sunt. Praeterea bonis non tantum Templariorum, sed etiam aliorum quorumdam ordinum equestrium minorum, sive sublatorum, sive cum eis conjunctorum acquisitis, continua opum augmenta ceperunt. Has fini suo convenienter, Turcis, quibuscum fere semper bellum gerebant, reprimendis, potissimum impendebant. Verum a. 1522. insulam suam contra Turcas, validissimo exercitu eam oppugnantes, non amplius tueri valuerunt. Itaque ea relicta, aliquamdiu sine certa sede oberrarunt, donec Carolus V. imperator et utriusque Siciliae rex eis a. 1530. insulam Melitam seu Maltam ea conditione traderet, ut Siciliae regem semper tanquam patronum suum agnoscerent, et aliquot armatas triremes contra Turcas in mari haberent. — Joannitis potentior quidem erat ordo equitum Teutonicorum, sed longe ab originario fine suo, contra infideles pugnandi deflexit, imo religionis Christianae propagationem inter Ethnicos terris suis vicinos impediebat, quamprimum potentiam episcoporum Borussicorum aut Livonicorum inde augendam esse intelligeret, quam ob rem apud pontificem Clementem V. accusatus nonnisi largitionibus, quo minus in se animadverteretur, impedivit. Singuli equites regulae observandae incurii, luxuriae potius indulgebant. Ordinis magister Sigefridus de Feuchtwangen initio hujus periodi sedem suam Venetiis Marianopolim in Borussia transtulit, et Dantiscum cum regione vicina Polonis eripuit. Maxime vero ordo floruit sub magistro Winrico a Kniprode, qui eum altero saeculi 14. dimidio rexit. Is suo potissimum exemplo equites ad regulam observandam reduxit, terras ordinis juste admini-

stravit, litteras quoque promovit, earumque amorem, et dignitatis moralis sensum equitibus instillavit, sed et auctoritatem ordinis contra clerum et ipsos summos pontifices feliciter tuitus est. Post eum ordo iterum insolentior factus, subditis suis gravia onera imposuit, quapropter ordines Borussiae a. 1440. ad jura sua tuenda conjunctionem inter se inierunt, quos cum ordo tanquam seditiosos nunc magis premeret, a. 1454. Casimiro IV. Poloniae regi subjectionem suam obtulerunt. Ortum inde bellum post 13 annos ita terminatum est, ut Poloni Borussiam occidentalem, equites orientalem, eamque ceu feudum Polonicum retinerent.

Vid. libros superiori periodo de hac materia citatos.

§. 521. Decrementa ecclesiae Christianae in Asia.

Opus conversionis, quod praeterita periodo fidei Catholicae praecones in terris sub Mogolorum imperio constitutis feliciter coeperant, primis hujus periodi temporibus eodem modo ab eis continuabatur. Ex Franciscanis, quorum identidem plures novellis ecclesiis Asiaticis subveniebant, notatu dignissimus est Odoricus de portu Naonis, qui, postquam tribus annis Cambali, quod nunc Pekingum vocatur, verbum divinum praedicasset, ad idem faciendum in regnum Tibetanum profectus est, ubi pariter Franciscani evangelium annuntiabant, multosque credentes baptizabant. Imperatores Sinenses ex gente Mogolica Catholicis favere non cessabant. Horum archiepiscopus Joannes de monte Corvino, qui usque ad annum 1333. vixit, et alium Franciscanum, a Joanne papa XXII. denominatum, successorem habuit, caeterique missionarii tanta in aula Sinensi auctoritate fruebantur, ut imperator frequenter benedictionem ab eis peteret. Idem a. 1338. legatos Avenionem ad pontificem misit, a quo pariter benedictionem et intercessionem apud Deum petiit, et principes Alanicos, a se dependentes, religioni Christianae addictos laudavit. Benedictus papa XII. in rescripto ad imperatorem dato, ab eo petiit,

ut Catholicis in imperio suo facultatem, ecclesias extruendi concederet. Hic faustus ecclesiae Catholicae in Sina status usque ad annum 1369. duravit, quo Sinenses Mogolos penitus e patria sua ejecerunt. Novi enim imperatores e Sinensi familia Ming, nullum alienigenam tolerantes, etiam omnes missionarios ad fugam adegerunt, quo facto nonnisi exigui quidam coetus Christianorum per aliquod adhuc tempus in Sina perdurarunt. — Eodem tempore ecclesia Catholica etiam in reliquis terris Asiaticis, Mogolorum dominio subjectis, interiit. Ab anno enim 1370. Timur seu Tamerlanius, Bucariae dominus maximam partem Asiae, ipsamque Indiam armis sibi subjecit. Qui cum religioni Muhamedanae addictus esset, non tantum Christianis nullum favorem exhibuit, sed eos etiam ad religionem suam deserendam adigere conatus est. Sic speciatim quemdam principem in Iberia, hodierna Georgia, ad Islamum amplectendum permovit, cujus exemplum subditorum plerique secuti sunt. Qui in religione Christiana constantes manebant, interfecti, eorum domus succensae, ecclesiae Christianae destructae sunt. Interim tamen religio Christiana per Tamerlanium non usque adeo extirpata est, ut non saltim plures ecclessiae sive Nestorianorum sive aliorum Christianorum in borealibus et australibus Asiae regionibus superstites mansissent.

Asseman biblioth. Oriental. Tom. III. P. II. Raynald. annall. eccles. Mosheim hist. Tataror. eccles.

§. 522. Conversio Lapponum, Cumanorum et Lithuanorum.

Hoc decrementum ecclesiae Christianae in Asia, aliquomodo compensatum est conversione illorum populorum Europaeorum, qui soli adhuc idolis serviebant. Tales erant Lappones. Quos postquam Sueci ad supremum suum dominium agnoscendum posteriori praeteritae periodi tempore adegissent, archiepiscopus Upsaliensis a. 1335. in oppido Torne ecclesiam inter eos dedicavit, ibique magnum eorum, nec non Fenno-

rum septentrionalium numerum baptizavit. Sed praeter baptismum et benedictionem nuptiarum hac periodo non multum ex religione Christiana observabant. [1]) — Cumanorum, qui saeculo 13. Hungariam plurimum infestarant, et partim in hac terra, partim in Moldavia consederant, multi jam praeterita periodo baptizati fuerant, caeteri in Hungaria nunc successive omnes ad sacra Christiana transibant, consuetudine cum vicinis suis maxime ad ea perducti. Illos autem, qui in Moldavia sedes habebant, postquam a. 1340. missionarios Franciscanos in urbe Sereth interfecissent, rex Ludovicus, exercitu contra eos ducto, ad ecclesiam Romanam intrandam compulit, e qua vero ad Graecam transierunt, postquam Wallachi, huic adscripti, Moldaviam sibi subjecissent. [2]) — Ut tandem Lithuani magnae Christianorum Europaeorum familiae adsociarentur, causae politicae ansam dederunt. Postquam enim Ludovicus, rex Poloniae et Hungariae a. 1382. mortuus esset, Jagello, magnus dux Lithuaniae, Polonos promissis maximis emolumentis permovit, ut sibi Hedwigim, defuncti regis filiam, regni haeredem, in matrimonium darent, quod priusquam contraheretur, Jagello cum fratrum suorum uno et pluribus magnatibus Lithuanis, Cracoviae baptismum, primariam nuptiarum conditionem suscepit, postquam jam diu antea ejus mater et alius fratrum religioni Christianae initiati fuissent. Anno dein 1387. in comitiis publicis, Wilnae celebratis, religionis Christianae in universam terram introductio decreta est, cui decreto mox nobiles morem gesserunt. Quorum exemplum ut brevi tempore etiam plebeji plerique sequerentur, rex partim eo effecit, quod ipse terram peragrans orationem Dominicam et symbolum apostolicum eos edoceret, partim quod delubra deum et lucus sacros ubique destrui, et angues, qui tanquam lares colebantur, occidi juberet, partim quod cuique baptizandorum tunicam ex alba lana promitteret. Tanta autem multitudine Lithuani ad

conatibus Bartholomaei de las Casas, presbyteri Hispani, siquidem illi, quos cardinalis Ximenes, archiepiscopus Toletanus, regnique post mortem Ferdinandi administrator, a Bartholomaeo excitatus, ad rem examinandam a. 1516. in Americam ablegavit, pariter judicarunt, Americanos ad labores peragendos et religionem Christianam admittendam nonnisi per servitutem perduci posse. Illud saltem Bartholomaeus a. 1517. a Carolo rege impetravit, ut ad labores peragendos loco debiliorum Americanorum robustiores Mauri in littoribus Africanis, quae Lusitani tenebant, coemti in Americam transveherentur. Igitur Americani hac saltim periodo nonnisi coacti religionem Christianam amplectebantur, i. e. baptismum suscipiebant, symbolum apostolicum aliasque formulas recitabant. et ritus externos peragebant, quamquam caeterum missionariorum institutio eis non deesset.

Barthol. de las Casas relatio de destructione Indiarum. Robertson Geschichte von Amerika, 1. Th.

§. 525. Maurorum in Hispania conversio.

Labente hac periodo ecclesia Graeca admodum diminuta est, cum Turcae provincias, quae Graecis adhuc in Asia supererant saeculo 14., sequenti autem provincias eorum Europaeas occuparent, et tandem a. 1453. ipsam CPim expugnarent, eoque imperium Graecum extinguerent. Incolis Christianis exercitium quidem religionis concessum est, at durum servitutis jugum impositum. [1]) Vice versa Granata a. 1492. a Ferdinando Catholico capta, Maurorum dominium in Hispania penitus destructum est. Eorum in hac terra saeculo 14. circiter 2,000,000 numerabantur, inter quos 500,000 erant, quorum majores a fide Christiana ad Islamum defecerant. Decurrente hac periodo numerus Muhamedanorum in Hispania diversimode quidem minutus est, sed post eversum ultimum eorum regnum Ferdinandus Catholicus omnium conversionem eo ma-

gis cupiebat, quia Muhamedani in Africa ad auxilium rebellaturis ferendum parati erant, illamque Ximeni archiepiscopo demandavit. Is ipse Granatam profectus est, ubi hujus urbis archiepiscopo in communionem laboris sibi adsociato, primo religionis Muhamedanae doctores persuasione ad sacra Christiana traduxit, quorum opera et exemplo effectum est, ut intra paucos dies 4000 Maurorum baptismum desiderarent, quem Ximenes, dilata interim institutione, ne recens fervor mora tepesceret, eis statim aspersione conferri curavit. Cum vero plures avitae religionis tenaciores etiam reliquos a Christo detinere conarentur, Ximenes, primariis eorum in vincula conjectis, tum tali severitate, tum persuasione, tum pecunia distributa, plerosque Maurorum ad Christum convertit. Quoniam vero haec eorum conversio solido fundamento carebat, multi eorum brevi tempore ad avitam religionem relapsi sunt. Contra hos, qui tanquam rebelles considerabantur, sacra inquisitio adhibebatur. A qua cum pertinaciores in carceres conjicerentur, liberi quoque parentibus relapsis adimerentur; jam omnes Mauri in civitate Granatensi, priorem suum statum reducturi, seditionem excitarunt, et nonnullos Christianos interfecerunt. Sed partim adhortationes archiepiscopi Granatensis, partim exercitus regius, urbi appropinquans mox quietem restituit. Jamque Mauris nondum conversis in poenam seditionis nonnisi optio data, vel religionem Christianam amplectendi, vel certam mortem subeundi. Cum fere omnes priorem eligerent, nunc iterum multa eorum millia sacris Christianis initiabantur. Similia postea quoque saepius acciderunt, quibus occasionibus multa Maurorum millia etiam in vicinam Africam transmigrarunt. Hac ratione Hispania a religione Muhamedana penitus purgata est. [2])

[1]) Histor. Byzant. Ducae, Chalcocondylae, Phranzae.

[2]) Mariana histor. Hispan. L. 25. Flechier histoire du Cardinal Ximenes.

Caput secundum.

De fatis doctrinae.

§. 526. Celebriores quidam scriptores ecclesiastici hujus periodi.

Cum saecula, quorum historia modo narratur, a primis fidei Christianae praeconibus longissime jam distarent, nemo amplius scriptorum ecclesiasticorum inter sanctos patres relatus est, quamquam caeterum inter eos non deerant, qui doctrinae praestantiam cum vitae sanctitate conjungerent. Illorum, qui de materiis ad religionem pertinentibus scripserunt, major ac unquam antea extitit numerus, saeculis sequentibus continuo auctus, ita ut pro instituti nostri angustiis aliquos tantum e celebrioribus eorum hic loci adducere possimus, plures in historia theologiae commemoraturi. Ex illis igitur sunt: Hervaeus Natalis, e Britannia minori oriundus, Dominicanus et theologiae in universitate Parisiensi professor, postea praepositus generalis ordinis sui. † 1323. Ex ejus scriptis notamus commentaria in quatuor libros sententiarum; quodlibeta majora et minora, inter quae plura philosophici generis sunt quam theologici; quaestiones de peccato originali; tractatum de sacramentis; tractatus de Verbo, de voluntate; quaestiones quinque de beatitudine; de virtutibus moralibus; de paupertate Christi et apostolorum.[1]) — Franciscus Maironius ab urbe patria etiam de Digna compellatus, Franciscanus, philosophiae ac theologiae professor Parisiensis, doctor illuminatus et acutus dictus. † 1325. Ab eo praeter alia supersunt: commentaria in Genesin; quaestiones 1500 de variis locis s. scripturae et dubiis theologicis; commentarius in Lombardum; de articulis fidei; de corpore Christi; de angelis; de baptismo; de poenitentia; de indulgentiis; de suffragiis defunctorum; de ultimo judicio; de virtutibus et vitiis capitalibus; de humilitate; de paupertate Christi et

apostolorum; de septem donis Spiritus s.; explicatio decalogi; sermones quadragesimales et de sanctis.[2]) — Nicolaus, cognominatus a Lyra, loco notali in Normannia, parentibus Judaeis ortus, et a Rabbinis institutus, post suam ad Christum conversionem a. 1291. ordinem S. Francisci ingressus, ejusdemque in Burgundia minister provincialis factus est, et per multos annos theologiam in universitate Parisiensi docuit, cognominatus doctor utilis. † 1340. Scripsit praeter alia postillas perpetuas seu brevia commentaria in universa biblia, 85 libris comprehensa; postillas majores seu enarrationes in epistolas et evangelia totius anni; quaestiones in v. et n. t.; commentarium in Lombardum; librum de corpore Christi; disputationem contra perfidiam Judaeorum; probationem adventus Christi per scripturas a Judaeis receptas; expositionem decem Dei praeceptorum, dictam praeceptorium; tractatum de visione Dei; sermones de tempore et de sanctis. [3]) — Joannes Charlierius, compellatus a Gerson, vico natali in dioecesi Rhemensi, theologiae in universitate Parisiensi professor, postea ejusdem cancellarius, vir, qui insigni sua doctrina, religionis et pacis ecclesiasticae studio, prudentia et pietate tantam apud omnes auctoritatem nactus est, ut in virorum doctorum congressibus principem locum obtineret, et concilium Constantiense fere dirigeret. Hoc finito patriam aliquamdiu fuga evitavit, timens iram Philippi Burgundiae ducis, quam eo sibi conciverat, quod universitas Parisiensis eo duce assertiones Joannis Parvi censura notasset, quibus factum Philippi, quo ducem Aurelianensem, regis fratrem interfici curaverat, defendebatur. Postea Lugdunum secessit, ibique inter pietatis exercitia et parvulorum in rudimentis fidei institutionem a. 1429. diem supremum obiit. Scripta ejus, quorum magna est multitudo, pleraque minoris quidem molis sunt, sed veritatibus gravibus plena, et distingui possunt in hierarchica, dogmatica, moralia, mystica, pastoralia,

et miscellanea, e quibus potiora suis locis commemorabantur. [4]) — Joannes de Turrecremata, ita dictus a loco natali in dioecesi Placentina, Dominicanus, juris canonici et theologiae doctor, s. palatii magister, Eugenii papae IV. legatus in concilio Basileensi et Florentino, postremo cardinalis episcopus Albanensi. † 1468. Ex ejus operibus nobis notanda veniunt: expositio omnium D. Pauli epistolarum; commentarius in psalterium; stabilimentum fidei Catholicae; tractatus contra principales Muhamedanorum errores; dissertatio contra Graecos de azymo; sermones de tempore et de sanctis. [5]) — Dionysius dictus de Rykel, pago dioecesis Leodiensis in quo natus erat, Cartusianorum institutum Ruremundae in Geldria amplexus, vir eruditus et pius, in scribendo non minus, quam in precando et contemplando indefessus, a vita contemplativa et revelationibus, quas sibi coelitus obtigisse credebat, dictus doctor extaticus. † 1471. Potiora inter ejus scripta sunt: commentarii in omnes libros s. scripturae; enarrationes in epistolas et evangelia totius anni; commentarius in quatuor libros sententiarum; summa fidei orthodoxae; dialogorum de fide Catholica libri octo; contra Alcoranum libri quinque; de regulis et doctrina vitae Christianorum; commentarius in opera Dionysii Areopagitae; de quatuor hominis novissimis; de arcta via salutis et contemtu mundi; de fonte lucis et semita vitae; inflammatorium divini amoris; speculum beatae et humanae vitae; de gravitate peccati; de conversione peccatoris; de remediis tentationum; de via purgativa; de vita et fine solitarii. [6])

[1]) Pleraque Hervaei scripta prioribus saeculi 16. annis Venetiae, sed non junctim typis excusa sunt. Collecta nunquam prodierunt.

[2]) Alia Mayronii opera Basileae 1498., alia Venet. 1520., alia Parisiis 1619. typis impressa prodierunt, alia adhuc in manuscriptis latent.

[3]) Pleraque Lyrani opera, sed separatim diversis in locis typis expressa sunt.

4) Omnia

[4]) Omnia Gersonii opera cura et studio Dupinii Antverpiae 1706. V. tom. fol. prodiernnt.

[5]) Pleraque J. Turrecrematae scripta a. 1471. Augustae Vind. collecta in VIII tom. fol. prodierunt. Singula diversis in locis typo impressa sunt.

[6]) Rykelii scripta nec omnia, nec collata typis procusa sunt.

§. 527. Fidei controversiae inter Graecos.

Hi igitur ex illis erant, per quos doctrina Catholica ad posteros transmissa est. Hanc integram inviolatamque his quoque saeculis propagatam fuisse, inter alia ex iis apparet, quae occasione haeresum et fidei controversiarum, hac periodo exortarum, auctoritate ecclesiastica statuta sunt. Talis controversia etiam inter Graecos priori saeculi 14. dimidio agitata est. Huic ansam dedit monachorum quorumdam in monte Atho insania mystica, vi cujus in angulo cellae suae clausae immobiles diu noctuque sedentes, oculos in regionem umbilici tanquam sedem animi continuo defixos habebant, hac ratione ad sensualem luminis divini intuitionem se pervenire, et ineffabili exinde voluptate perfundi dicentes. Hos monachos, a quiete, cui studebant, Hesychastas dictos, primum Barlaamus, monachus Graecus e Calabria, Thessalonicae tunc commorans, scriptisque contra Latinos editis auctoritatem inter Graecos consecutus, a. 1341. quasi fatuos, deceptos, imo deceptores traduxit, et omphalopsychos nominavit. Cumque lumen, quo Christus in monte Tabor circumfulsus apparuit, cuique a se percipi solitum simile sit, increatum dicerent, eos opinionis de duplici deitate arguit, quod nempe praeter ipsum Deum aliud quid increatum statuerent. Et quoniam sententiam suam, imprimis per Palamantem, inter suos praecipuum, acriter contra Barlaamum defendebant, hic eos ad patriarcham CPnum detulit, quo facto, eodem adhuc anno 1341. CPi, ipso imperatore multisque proceribus praesentibus, synodus celebrata est, in qua Palamas suorum sententiam e

scriptis patrum contra Barlaamum eo effectu comprobavit, ut hic victum se confiteri veniamque precari deberet. Sed non multo post in Italiam reversus, Palamitas denuo impugnavit, et ecclesiae Latinae se addixit. In Graecia quoque haud paucos sententiae suae patronos reliquerat, quos inter praecipuus Acindynus, Palamitas impugnare non desistebat, quo factum est, ut, cum multi micrologiam illam participarent, non exigui motus in ecclesia Graeca orirentur. Ad hos componendos a. 1350. novum CPi concilium celebratum est, pariter praeter multos episcopos ab imperatore Joanne Cantacuzeno et primariis imperii administris frequentatum. In hoc Palamas, interea archiepiscopus Thessalonicensis factus, cum Acindyno plurimum disputavit. Qui cum Barlaami sententiae de lumine Christi in monte Tabor addictus deprehenderetur, una cum magistro excommunicatus est, caeteri, qui ei inhaererent, haeretici pronuntiati, et duo ex eis episcopi depositi sunt. In eodem concilio praeter principalem illam quaestionem plures aliae, quae ei quasi fundamento essent, velut: an in Deo discrimen sit inter ejus substantiam et effectus, an effectus Deitatis (interni, inhaerentes) creati vel increati sint, agitatae sunt, et assertio Acindyni, non dari alium Deitatis effectum increatum, quam Dei Filium et Spiritum s. haeresis Marcelli Ancyrani simulque hujus discipuli Photini pronuntiata est. Ex altera parte Nicephorus Gregoras, unus ex aulicis et Palamitarum adversariis, hos iconoclastis accensebat, qui pariter contendissent, corpus Christi in monte transfigurati in lumen incorruptibile et deitatem increatam mutatum fuisse. Victoriam, quam Palamitae, ad quos patriarcha quoque pertinebat, in illa synodo retulerunt, praecipue imperatori debebant, qui eorum adversariis ob hoc potissimum infestus erat, quod Baarlaamus animo a Latinis minus alieno fuit, et propterea in ejus asseclas violenter, imo crudeliter agere non dubitabat. De ejus approbatione certi pa-

triarcha et episcopi Palamitici, impetu in adversarios facto, verberibus eos affecerunt, vestes eis detraxerunt, barbam evellerunt. Tum a victoribus, quos imperator remunerabatur, decisiones conscriptae, tum adversarii excommunicati. Hi quidem ita suppressi, sed non extincti sunt, siquidem novus patriarcha Philotheus a. 1354. quindecim libros antirrheticorum ad defensionem Palamitarum contra Gregoram scripsisse deprehenditur. Postea tamen lis expiravit. Ex ejus historia satis intelligitur, quam miserabilis theologica Graecorum eruditio et omnis in fidei controversiis sentiendi agendique ratio hac aetate fuerit.

Joann. Cantacuz. Nicephor. Gregoras histor. Byzant. Leo Allatius de ecclesiae Occident. et Orient. perpetua consensione.

§. 528. Controversia de statu animarum sanctarum a corpore solutarum.

Ecclesia Latina hac periodo doctrinis heterodoxis multum inquietabatur. Praeterquam enim, quod plures sectae haereticae, elapsis saeculis ortae, perdurarent, nonnullae novae, satis periculosae nunc primum natae sunt, quibus accesserunt variae fidei controversiae, inter ipsos Catholicos agitatae. Talem primis hujus periodi temporibus excitavit ipse summus pontifex Joannes XXII., cum a. 1331. publice e sacro suggestu docuisset, animas, utut ab omni labe peccati puras, ante extremum judicium ad beatificam Dei visionem non admitti. Hanc assertionem mox plures impugnabant; at pontifex non tantum loca e patribus ad eam comprobandam adduxit, sed etiam theologos Parisienses ei conciliare studuit, contrario tamen eventu; nam plures eorum, inter quos Nicolaus Lyranus erat, dictis et scriptis tanquam haereticam eam rejecerunt. De hac controversia edoctus Philippus VI. rex Galliarum, a. 1332. complures praelatos et theologos ad eam examinandam congregavit, qui Joannis sententiam omnino erroneam judicarunt. Hoc judicium Philippus Joanni

scriptum transmisit, additis combustionis minis, ni doctrinam suam retractaret. Pontifex regi rescripsit, se eam non tanquam certam defendisse, sed solummodo tanquam disputabilem proposuisse. Anno sequenti in singulari bella contestatus est, se cum ecclesia Catholica credere, animas a corporibus solutas et plene purgatas, esse in paradiso, Deumque et ejus essentiam a facie ad faciem videre, in quantum capaces sint; porro si quid fidei Catholicae, ecclesiae definitionibus, s. scripturae aut bonis moribus minus congruum docuisset, id a se retractatum pronuntiari. Egregium submissionis pontificiae exemplum! Joannis successor, Benedictus XII, doctrina controversa, a. 1336. adscitis cardinalibus, episcopis, et theologiae doctoribus, serio examinata, bullam edidit, qua animas plene purgatas mox ad beatificam Dei visionem admitti, decretum, simulque contrarium docere sub excommunicationis poena prohibitum erat.

Vitae Joannis XXII. in Baluzii vitis papar. Avenionens. Bulaei histor. universit. Parisiens. Wadding annall. Minorum t. VII.

§. 529. Fratricelli, aliaeque sectae.

Inter sectas, quae ex praeterita periodo in praesentem devenerunt, pertinent Fratricelli, fratres et sorores liberi spiritus, Dulcinistae seu Apostoli, Waldenses, Flagellantes. Fratricelli pro odio et contemtu, quo in ecclesiam Romanam ferebantur, nunc etiam sacramenta repudiabant, aliosque errores, fidem attinentes spargebant. Iidem, qui rigorem regulae S. Francisci in paupertate, victu et vestitu sectabantur, et tertium ordinem, ab eo pro laicis utriusque sexus institutum profitebantur, assertionem, Christo et apostolis peculium fuisse, haereticam dicebant, et pontifici jus denegabant, a voto paupertatis et castitatis absolvendi. Celebrabant conventus, praepositos sibi constituebant, aedificia propria tanquam monasteria incolebant. Com-

pellabantur etiam nominibus Bizochorum, Beguinorum, Beghardorum, probabiliter propterea, quod his in pluribus rebus, speciatim in mendicando similes essent. Initio hujus periodi praecipuas suas sedes in Italia, Sicilia, et Occitania habebant. Joannes papa XXII. a. 1317. bullam edidit, qua eos sub excommunicationis poena a vitae suae ratione discedere jussit. Cum vero non obedirent, sed potius contra pontificem, quem etiam propter rejectam rigidam paupertatem admodum oderant, vehementer declamarent; ab inquisitoribus et episcopis in Occitania plurimi eorum comprehensi, et partim ad perpetuos carceres arctissimos, partim ad gestandas cruces vesti assutas, partim ad ignem damnati sunt. Ad has poenas evitandas multi eorum in Germanniam fugerunt, ubi eis sub praesidio Ludovici Bavari imperatoris, cui gravissimum cum pontificibus dissidium erat, tutis esse licebat. Sed haec eorum securitas cessavit sub illius successore Carolo IV., qui plures contra eos leges edidit, et speciatim a. 1369. cunctis regni ordinibus mandavit, ut inquisitores adjuvarent, et pro viribus ad extirpandos Fratricellos cooperarentur. Ita his in Germannia suppressis, qui residui erant, a. 1372. maximam partem in Brabantiam et Hollandiam se receperunt. — Eodem Beghardorum vel Beguinorum nec non Turlipinorum nomine, fratres et sorores liberi spiritus compellabantur, quorum propagationem per Galliam rex Carolus V. septuagesimis saeculi 14. annis severitate sistere conabatur, inquisitores contra eos efficaciter adjuvans, a quibus speciatim Parisiis duo inter eos praecipui concremati sunt. Videntur ad hanc persecutionem evitandam in Germanniam transiisse, et prioribus saeculi 15. annis ad Bohemos migrasse, inter quos, excitatis per Hussium de religione motibus et turbis, magnus adversariorum ecclesiae Romanae numerus erat. Id certum est, bello Hussitico vix inchoato, illius generis homines in Bohemia deprehensos, et ab ipsis Hussitis, flagitia eorum aver-

santibus gladio invasos, maximamque partem deletos fuisse. Dicebantur a Bohemis Adamitae, quod ad exemplum protoparentis nudi incederent, suam spiritus libertatem eo comprobaturi, caeteros, qui ad se non pertinebant, servos appellantes; porro Picarditae vel Picardi, sive a Picardia, e qua, ut tum saltim ab omnibus credebatur, eorum auctores in Bohemiam venerunt, sive a Beghardorum nomine, secundum Bohemorum pronuntiationem mutato, quo nomine tunc temporis, omnis fere generis haeretici designari consueverunt, quemadmodum et ipsi Hussitae non multo post a Catholicis etiam Picarditae nominati sunt. — Dulcinistae anno adhuc 1368. in historia occurrunt, postea vero expirasse videntur. — Waldenses initio hujus periodi in Occitania, Provincia Gallica, Delphinatu, Sabaudia et Pedemontio latebant. In Occitania inde ab anno potissimum 1324. inquisitores et episcopi in Waldenses et Albigenses residuos diligenter et severe animadvertebant, alios ad reditum in ecclesiam Catholicam adigebant, pertinaces igni tradebant, eoque effecerunt, ut post annum 1330. nulli amplius ibi deprehenderentur. In Provincia autem et Delphinatu, non obstantibus pontificum et inquisitorum conatibus eos extirpandi, usque in medium saeculum 16. sed numero non admodum magno perdurarunt. Qui in Pedemontio sedebant, versus medium saeculum 15. armis invadebantur, quo multi quidem eorum perierunt, alii in terras extraneas fugerunt, extirpari autem non potuerunt.

Libri priori periodo de iisdem sectis allegati.

§. 530. Flagellantes.

Flagellantes quoque, qui superiori periodo nonnisi singularitatibus quibusdam propriam sectam efformaverant, nunc paulatim ad haereses deflectebant, non tamen omnes, sed ii maxime, qui inter Germanuos surrexerunt. Ut Flagellantes hac periodo denuo emergerent, ansam dederunt calamitates publicae, nonnunquam

ingruentes, speciatim pestis, quae sub medium saeculum 14. plures terras Europae occidentalis dire affligebat. Deprehenduntur eo tempore in historia catervae, nudato corpore publice se flagellantium, et hoc modo terras peragrantium, non tantum virorum, sed etiam faeminarum in Italia, Helvetia, Gallia, Belgio, Anglia, Polonia, qua posteriori terra episcopi et proceres eos brevi excedere coegerunt. Cum eorum piacula speciem pietatis prae se ferrent, apud multos in magna existimatione erant, ipsique suis poenitentiae exercitiis justo majus pretium tribuebant, unde paulatim effectum est, ut absolutionem sacerdotalem, et dein sacerdotes ipsos, a pravis moribus alioquin notatos, contemnerent et rejicerent. Sic jam Clemens VI. pontifex in litteris, a. 1346. ad archiepiscopum Magdeburgensem datis testatus est, eos contemta clavium potestate, se invicem a peccatis absolvere, et sub praetextu, peccatores puniendi, non tantum Judaeos, sed etiam Christianos interficere, clericorum et laicorum bona diripere, superiorum jurisdictionem sibi arrogare, aliasque res nefarias committere; quapropter pontifex decrevit, ut omnes publicae flagellationi renuntiarent, praelati vero contumaces comprehenderent et punirent. Gregorius XI. post 30 circiter annos sacramenta ab eis rejici conquestus est, ideoque inquisitoribus in Germannia praecepit, ut in eos ceu haereticos animadverterent. Illi qui tempore concilii Constantiensis duce Conrado Schmid in Sangerhusiana Thuringiae regione emerserunt, et crucifratres etiam vocabantur, docebant, sectam suam, litteris coelestibus, ab angelo in altare S. Petri Romae collocatis institutam, et ab hoc tempore ligandi solvendique potestatem pontifici caeterisque sacerdotibus divinitus ablatam, omnesque jam eorum functiones, omnia sacramenta nullius valoris esse. Speciatim contendebant, in locum baptismi per aquam, baptismum sanguinis, i. e. flagellationem suam cruentam positam esse, quam qui sibi non adhibeat, salvum fieri non posse;

eucharistiam non esse corpus Christi; non existere purgatorium; crucem et sacras imagines venerari, esse idololatriam; omnes animas humanas mox ab initio simul creatas et in paradisum collocatas fuisse; jusjurandum esse peccatum mortale, at perjurium in sectae suae commodum emittere omnino licere, quia sicut quodcuncque aliud crimen, utut gravissimum flagellatione facile expiatur. In his similibusque disserendis Flagellantes Germannici maxima contra clerum et instituta ecclesiastica convitia effutiebant, et extremum judicium a Conrado Schmid, quem Deus tanquam alterum Henoch in cölum sustulerit, habendum dicebant. Doctrinae adeo perversae totique religioni Catholicae contrariae tolerari nullo modo poterant. Hinc ipsi comites provinciales Thuringiae, Henrico Schoenefeld, per istas regiones inquisitori ex ordine Praedicatorum mandarunt, ut in eos animadverteret, a quo multi quidem ad abjiciendum errorem perducti, sed et ultra 90 pertinaces, intər quos ipse Conradus Schmid, ad rogum damnati sunt, quo tamen secta ipsa minime extincta est, cum a. 1454. iterum 22 flagellantes utriusque sexus Sangershusiae concremati inveniantur. In aliis tamen terris Flagellantes ad ejusmodi assertiones haereticas non delapsi fuisse videntur, siquidem cum illis, qui pariter tempore concilii Constantiensis in Aragonia prodierunt, ipse Vincentius Ferrerius ex ordine Praedicatorum, vir vitae sanctitate, fidei orthodoxae studio, et sermonibus sacris celeberrimus, loca peragravit et poenitentiam praedicavit, quem tamen concilium Constantiense, totam sectam suppressurum, ab eis abstrahere conatum est, missa hunc in finem ad eum epistola, a Gersonio scripta, qui paulo post etiam proprium tractatum contra Flagellantes composuit, aliosque hujus sui exempli imitatores nactus est. Illi quoque Flagellantes, qui circa annum 1445. in Borussia erant, ab ecclesiastico tramite tam parum aberrarunt, ut lege publica libertas, regiones peragrandi,

emendi et vendendi eis concederetur. Postremi, qui ex Flagellantibus in historia commemorantur, illi erant, qui a. 1501. canis vestibus induti, caput pedesque nudati, et parvam crucem ligneam manu gestantes, plurimumque jejunantes, ex Italia in Germanniam venerunt, sed post 5 annos poenitentia peracta ab hac vitae ratione sponte recesserunt.

Rebdorf. annales, apud Freherum. Theodoric. Vrie histor. concilii Constant. Schöttgen de secta Flagellantium commentatio.

§. 521. Status sacrae inquisitionis.

Ad hos aliosque haereticos supprimendos sacra inquisitio plurimum contulit. Hanc qui administrabant, nonnunquam limites suos transgrediebantur. Hinc Clemens V. in concilio Viennensi plura decrevit, quibus abusus et excessus in exercendo eorum munere praepedirentur. At moderatum inquisitionis usum pontifices semper quam maxime promovebant. Joannes XXII. litteris ad Wladislaum regem et praelatos a. 1327. datis effecit, ut in Poloniam introduceretur, quo facto rex a. 1336. inquisitores ampla potestate instruxit, omnesque magistratus eos adjuvare jussit. In Germannia nullum quidem tribunal inquisitorium erectum est, singuli tamen inquisitores, ubique jam ex ordine Praedicatorum, diversis in regionibus constituti sunt. Quibus cum posteriori saeculi 15. tempore plures clerici et laici facultatem, in magos et sagas, quales in Germannia superiori, et in regionibus ad Rhenum inferiorem plurimi iique nocentissimi esse credebantur, inquirendi abjudicarent; Innocentius VIII. in singulari bulla, a. 1484. ad Germannos data, facultatem illam diserte eis adjudicavit, cum alioquin magiae crimen, haeresi aequiparatum, semper et ubique ad forum inquisitorum pertineret. Effectus tamen infaustus hujus bullae erat, ut ab hoc tempore multo plures quam antea propter effictum illud crimen in Germannia supplicio afficerentur. —

In Italia Florentini a. 1346. a pontifice adjuti leges contra excessus inquisitorum tulerunt, statueruntque, ne quis sine permissione supremi magistratus ab inquisitore comprehenderetur. — In Gallia Clemens VI. judicium inquisitorium in provinciam Andegavensem et Cenomanensem, in quibus hactenus non fuerat, introduxit. Verum in quibus provinciis plerique haeretici erant, in Delphinatu scilicet et Provincia, ipsi episcopi, proceres et praetores inquisitoribus, qui plerisque invisi erant, et sicut in aliis quoque terris nonnunquam ab haereticis interficiebantur, tam parum succurrebant, ut eis potius diversimode adversarentur, sine suo consensu sententiam contra accusatos dicere eos non permitterent, ab eis vinctos nonnunquam dimitterent. De his pontifex Gregorius XI. apud regem conquestus aegre tandem effecit, ut saeculares inquisitoribus auxilium ferrent. — In Hispania posteriori saeculi 15. tempore insignis circa sacram inquisitionem mutatio accidit. Regnum Castellae, tot provinciis, Mauris ereptis auctum, hucusque inquistionis expers erat, attamen haereticis Waldensibus et Albigensibus, et multo magis Muhamedanis et Judaeis occultis abundabat. Igitur rex Ferdinandus V. ejusque uxor Isabella auctore Petro cardinali et archiepiscopo Hispalensi, postea Toletano, tribunal inquisitorium instituere decreverunt, quod supremum pro universa Hispania esset, et a nemine in regno, nisi a rege dependeret; atque reapse a. 1478. Thomam de Turrecremata, priorem Dominicanorum Segobiensium primum inquisitorem generalem pro Legionensi et Castellano regno constituerunt. Pontifex Sixtus IV. post plurium demum annorum tergiversationem tali tribunali erigendo consensit, partim propterea, quod a solo rege dependeret, partim quod bona condemnandorum eidem soli obvenirent. Non minus istud tribunal regnorum ordinibus displicebat, et quamquam illud tandem admitterent, tamen supremus Aragoniae judex, a. 1484.

cum ordinibus obsequium ei jurans contra bona fisco regio attribuenda, et contra testes occultandos protestatus est. Cui tribunali cum omnes subjecti essent, rex sub titulo haeresis incircumscriptam potestatem in bona et vitam omnium subditorum suorum per illud obtinuit, ne clericis quidem exceptis. Atque talis potestatis consecutio et fisci regii augmentum non minus motivum, illud tali forma erigendi fuit, quam studium ecclesiam in Hispaniis pure Catholicam conservandi. Caeterum inde ab anno 1481. ea vi exerceri coepit, ut intra paucos annos septendecim circiter hominum millia omnis sexus et ordinis, termino pro venia statuto utentes, sponte ab haeresi vel apostasia ad ecclesiam Catholicam reverterentur, excepta pecuniae mulcta veniam consequentes, pertinacium autem ultra duo millia concremarentur.

Libri priori periodo citati. Plüer in Büschings Magazin für die neue Historie und Geographie, 4. 5. Theil.

§. 552. Wicleffi initia.

Inter eos, qui novas hac periodo haereses condiderunt, pertinet Joannes Wicleff, Anglus, inde ab anno 1368. theologiae in universitate Oxoniensi professor. Is primo in monachos, quibus locum suum in instituto quodam theologico, approbante pontifice cedere debuit, ore et calamo vehementer invectus est, omnes abusus in ecclesia, imo omnia mala in mundo ab eis derivavit, et 50 haereses ac errores eis attribuit. Cum etiam in litigationibus inter pontificem et regem Eduardum III., hujus causam semper fervide propugnaret, legatis a. 1374. Avenionem missis, ut de abrogatione reservationum et annatarum tractarent, additus est. Post reditum suum non minus contra pontificem, quam contra monachos declamavit, eumque inter alia convicia antichristum, tonsorem ovium, crumenisecam nominavit. Quibus cum alia adderet, clericorum potestati et juribus adversa, viri doctrinae Catholicae stu-

diosi a. 1376. 19 articulos ex ejus praelectionibus et concionibus desumtos ad pontificem miserunt. In iis pontifici jus dominii temporalis, clero potestas ligandi et solvendi, speciatim excommunicandi, superioribus ecclesiasticis jus, conscientiae casus sibi servandi abjudicatum, assertumque erat, principes non tantum juste corrupto statui clericali bona adimere posse, sed etiam id apud Deum eis merito esse, imo eos sub poena aeterna ad hoc faciendum teneri. Pontifex, Gregorius XI. archiepiscopo Cantuariensi et episcopo Londinensi, ut in Wicleffum inquirerent, ejusque confessiones sibi scriptas transmitterent, mandavit. Ille judicibus suis a. 1378. scriptum tradidit, quo assertiones suas in mitiorem quidem sensum explicavit, minime vero retractavit. Eum tamen non condemnatum fuisse, inde venit, quia aulae, procerum potentissimorum, et populi quoque favore ac patrocinio fruebatur, non tantum propter suas de bonis ecclesiasticis et de regis in ecclesiam potestate assertiones, sed etiam quia Angli alioquin animo a sede pontificia tunc temporis alieni erant, partim propter beneficia, peregrinis passim collata, partim propter annatas aliasque pecuniarum exactiones, partim quod aula pontificia e Gallis plerumque constaret, quos inter et Anglos veteres simultates eo tempore vehementer fervebant. Ipsa regina vidua, Richardi II. tunc impuberis mater, episcopis judicium definitivum contra Wicleffum ferre interdixerat, et Londinensium magnus numerus ad sedem archiepiscopi Cantuariensis, ubi judicium habebatur, convolarat, magno clamore eum defendentium. Igitur judices nihil ausi sunt, nisi Wicleffo interdicere, ne in posterum doctrinas illas sive ex cathedra, sive e s. suggestu proponeret, quod interdictum ille tam parum curavit, ut etiam deteriores traderet, et v. g. nunc assereret, clericos dominium temporale exercentes peccatum mortale committere.

§. 533. Ejus haereses.

Praeterea Wicleffus inde ab anno 1381. in suis praelectionibus doctrinam Catholicam de eucharistia impugnavit, imo haereticam pronuntiavit, in 16 thesibus, ad publicam disputationem propositis contendens, panem et vinum eucharisticum nonnisi signum virtuale corporis Christi esse. Disputatio quidem ab Oxoniensibus theologiae doctoribus impedita est, nihilominus Wicleffus non exiguum numerum membrorum universitatis sibi consentientem habuit. Sed cancellarius, multique theologiae et juris canonici doctores theses Wicleffi publice condemnarunt, easque sub poena carceris proponi vetuerunt, quo facto ille regem appellavit. At nunc, cum jam fidei Catholicae essentia tangeretur, ex cujus impugnatione potestati civili nullum emolumentum enascebatur, dux Lancasterianus, regni administrator, alias Wicleffi patronus fervidissimus, eum de illa materia silere, et ecclesiae doctrinae se submittere jussit. Wicleffus reapse aliquam fidei confessionem composuit, dictionibus scholasticis, obscuris et incertis plenam, quae retractationis instar esset, sed veram retractationem non continebat. Ille potius sententiam suam proponere et defendere pergebat, quapropter munus professoris ei a rege ademtum est. Hoc non obstante numerus illorum, qui ei assentiebant, Oxoniae eo tempore plurimum augebatur. Eo magis necessarium archiepiscopo Cantuariensi visum est, haereticas doctrinas, quales Wicleffus jam plures protulerat, solemniter condemnare. Hunc in finem a. 1382. Londini synodum celebravit, cui 7 episcopi et multi theologiae ac juris canonici doctores interfuere. Ab his assertionum, e Wicleffi scriptis extractarum aliae haereticae, aliae erroneae judicatae sunt. Ex illis erant: substantiam panis et vini etiam post consecrationem in eucharistia adesse, neque Christum realiter esse praesentem; missae sacrificium ab eo non esse institutum; homini vere con-

trito confessionem peccatorum coram sacerdote inutilem esse; episcopum aut presbyterum peccato mortali affectum baptizare, consecrare, et ordinare non posse; papam vitiosum non aliam in Christianos potestatem habere, quam ab imperatore sibi concessam; post mortem Urbani VI. non amplius pontificem eligendum esse; temporalia clericorum bona s. scripturae repugnare. Ex istis: praelatis non licere, excommunicare quemquam, et si clericum excommunicent, qui regem appellarit, eos in Deum, regem, et totum regnum perfidos esse; dominos saeculares et praelatos peccato mortali excidere dignitate sua et potestate; ordinum monasticorum fundatores hac fundatione peccasse; qui ejusmodi ordinem amplectitur, eo ipso mandatis divinis minus habilem fieri, monachosque non esse Christianos. Ad haec Wicleffus defensionem scriptam edidit, qua etiam ostendere conabatur, nonnullas propositionum damnatarum, non eo quo exhibitae fuerint, modo et sensu aut tenore a se traditas fuisse, speciatim, se non dixisse, Deum diabolo obedire debere. At certe Wicleffus docuerat, ut ex ejus scriptis patet, omnia ex absoluta necessitate fieri, Deum certo quodam respectu peccatum velle, eundem quamlibet creaturam ad singulas ejus actiones necessitare. Rex perversitate propositionum damnatarum intellecta archiepiscopo ejusque suffraganeis facultatem concessit, omnes, qui eas addituri essent, tanquam haereticos comprehendendi, universitatis autem cancellario et procuratoribus mandavit, ut Wicleffi asseclas diligenter explorarent, ex urbis Oxoniensis ditione ejiciendos. Haec regis decreta mandante archiepiscopo cancellarius, frustra oblocutus, nec sine turbis promulgavit, quibus ferventibus Wicleffus in parochiam, olim ab aula sibi collatam se recepit. Ibi commorantem Urbanus VI. eodem anno 1382. Romam evocavit, cui evocationi in epistola ad pontificem scripta, correptionibus aspersa, sub praetextu, se a Christo retineri, obedire recusavit.

Scilicet apoplexia tunc laborabat, qua etiam exeunte anno 1384. mortuus est.

§. 534. Aliae ejus sententiae.

Praeter errores, hactenus commemoratos, Wicleffus multos alios quamplurimis doctrinis Catholicis adversos protulit, sicut ex ejus scriptis apparet, inter quae, sat numerosa, primarium fere locum tenet ejus trialogus, seu dialogorum libri quatuor, compendium theologicum, doctrinas dogmaticas et morales consueto ordine exhibens, nomen autem inde sortitum, quia materia per modum colloquii inter tres theologos, Alithium, Pseudin, et Phronesin pertractantur. Wicleffus ergo etiam negavit, sacramento confirmationis Spiritum s. conferri; extremam unctionem in hominis animum operari; indulgentias dixit esse figmenta et merces pontificis ac monachorum; quae vulgo censetur ecclesia, esse tantum de nomine, veram ecclesiam justorum hominum complexum esse. Praeterea cantum ecclesiasticum vocalem et instrumentalem improbavit, et benedictiones rituales, dies festos, excepto nativitatis et resurrectionis Domini, abrogatos voluit, canonizationes superstitioni et avaritiae attribuit, atque etiam contra sacras imagines, peregrinationes, jejunia, caelibatum clericorum varie excepit. Universim, rejecta sanctorum patrum et ecclesiae auctoritate nihil credendum esse statuit, quod non contineatur in s. scriptura, litteraliter interpretanda, cui jam a primis studiorum suorum theologicorum annis assiduam operam navaverat, et quam etiam in linguam patriam transtulit. Ex his intelligitur, Wicleffum in eo fuisse versatum, non ut unam alteramve ecclesiae doctrinam aut institutionem rejiceret, sed ut totum potius ecclesiae Catholicae systema innovaret, quod etsi non ipse efficeret, spem tamen prodidit, fore, ut Christiani omnia instituta et decreta, in s. scriptura non contenta abjiciant. In hoc suo conamine vir maledicus, superbia elatus, in su-

periores suos ecclesiasticos immoriger et contumax, patrocinio saecularium, quibus inserviebat, fretus, plus conviciis et argutiis sophisticis, quam solidis argumentis utebatur, cujus ingenium etiam ex hujusmodi sententiis aestimare licet: bella gerere, hominem quacuncque ex causa, etiam propter crimina occidere, nemini licere; omnem creaturam sensibilem, qua res sancta significari possit, esse sacramentum, adeoque multo plura quam septem esse sacramenta; mundum ad restituendum numerum angelorum, lapsis minutorum creatum, eoque restituto destruendum esse; Deum etiam asinum, si vellet, fieri posse. Universim Wicleffus, quae non capiebat, impossibilia, quae sibi non placebant, maledicta nominare solebat.

§. 535. Ejus asseclae.

Simili spiritu ejus asseclae animati erant. Inter errores ab eis fotos, praeter illos, qui de magistro eorum commemorati sunt, sequentes adhuc leguntur: sanctos non esse invocandos, tum quod nihil valeant, tum quod multi eorum, qui coluntur, in tartaro sint; jurare omnino non licere; neminem in regnum coelorum venire posse, nisi qui omnes facultates suas inter pauperes distribuerit, speciatim clericos paupertatem colere oportere; missarum stipendia largientem non minus quam sacerdotem ea accipientem maledictum esse; maledictos pariter esse pontificem, cardinales, omnesque clericos superiores. Mores tamen externi Wicleffitarum integri erant, siquidem in habitu graves, in victu temperantes, ab oblectationibus alieni, laboriosi fuisse, et frequenter aut ipsi didicisse, aut alios in religione iustituisse scribuntur. Quibus in rebus cum Lollhardis, cuidam ascetarum generi in Belgio similes essent, horum etiam nomen, in detrimentum eorumdem sortiti sunt. Wicleffitae etiam post mortem auctoris sui, numero magis magisque creverunt, imprimis Oxonii, non tantum inter membra universitatis, sed etiam

inter

inter cives. Hinc rex, a senatu rogatus episcopis mandavit, ut efficacissima contra istam haeresim media adhiberent. Igitur archiepiscopus Cantuariensis a. 1396. Londini concilium congregavit, in quo 18 haereses e Wicleffi trialogo condemnatae sunt. Idem in alio concilio, a. 1408. Londini celebrato, sub poena in promotores haeresum statuta interdixit, ne quis clericus aut monachus sine speciali licentia verbum Dei praedicaret, ne quis de sacramentis aliter doceret aut loqueretur, ac docet ecclesia, ne quis librum a Wicleffo aut alio quopiam recentiorum conscriptum, a pontifice non approbatum legeret, ne biblia in liuguam vernaculam transferrentur. Verum ejusmodi interdicta sectam non multum minuebant. Hinc jam supplicia adhibebantur, et speciatim a. 1413. prope Londinum multi Wicleffitae, inter quos nobiles et sacerdotes erant, combusti sunt. Quae supplicia cum contra eos continuarentur, in Anglia paulatim expirarunt. Cum haud pauci eorum ad ea evitanda patriam reliquissent, scripta quoque auctoris sui secum attulissent; in aliis terris, nominatim in Bohemia, Wicleffitae exorti et propagati sunt. Hinc postquam Joannes papa XXIII. in synodo a. 1413. Romae habita, plura Wicleffi scripta condemnasset; concilium Constantiense a. 1415. in sessione octava 45 articulos ex ejus scriptis extractos tanquam haereticos, vel erroneos, vel scandalosos proscripsit, simulque decrevit, ut ejus libri comburerentur, ejus ossa autem exhumarentur, quae episcopus Lincolnensis anno demum 1428. in ignem conjici curavit.

Henric. de Knyghton de eventibus Angliae. Thomas Walsingham historia Anglic. major. D'Argentri collectio judiciorum de novis erroribus. Gilpin Lebensbeschreibung der bekanntesten Reformatoren vor Luthern. Aus dem Englischen.

§. 536. Initia Hussii.

Nullibi sententiae Wicleffi majorem approbationem invenerunt, quam in Bohemia, quod inde potissimum

venit, quia Pragae jam inde a medio saeculo 14. nonnulli sacerdotes communioni sub sola specie panis, caelibatui clericorum, et linguae Latinae in liturgia eo magis adversati fuerant, quod haec omnia in ecclesia Graeca, a qua Bohemica originem suam repetit, alia essent, et contra monachos, clericos, episcopos, ipsumque pontificem dictis et scriptis exarserant; cui causae accesserunt Waldenses, qui in Bohemia refugium quaerentes, doctrinas et sententias suas, illis affines, ibidem in occulto spargebant. Sacerdotibus illis longius progressus est Joannes Huss, in pago Hussinecz in Bohemia australi, a. 1373. natus, ab anno 1398. theologiae in universitate Pragensi professor, et ab anno 1402. concionator in sacello quodam Pragensi, Bethlehem dicto, simulque reginae confessarius, regis quoque favore fruens, moribus integris, imo severis praeditus, ad haec facundus, et in alloquio ac conversatione suavis. Quamquam in sacris suis sermonibus corruptos mores severe castigabat, et nulli hominum generi parcebat, ab initio tamen sententias heterodoxas respuit, et scripta Wicleffi, a quodam litterarum studioso, Oxonio, ubi litteris vacaverat, allata deleri suasit. Postea tamen auctoribus duobus Anglis, qui quaestiones, menti Wicleffi conformes in universitate Pragensi disputationi proposuerunt, et testimonium universitatis Oxoniensis, laudibus Wicleffi plenum exhibuerunt, huic adeo conciliatus est, ut ejus scripta diligenter pervolveret, ipsum coram populo sanctum praedicaret, seque cum illo eodem quondam loco conjungi optare diceret. Exinde non tantum contra pontifices, alioquin propter schisma, quod tunc ecclesiam Latinam scindebat, despectos, et contra malos clericorum mores vehementer declamabat, sed etiam quosdam Wicleffi libros, doctorum Pragensium dehortationes nihil curans, in linguam Bohemicam transtulit, et nobilioribus Bohemorum ac Moravorum communicavit. Quapropter Sbinko, archiepiscopus Pragensis eum a. 1409. apud

Alexandrum V. pontificem accusavit, cujus jussu archiepiscopus, ne quis verbum Dei in sacellis privatis praedicaret, sub poena excommunicationis interdixit, et scripta Wicleffi aliorumque similiter sentientium, in palatio suo concremari curavit, id quod regi et universitati, praecipue vero Pragensibus Hussii asseclis adeo improbabatur, ut etiam caedes propterea committerentur, et archiepiscopus cantilenis publice impeteretur. Hussius autem non tantum facta provocatione ad pontificem melius informandum contra interdictum archiepiscopi in sacello Bethlehem concionari pergebat, sed eum etiam propter libros concrematos ibidem coram concione vituperabat. Praeterea effecisse scribitur, ut opifices, imo mulieres ex bibliis in vernaculam translatis publice cum sacerdotibus disputarent, contenderentque, neminem praeter Hussii asseclas verbum divinum cum efficacia et sanctitatis spiritu praedicare posse.

§. 537. Ulteriora ejus coepta.

Ad haec Hussius a clero Pragensi, cujus vitia in concionibus suis frequenter et vehementer increpabat, tanquam haeresum disseminator iterum ad pontificem delatus est. Cum Romam evocatus sub praetextu periculi, ab inimicis sibi imminentis non comparuisset, ibi, non obstante legatione, a rege, nobilitate et universitate ad eum excusandum missa, haereticus judicatus, cum asseclis excommunicatus, concionandi munere probibitus, et quivis locus, in quo moraturus esset, interdicto subjectus est. Verum rex Wenceslaus hanc sententiam executioni dari non permisit, Hussius autem a. 1411. ab ea ad concilium generale provocavit, jamque plura scripta ad sui et Wicleffi defensionem composuit, in quibus inter alia contendit, illos, qui propter excommunicationem humanam verbum Dei annuntiare cessent, hoc ipso excommunicationem divinam incurrere, Christique proditores esse, et tempo-

ralia clericorum bona esse eleemosynas, quas domini saeculares male utentibus omnino auferre possint. Anno 1412. indulgentiae plenariae, quas Joannes XXIII. pontifex omnibus, sive armis, sive pecuniis contra Ladislaum, Neapolis regem se adjuturis offerebat, permittente rege Pragae annuntiabantur. His vehementissime se opposuit, tam in praelectionibus academicis, quam in sermonibus Bethlehemiticis Hussius, ejusque sectator primarius, Hieronymus, vulgo Pragensis dictus, ex nobili Bohemorum genere, qui, quamquam liberalium artium magister et theologiae baccalaureus factus fuisset, ordinem tamen clericalem nullum unquam suscepit, sed tanquam eques in aula regis versabatur, caeterum Hussium eloquentia et eruditione superabat, clericorum reformandorum cupidissimus, et ad omnis generis violentias in eos pronus erat. Is jam occasione librorum, curante archiepiscopo concrematorum, tres Carmelitas, quod Wicleffum in concionibus suis impugnassent, in carcerem, et unum ex iis postea in fluvium projici jusserat, nunc autem concionatorem, qui indulgentias pontificias populo commendaverat, per asseclas suos comprehensum una cum bulla pontificia indulgentiarum per urbem circumvehi jussit, quibusdam exclamantibus, bullas seductoris populi comburendas esse, quod deinde reapse in foro factum est. Hussius autem non tantum senatui regio et Albico novo archiepiscopo, ad silentium hortanti non obedivit, sed etiam publicam de bulla pontificia disputationem in universitate instituit, ad quam magnus populi concursus factus est, quem Hussius et Hieronymus, universitate per Deum omnesque sanctos, ut a coeptis absisterent, sed frustra, eos obtestante, aliis quoque modis contra indulgentias pontificias excitare conabantur. Effectus horum omnium erat, ut sequenti die Dominica litterarum studiosi et opifices in pluribus ecclesiis concionatores, indulgentias commendantes, conviciis interrumperent, eos impostores, papam anti-

christum inclamarent. Cum magistratus tres eorum insolentissimos in curia decollari jussisset, plebs effractis foribus, corpora eorum abstulit, et in sacello Bethlehem condidit, Hussius autem panegryricum de eis dixit, eosque martyres praedicavit.

§. 538. Ejus errores.

Hussius praeterea disputationem suam contra indulgentias scriptam edidit, in qua pontifici omnique clero potestatem ligandi et solvendi, peccata remittendi, indulgentias concedendi abjudicavit. In aliis scriptis, qualia a. 1412. et —13. multa composuit, alios errores tradidit, velut: ad obtinendam a Deo remissionem peccatorum contritionem sufficere; fidem, seposita patrum et ecclesiae auctoritate, e sola s. scriptura hauriendam esse; ecclesiam Catholicam nonnisi ex praedestinatis ad vitam aeternam constare; Christum solum esse caput ecclesiae, non autem pontificem, quo ecclesia non indigeat, quique ante Constantinum M. caeteris episcopis major non fuerit. In libro de abolendis sectis et traditionibus humanis ordines monasticos cum regulis eorum abrogatos voluit; in alio de pernicie traditionum humanarum, leges et instituta ecclesiastica a diabolo introducta esse contendit. In libro de mysterio iniquitatis antichristi contra cultum sanctorum varie excepit. In libro, omnium vehementissimo, de sacerdotum et monachorum abhorrenda abominatione desolationis in ecclesia Christi, descriptiones, quas prophetae de turpibus sacerdotum Judaicorum moribus habent, ad praelatos, presbyteros, monachos, et ipsum summum pontificem transtulit. Negari non potest, inter opprobria, quae Hussius contra clerum protulit, complura fuisse, quae veritate nitebantur. Sed errores, quos ei exprobrat v. g. sacerdotem in missa Christi corpus creare, credendum esse in pontificem, in B. Mariam, in sanctos, in nimiis potissimum expressionibus constabant. Nec fugere poterat Hussium, ex tanta, quam

efficere conabatur, cleri dejectione, religioni et moribus solidum incrementum enasci haud posse. Sed zelus ejus indiscretus, cui sine dubio superbia de propria integritate suberat, eum hoc advertere non permisit, effecitque, ut omnem sacram potestatem a statu morali dependentem redderet, et propter perversum hunc statum plane tolleret. Ad impunitatem, qua tamdiu fruebatur, non parum contulit incuria et ignavia Albici archiepiscopi. Postquam autem hic exeunte anno 1412. muneri suo renuntiasset, ejus successor Conradus Hussium ejusque asseclas ad subjectionem sub pontifice provocavit. Quod cum frustra fecisset, synodo Romana, quae a. 1413. Wicleffi scripta condemnavit, et Hussium denuo excommunicavit, excitatus, insuper a Gersonio ad zizania ex agro Domini evellenda admonitus, rege jam consentiente, et contra propugnatores 45 articulorum Wicleffi exilium statuente, urbem Pragensem propter Hussii in ea commorationem interdicto subjecit. Inde compulsus iste, postquam Jesum Christum appellasset, Praga excessit, et in locum natalem se contulit, ubi declamationes suas contra pontificem et doctrinam Catholicam, populo undique accurrente continuavit.

§. 539. Hussius Constantiae.

Cum eo tempore concilium Constantiense indictum esset, Sigismundus imperator, motus circa religionem in Bohemia excitatos compositurus, Hussio, ut coram illo doctrinae suae rationem redderet, praecepit. Is ad hoc faciendum alioquin pronus, nobilibus quibusdam Bohemis, quos rex Wenceslaus ei addidit, comitibus, eo securius mense Octobri anni 1414. Constantiam profectus est, quia imperator litteras liberi commeatus ei concessit. Ibi praesenti ab initio quidem nihil timendum esse videbatur, imo pontifex, consentientibus cardinalibus excommunicationem contra eum pronuntiatam sustulit. Verum cum non multo post duo theologi

Pragenses Constantiam profecti, in litteris publice affixis Hussium tanquam haereticum proposuissent, et assertiones heterodoxas ex ejus scriptis extractas pontifici et cardinalibus tradidissent; ille custodiae traditus, eoque magis in ea detentus est, quia ejus adversarii porro eum accusabant, 45 articulos Wicleffi, quos universitas Pragensis rejecerat, eum solum defendisse, laicos ad persequendum clerum excitasse, principesque ad bona ei adimenda hortatum esse, omnes haereticos ab ejus parte stare, unde timendum sit, eo liberato et in Bohemiam dimisso, latissimam in Germannia insurrectionem et persecutionem contra clerum et ecclesiam Catholicam orituram esse. Sigismundus, postquam Constantiae advenisset, et litteras securitatis Hussio a se concessas violatas audiisset, primo quidem indignatus eum libertati reddi jussit, postea tamen concilii patribus cessit, rogantibus, ne concilii libertatem in extirpanda haeresi restringeret, imo, si quo minus in Hussium animadvertere possent, impediret, discessum minitantibus. Sequenti anno 1415. causa Hussii in multo deterius vergebat, partim per adventum et fugam primarii ejus sectatoris, Hieronymi Pragensis, cujus in clerum violentiae in recenti multorum memoria erant, partim per novos motus, quos eo tempore Jacobus de Misa, ab exigua corporis statura Jacobellus dictus, parochus Pragensis ad S. Michaelem et philosophiae doctor, de calice eucharistico, laicis concedendo excitabat. Is nempe a quodam Waldensi, Petro, ab urbe natali, Dresdensi dicto, e patria Pragam profugo excitatus, a. 1415. publice docere coepit, calici eucharistici perceptionem cuivis ad salutem necessariam esse. Quamquam clerus Pragensis ei contradiceret, et archiepiscopus eum excommunicaret, tamen alio parocho sibi adstipulante, sententiam suam auditoribus persuadere non desistebat, eo quidem effectu, ut multi laici Pragae, et paulatim etiam extra urbem per Bohemiam calicem eucharisticum sibi exposcerent, et a

sacerdotibus etiam acciperent. Idem Jacobellus sententiam suam contra professores Pragenses et theologos quosdam Constantiae versantes, qui eum impugnabant, scriptis defendit, et praeterea bona clericorum temporalia et decimas, meras eleemosynas esse contendit, a dominis saecularibus propter malos illorum mores auferendas, pontificem vero simplici sacerdote majorem non esse. Hussius de distributione calicis inter laicos edoctus, eam quidem approbavit, non tamen necessariam, sed tantum utilem et institutioni Jesu Christi consentaneam censuit, quapropter, quamquam propter hanc novationem, ab ejus consortibus in Bohemia susceptam, multorum Constantiae praesentium indignatio contra eum augebatur, a concilio tamen alicujus in hac re erroris accusatus non est.

§. 540. Ejus condemnatio.

Iteratae et graves, quas Bohemi, Hussii comites, concilio exhibebant, quaerimoniae, effecerunt, ut tandem ejus causa inde a 5. Junii anni 1415. publice pertractaretur. Post varias accusationes, quas Hussius magna ex parte diluit, 39 articuli, ex ejus scriptis excerpti, tanquam condemnatione digni propositi sunt. Ex his illi, quos Hussius tanquam suos agnovit et approbavit, adstruebant, ecclesiam constare e solis praedestinatis, nullo peccato, nulla excommunicatione ab ea avellendis; Petrum nunquam ecclesiae caput, neque universalem omnium Christi ovium pastorem fuisse; visibile ecclesiae caput non esse necessarium, siquidem tempore apostolorum ecclesia sine tali capite optime recta fuerit; Romanum pontificem tum tantum Christi vicarium esse, si ad praedestinatos pertinet, et Christo ac Petro moribus similis est, secus eum esse vicarium Judae Ischariotis; pontificem, episcopos, praelatos, principes quoque saeculares haec dignitatum nomina non mereri, si peccatum mortale commiserunt; Christum nec Petro, nec caeteris apostolis aliquam

jurisdictionem contulisse; obedientiam ecclesiasticam figmentum esse sacerdotum; censuras ecclesiasticas esse antichristianas, et a clero ex dominandi libidine introductas; probo presbytero excommunicationem non curandam, eaque non obstante verbum Dei praedicandum esse; omnes vitiosi actiones moraliter malas, virtutis studiosi omnes bonas esse; non omnes Wicleffi articulos proscriptos haereticos esse. Jamque concilium ab Hussio postulavit, ut singulos articulos, contra se prolatos erroneos profiteretur, et errores in eis contentos abjuraret. Sed ad hoc faciendum nullo modo permoveri potuit, semper dicens, se ad abjurandum paratum esse, dummodo e s. scriptura erroris convincatur. Igitur in sessione 15., sexto Julii anni 1415. celebrata, tanquam pervicax haereticus condemnatus, dignitate sacerdotali privatus, brachchio saeculari traditus, et vivus concrematus est, cineres autem in Rhenum projecti sunt. Articuli, quibus Hussii condemnatio a concilio superstructa fuit, non quidem essentiales fidei doctrinas concernunt, attamen potestatem ecclesiasticam et regimen sacrum fere totum evertunt, atque ad condemnandum auctorem, pertinaciter eis inhaerentem eo magis sufficiebant, quia illis temporibus etiam minus essentialium doctrinarum rejectio tanquam haeresis puniebatur. Hinc ad Hussii condemnationem explicandam neque ad conatus cleri Bohemici, per eum contemtui et persecutionibus expositi, neque ad inimicitiam Nominalium, ei tanquam Realistae adversantium, neque ad odium Germannorum, per eum juribus suis in universitate Pragensi privatorum confugere opus est, quae omnia ad summum id effecerunt, ut ei gratia non concederetur. Caeterum ex ejus historia apparet, Hussium praeter ea, ob quae a concilio damnatus est, in multis aliis graviter deliquisse, et s. scriptura sola credendorum norma statuta, alterum e fundamentis religionis Catholicae aggressum fuisse, quamquam

in rejiciendis ejus doctrinis non eo usque ac Wicleffus processerit.

Aeneas Sylvius historia Bohem. J. Cochlaeus histor. Hussitarum. Lenfant hist. du concil. de Constance. Zachar. Theobald Hussitenkrieg, darinnen begriffen das Leben, die Lehr, der Tod M. Joannis Huss. Pelzel Lebensgeschichte des Röm. und Böhm. König Wenzel. Gilpin lib. cit. Tischer Leben Hussens. Leipzig. 1798.

§. 541. Motus in Bohemia post mortem Hussii.

Eadem, quae in Hussium, sors cecidit in Hieronymum Pragensem. Is secundum promissionem, magistro, Constantiam abeunti datam, mox eodem profectus, sed cum litteras securitatis a concilio impetrare non posset, in Bohemiam reversus, at in Palatinatu superiori interceptus, vinctus Constantiam reductus fuerat. Ibi a concilio ad abjurandas opiniones suas haereticas saepius admonitus, tandem post Hussii mortem, 23. Septembris omnes haereses, ab hoc et Wicleffo traditas, nec non alias quasdam opiniones philosophicas et theologicas sibi proprias coram concilio damnavit. Verum cum ei non satis fidendum esse videretur, libertati non restitutus, sed denuo ad rationem de novis opprobriis sibi factis reddendam vocatus est. In ejusmodi examine 26. Maji anni 1416. inopinate protestatus est, se nonnisi metu mortis fractum doctrinas sibi propositas contra conscientiam suam abjurasse, Hussium et Wicleffum sibi viros sanctos et veritatis doctores esse, quibus in omnibus consentiat, excepta posterioris doctrina de eucharistia. Huic contestationi cum abhinc constanter inhaereret, capitis damnatus et ignis supplicio affectus est, quod non minori quam Hussius fortitudine ac animi tranquillitate sustinuit. Eorum in Bohemia asseclae inde contra concilium et universum clerum Catholicum vehementer exacerbati fuerunt; nobiles in litteris ad concilium datis Hussium

virum orthodoxum et moribus integrum, illos autem, qui Bohemiam haeresi infectam dicant, mendaces, proditores, haereticos, et filios diaboli nominarunt; plebeji vero ad sacellum Bethlehem confluentes, Hussium et Hieronymum inter sanctos martyres retulerunt, quorum natalitia quotannis celebranda essent. Ordines Bohemici universi a. 1417. ab universitate Pragensi, quid de calice eucharistico sentiendum sit, exquisiverant, etsi concilium Constantiense ante duos annos doctrinam et praxim, Catholicis circa illum observandam solemniter definivisset. Cum enim duce Jacobo de Misa multi Bohemorum, imprimis Hussii sectatores, perceptionem calicis cuivis ad salutem necessariam, eumque laicis denegare, sacrilegium dicerent, concilium sessione 13., paucos ante Hussii mortem dies, decretum promulgavit, quod praeter alia habebat, firmiter credendum esse, totum Christi corpus et omnem ejus sanguinem sub unaquaque tam panis quam vini specie contineri; ad quaedam pericula et offendicula evitanda, auctoritate ecclesiae et sanctorum patrum, consuetudinem, ut a laicis sola panis species percipiatur, introductam fuisse; hanc consuetudinem jam diu observatam vim legis habere, quam pro arbitrio et absque ecclesia mutare non liceat. Eos ergo, qui legem istam sacrilegam aut observatu illicitam declarent, errare, et si huic errori pertinaciter inhaereant, haereticos esse, ab episcopis vel inquisitoribus haereticae pravitatis secundum leges graviter puniendos. Ex hoc decreto palam est, concilium Constantiense usum, eucharistiam sive sub utraque sive sub alterutra specie percipiendi, tanquam rem ad variabilem disciplinam, ecclesiae dispositioni obnoxiam considerasse, cujus judicii veritas tum exemplis eucharistiae, jam in antiquissima ecclesia in singularibus casibus sub alterutra tantum specie perceptae, tum eo confirmatur, quod ecclesia Graeca Latinis panem azymum in eucharistia exprobrans, eorum tamen consuetudinem, calicem laicis denegandi illicitam non declaraverit. At Bohemi non obstante

concilii Constantiensis decreto opinioni suae tenaciter inhaerebant. Etenim non tantum Jacobellus apologiam pro communione plebis sub utraque specie edidit, sed ipsa etiam universitas Pragensis eandem veritati et saluti congruam in singulari scripto pronuntiavit. Hinc plurimi ex omnibus Bohemorum ordinibus eucharistiam sub utraque specie percipiebant, et Catholicos sibi adversantes diversis in locis supprimebant, concilii Constantiensis et Sigismundi imperatoris monita, jussa, et minas contemnentes. Eorum ausa plurimum promovit regis Wenceslai, clero non faventis, et de Hussii supplicio dolentis partim incuria, partim ignavia, qua Calixtinis seu Utraquistis mox a. 1418. plures Pragae ecclesias adjudicavit. Cum tandem turbulentum eorum animum exosus, eorum interitum meditaretur, Catholicique in eundem conspirarent, atque Martini V. pontificis in Bohemia legatus intempestiva contra Hussitas severitate uteretur; hi jam duce potissimum Joanne Ziska, nobili Bohemo fortissimo, sed et crudelissimo, in exercitum coaluerunt, Bohemiam pervagabantur, et ubique communionem sub utraque specie maximis cum violentiis introducebant. Speciatim in monte quodam prope urbem Austam congregati novam ibidem urbem quasi propriam suam sedem condiderunt, a tentoriis, primo ibi erectis Tabor dictam, unde et ipsi Taboritae vocati sunt. Anno dein sequenti 1419. Ziska cum numeroso suorum agmine Pragam petiit, ubi sacerdotem, consulem, praetorem, et senatores quosdam interfecerunt, duo monasteria expilarunt, monachos male tractarunt, multasque alias violentias et caedes commiserunt. Haec regem Wenceslaum adeo commoverunt, ut morbo correptus non multo post animam efflaret.

§. 542. Bellum Hussiticum. Factiones inter Hussitas.

Post mortem Wenceslai Hussitae, Sigismundum fratrem ejus et legitimum successorem propter viola-

tam erga Hussium fidem summopere exosi, suam vindictae cupidinem contra clerum Catholicum, cui interitum magistri sui adscribebant, crudeliter exsatiarunt. Ipso die obitus Wenceslai ecclesias Catholicas Pragae expilarunt et devastarunt; postea monasteria non tantum in urbe, sed etiam, duce Ziska, per totam Bohemiam vagantes, ubique locorum destruebant, monachos autem et sacerdotes Catholicos, quos comprehendere poterant, partim pessime habebant, partim interficiebant. Cum Catholici et Sigismundus armatam manum eis opponerent, anno potissimum 1420. bellum enatum est, quod Hussiticum dici consuevit, et usque ad annum 1434. duravit. In eo, quamquam imperator ab ordinibus Germannicis et a pontificibus, tres expeditiones cruciatas efficientibus adjutus, maximos exercitus in aciem duceret; Hussitae, licet numero longe inferiores, odio tamen in Catholicos et religionis zelo inflammati, atque a fortibus et rei militaris peritis viris, Ziska, et post hujus mortem a. 1424. utroque Procopio ducti, fere semper superiores erant, et non tantum totam patriam suam, sed etiam vicinas Austriae, Misniae, Lusatiae, Moraviae, Silesiae et Brandenburgi regiones igne ferroque foede vastarunt, et ad ordinem vix redigi potuissent, nisi inter eos ipsos dissensiones ortae fuissent. Cum enim mox initio belli, Bohemi Catholici cum Hussitis Pragensibus de eorum subjectione tractare coepissent, hi quatuor articulos, necessario sibi concedendos proposuerunt, quorum primo postulabant, ut verbum Dei per Bohemiam a sacerdotibus libere, i. e. sine praevia pontificis aut episcoporum approbatione praedicaretur; altero, ut eucharistia sub utraque specie omnibus laicis porrigeretur; tertio, ut clero bona temporalia, et omne dominium saeculare adimeretur; quarto, ut omnia peccata mortalia, speciatim clericorum simonia, exactiones pro functionibus sacris, decimarum, aliorumque censuum et tributorum, porro eorumdem concubinatus, fornicatio, litigationes etc. a quovis fideli secundum modum,

cujusvis statui convenientem puniri possint. Haec postulata Taboritis minime sufficiebant. Hi enim secundum fidei confessionem, eo tempore a se editam statuerunt, nihil credendum esse, nihil observandum, quod non in libris canonicis expresse contineatur, ac proinde omnia instituta, mere ecclesiastica, omnes ritus sacros, omnes doctrinas, traditione potissimum nixas, nominatim confessionem sacramentalem, purgatorium, invocationem sanctorum, abrogatas volebant. Praeterea ne in laicis quidem vestes pretiosas aut alium corporis ornatum tolerabant, liberalium artium studia et honores ac dignitates tanquam res inanes, Ethnicas, et Christi evangelio contrarias rejiciebant, atque per exaltatos quosdam sacerdotes decepti, tempus jam adesse opinabantur, quo Christus denuo in terram venturus, novum regnum, in quo nullum peccatum, nulla lex, nullus princeps foret, in ea conditurus sit, quem in finem jam ejus inimici, ii scilicet omnes, qui Taboritis non accedant, per ipsos extirpandi sint. Quae omnia, cum Hussitae moderatiores tanquam nimia reprobarent, a Toboritis jam recesserunt. Hi post mortem Ziscae ipsi in duas partes abierunt; alii nempe in ejus locum Procopium majorem, cognomine rasum, ducem sibi elegerunt; alii vero putantes, singulum quemquam ejus loco non dignum esse, sine capite esse maluerurt, et patre suo quasi orbati orphanos se dixerunt. Nihilominus inter eorum duces mox alius Procopius, minor dictus, caeteros omnes supereminebat. Attamen hae duae Taboritarum partes, quamquam separata agmina constituerent, minime sibi contrariae erant, sed necessitate exigente conjunctim agebant.

§. 543. Compactata Basileensia.

At Hussitae moderatiores, qui a principali suorum quatuor articulorum in praxim deducto Calixtini vocabantur, progressu temporis ecclesiae Catholicae accesserunt. Postquam Sigismundus imperator, et legatus

pontificius, cardinalis Julianus Cesarini, qui a. 1431. exercitum cruciatum in Bohemiam duxit, Hussitas ad subjectionem frustra hortati essent; concilium Basileense, eo tempore congregatum, auctore eodem Juliano, nunc praeside suo, eos ad dissidia componenda invitavit, atque concessa libertate, non tantum secure Basileae versandi, sed etiam articulos suos coram concilio exponendi et defendendi, effecit, ut legatos, qui de unione cum ecclesia Catholica tractarent, Basileam mitterent. Hic postquam initio anni 1433. advenissent, res ita instituta est, ut quatuor eorum theologi cum totidem Catholicis de singulis illis articulis disputarent. Quod quamvis sine optato eventu factum fuisset, concilium tamen ipsum non multo post legationem ex episcopis et theologis constantem Pragam misit, quae tandem effecit, ut Calixtini articulos suos diversimode mitigarent, et restringerent, atque sequenti eorum modificationi a concilio postea factae acquiescerent: peccata mortalia secundum leges divinas et ecclesiasticas, quantum fieri potest, non tamen a personis privatis puniantur. Verbum Dei omnino libere praedicetur, non tamen absque licentia superiorum ecclesiasticorum. Bona ecclesiastica a clero secundum praescripta patrum fideliter administrentur; qui eis potiatur, sacrilegium committere censendus sit. Eucharistia sub utraque specie laicis in Bohemia et Moravia concedatur, ea tamen conditione, ut sacerdotes, adultos diligenter edoceant, Christum sub quavis specie totum contineri. Calixtinos huic articulorum Pragensium restrictioni acquievisse, Hussitis rigidioribus seu Taboritis summopere improbabatur, unde latentes hactenus inter utrosque simultates mox in apertum bellum exarserunt, annoque sequenti 1434. haud procul a Praga proelium commissum est, in quo Taboritae ad internecionem caesi, et ambo Procopii occisi sunt. Jamque Calixtini et per hos coacti residui quoque Taboritae Sigismundo se subjecerunt, et omnes Bohemiae ac Moraviae ordines in publicis comi-

tiis a. 1435. ecclesiae Catholicae et sedi apostolicae solemniter obedientiam promiserunt. Haec unio inter imperatorem, concilium, et Bohemos inita, anno sequenti Iglaviae, adjectis quibusdam explicationibus confirmata est, atque compactata Basileensia aut etiam Pragensia nominari consuevit.

§. 544. Status ecclesiae in Bohemia usque ad regem Georgium.

Verum differentiae, quae inter Catholicos et Calixtinos remanebant, veram animorum concordiam et firmam pacem impediebant. Mortuo a. 1437. Sigismundo utraque pars de novo rege plurimum dissidebat. Tandem post litigationes, proelia quoque interna, et anarchiam a. 1441. in eo conventum est, ut usque ad pubertatem Ladislai, Sigismundi e filia nepotis, duo regni gubernatores, alter e Catholicis, alter e Calixtinis constitueretur. Sub posterioris successore, Georgio de Podiebrad, Calixtini a. 1448. cum urbe Pragensi Catholicum simul gubernatorem ceperunt, summaque rerum potiti illum solum regno praefecerunt. Toto tempore, quod inde a morte Sigismundi decurrit, Calixtini compactata diversimode violabant; bona enim ecclesiastica non reddebant, parvulis eucharistiam praebebant, communionem sub utraque specie necessariam esse contendebant, et Catholicos ad eam adigere conabantur. Imprimis Joannes Rokyczana, quem praecipuum suum theologum et primarium Pragae concionatorem Calixtini archiepiscopum Pragensem elegerant, Sigismundus autem a concilio Basileensi non confirmatum ad discessum ex urbe adegerat, quique nunc sub Podiebrado archiepiscopatum iterum administrabat, factionem suam propagare nitebatur, eumque in finem Catholicos varie exagitabat. Idem vero Taboritis quoque adversabatur, et in conventu, a. 1443. Kuttenbergae inter utramque partem instituto, cum primario eorum doctore disputavit. Taboritae, qui in urbe cognomine, ejusque vicinia sedes

suas

suas potissimum habebant, hac occasione suam fidei confessionem ediderunt, in qua praeter alia consuetum ecclesiae conceptum rejiciebant, duo tantum sacramenta, baptismum et eucharistiam, admittebant, posteriorem sacrificium et Christi corpus esse negabant, purgatorium figmentum dicebant. Iidem sermonum sacrorum audiendorum adeo studiosi erant, ut eorum negligentes etiam verberibus castigarent, sacros suos conventus plerumque in horreis celebrabant, ubi sacerdotes, quibus nonnisi alimenta praebebant, vulgari vestitu induti sacris operabantur, denique se invicem fratres vocabant. Disputationis exitus, ut plerumque esse solet, nullus quidem fuit; at vero in comitiis, a. 1444. Pragae habitis Taboritae tanquam haeretici condemnati sunt. Eodem anno legatus pontificius, cardinalis Carvajal, Pragam venit, ut Calixtinos ad observanda compactata permoveret, vel plane, si fieri posset, ad ecclesiam Romanam reduceret. Verum hoc conamen non minus, quam aliud a. 1447. susceptum, renitentia potissimum Rokyczanae irritum fuit. Eundem eventum habuerunt collationes, quas a. 1451. alius legatus pontificius cum magnatibus Bohemicis, et Aeneas Sylvius, episcopus Senensis, Friderici III. imperatoris legatus cum gubernatore Podiebrado instituit. Joannes de Capistrano in Italia inferiori, ordinis S. Francisci, celeberrimus sui temporis concionator, miraculorum fama clarus, a pontifice ad convertendos Hussitas ablegatus, in Moravia quidem ultra 4000 eorum ad ecclesiam Catholicam reduxit, sed a Podiebrado Bohemiam ingredi prohibitus est. Cum deinde a. 1453. Ladislaus fervore pro religione Catholica plenus, Pragae rex coronatus esset, Catholicos quidem superiores fore spes erat: sed haec spes a. 1457. cum vita juvenis regis extincta est.

§. 545. Sub rege Georgio.

Post mortem Ladislai regni gubernator, Georgius Podiebrad, cooperante potissimum Rokyczana rex Bo-

hemiae electus est. Is, quo Catholicos in terris suis et summum pontificem sibi conciliaret, ante coronationem jurejurando promisit, se huic obediturum, cum ecclesia in fide consensurum, et subditos suos ab omnibus haeresibus et sectis ad ecclesiae unitatem perducturum esse. Hinc pontifices Calixtus III., ejusque a. 1458. successor Pius II. eum sine haesitatione regem agnoverunt. Rex reapse etiam Taboritas aut compactata observare, aut patria excedere jussit, sed in minis tantum haesit. E contra in favorem Calixtinorum, quorum dux Rokyczana, propter jusjurandum emissum, contra Georgium vehementer declamabat, et plane ad alium in ejus locum regem eligendum auditores provocabat, decreta quaedam, propagandae eorum factioni accommodata confirmavit, duas tertias partes omnium munerum publicorum iisdem attribuit, et ut nonnunquam Catholici ad morem Calixtinorum amplectendum adigerentur permisit, ipse tamen eorum in religione libertatem non diminuit. Cum jam a. 1462. per legatos a Pio II. compactatorum Basileensium confirmationem peteret, pontifex hanc denegavit, eo quod sedes apostolica illa non noverit, et Bohemi eadem non observent; praeterea regem jurisjurandi de extirpandis haeresibus non observati arguit. Quapropter Georgius in comitiis post reditum legatorum suorum habitis acriter in pontificem invectus est, et legatum ab hoc missum, quod coram ordinibus opprobria et minas in se protulisset, custodiae tradidit, ac post sex demum septimanas dimisit. Ad haec Pius pontifex Romae processum judicialem contra Georgium regem informare coepit, sententiam autem ferre distulit, partim quod imperator pro eo intercederet, partim quod rex factum suum excusaret, et mandato pontificis, Wratislavienses, aliosque Catholicos, quos ab obedientia erga eum absolverat, et sub praesidium suum constituerat, non aggrediendi, prompte obediret. Accessit, quod Pius II. jam a. 1464. moreretur. Ejus successor Paulus II. eo potissimum adversus Georgium excitatus est, quod hic con-

tra vetitum pontificium nobilem quemdam Moravum, qui ei quasi haeretico obedientiam denegaverat, armis invasisset sibique subjecisset. Cum jam non multo post complures nobiles Bohemi, eo quod promisso de extirpandis haereticis, quales Calixtinos habebant, non staret, conjunctionem contra regem iniissent, atque ex Moravis quoque et Silesiis nonnulli eis accessissent; pontifex a. 1466. eum solemniter haereticum pronuntiavit, eique regnum abjudicavit. Anno sequenti excommunicationis sententiam contra eum repetiit, omnesque ejus subditos a jurejurando fidelitatis erga eum absolvit, atque Matthiam Hungariae regem ad terras ejus occupandas excitavit. Georgius a sententia pontificis ad concilium generale provocavit, et gravem contra eum apologiam edidit. Et quoniam multi ex nobilibus et civitatibus in Bohemia, Moravia, Silesia et Lusatia contra eum surgebant, numerosum exercitum ex illis collegit, qui in fide erga eum persistebant, inter quos Taboritae magno numero ad eum convolabant. Ita bellum internum in Bohemia exortum. Huic accessit externum, cum pontifex Germannos ad expeditionem cruciatam contra Georgium suscipiendam eo eventu adhortatus fuisset, ut ejus legatus numerosum agmen in Bavaria colligeret, quocum Bohemiam invasit. Ab altera parte rex Matthias Georgium aggressus est, et paulatim Moraviam, Silesiam, et Lusatiam occupavit, atque etiam a. 1469. a pluribus illius adversariis Bohemiae rex electus est. Verum Georgius in Bohemia saltim semper supersior mansit. Interim tamen diuturnum bellum pertaesus, pontifici reconciliari optavit, et hunc in finem plenam compactatorum observationem, imo nonnulla alia pontifici grata promisit. Verum dum de pace tractabatur, a. 1471. mortuus est.

§. 546. Sub rege Wladislao.

Sed ne nunc quidem Matthias ad possessionem Bohemiae pervenire potuit, quantumcunque a pontificibus

adjuvaretur. Bohemi enim Wladislaum, Casimiri Poloniae regis filium regem sibi elegerunt, qui a patre adjutus Matthiae eo successu restitit, ut in pace, a. 1479. facta, Bohemiam retineret. Eodem tempore in comitiis Bohemorum compactatis post publicam praelectionem approbatis, Calixtinis liberum religionis exercitium confirmatum, statutumque est, eos haereticos non censendos esse. Sed postquam partes in religione dissidentes hactenus mutuam pacem coluissent, nunc plures inter Calixtinos Pragenses, imprimis quidam turbulenti presbyteri, Catholicis praevalere cupientes, postulabant, ut rex eorum ecclesiae accederet, et sub utraque communicaret, aut regno se abdicaret, convicia contra eum publice proferebant, et cantilenas in pontificem, clerum, et doctrinam Catholicam confecerunt, quas eorum asseclae in urbis plateis decantabant. Hinc castigati, et ex Bohemia expulsi sunt. Pontifex autem Bohemorum quemquam ad sacros ordines promoveri prohibuit. Attamen a. 1482. depositus quidam episcopus Italus, nomine Augustinus Lucianus in Bohemiam profectus, sacros ordines pro pecunia cuivis conferebat; qui, cum etiam communionem sub utraque approbaret, a Calixtinis Pragensibus episcopus eorum constitutus est. Hi anno sequenti, eo quod senatus Pragensis, remotis Hussitis nunc totus Catholicus, eorum concionatoribus contra pontificem declamare interdixisset, furibundi seditionem excitarunt, senatores plurimos varie occiderunt, monasteria plura irruerunt, monachos et moniales aut male tractarunt, aut interfecerunt. Tandem in novis comitiis, a. 1485. Kuttenbergae celebratis, Catholici et Calixtini mutuo sibi pacem confirmarunt, statueruntque, ut eam quomodocunque laesuri, presbyteris non exceptis, e patria ejicerentur, et cuivis parocho decedenti alius ejusdem partis, ad quam decedens pertinebat, successor daretur. Ab hoc tempore usque ad mortem Wladislai, quae a. 1516. evenit, pax inter Catholicos et Calixtinos, quibus

rex a. 1497. proprium episcopatus eorum Pragensis administratorem concessit, turbata non est. Posteriores in communione cum ecclesia Romana constituti non erant.

Praeter libros supra allegatos Byzynii diarium belli Hussitici. Balbini epitome rerum Bohemie. L'enfant histoire de la guerre des Hussites et du concil de Basle.

§. 547. Fratres Bohemici.

Ex Calixtinis inde ab anno 1450. nova secta prodiit. Complures enim puriorem religionem desiderantes a reliquis secedebant, et post septem annos numero jam adeo aucti erant, ut proprios conventus sacros haberent, et fratrum nomine a reliquis distinguerentur. Rokyczana eorum separationem aegre ferens, regi Georgio eos quasi seditiosos, Taboritis similes, suspectos reddidit, quo facto nonnulli eorum, qui Pragam venerant, circa annum 1461. in vincula conjecti et cruciati sunt. Cunctos autem rex in regione quadam deserta ad montes Silesiae sita habitare jussit. Post aliquot annos apud Rokyczanam accusati sunt, quod graviores peccatores ab eucharistia arcerent, aut plane excommunicarent. Id ansam dedit, ut rex a. 1468. decretum emitteret, eorum in Bohemia et Moravia extirpationem intendens. Scilicet propter negatam transsubstantiationem et recusatam hostiae consecratae adorationem etiam Calixtinis maxime invisi erant. Sub rege Wladislao ab initio parum infestabantur. Sed ab anno 1499. inquisitores haereticae pravitatis in eos, quibus jam Picardorum et Waldensium nomen tribuebatur, animadvertere coeperunt. Anno 1503. rex ipse praecepit, ut ex omnibus urbibus pellerentur, eorum sacri conventus non tolerarentur, et nulla prorsus communio cum eis coleretur. Hinc fidei suae confessionem scriptam regi transmiserunt, e qua, sicut ex aliis ejusmodi scriptis ab eis editis, eorum religionis systema intelligitur. Rejiciebant nempe, exceptis antiquissimis symbolis, traditionem et ecclesiae auctoritatem in definiendis fidei doctrinis, nec non leges a Romano-Catholica la-

tas quasi verae pietati morumque honestati adversas, ejusque clerum et superiores ecclesiasticos quasi plurimum depravatos. Septem sacramenta quidem confitebantur, et inter haec poenitentiam cum peccatorum confessione coram sacerdote facienda, sed transsubstantiationem et sacrificium eucharisticum negabant, contra cultum sanctorum et purgatorium varie excipiebant. Mores eorum honesti erant, imo severi. Ad eos integros conservandos varia instituta ecclesiastica et domestica, et severam disciplinam ecclesiasticam introduxerant, vi cujus gravius delinquentes primo publice corripiebantur, deinde ab eucharistia arcebantur, tandem a communitate penitus segregabantur. Leges contra eos sub Wladislao latae, etiamsi novis subinde severitatibus augerentur, intentam eorum extirpationem tam parum effecerunt, ut in fine hujus periodi non tantum in Bohemia et Moravia, sed etiam in Polonia magno numero existerent.

Commenius ratio disciplinae ordinisque ecclesiast. in unitate fratrum Bohemor. etc. J. Gottlob Carpzov Religionsuntersuchung der Böhmischen und Mährischen Brüder.

§. 548. Joannes de Vesalia. Joannes Wessel. Hieronymus Savonarola.

Nimium augmentum decretorum pontificiorum et institutorum ecclesiasticorum, quae contra mentem auctorum abusibus in religionis negotio saepius augendis quam emendandis inserviebant, sine dubio praecipua causa erat, qua factum est, ut praeter Wicleffitas et Hussitas alii quoque viri, caeterum Catholici et bene sentientes, s. scripturae, seposita traditione et auctoritate ecclesiastica inhaererent, eoque praeter alios errores ad negandam potissimum sacram potestatem tum internam, tum externam abducerentur. Ex horum numero erat Joannes Burchardus, ab urbe natali communiter de Vesalia compellatus, prius circa medium saeculum 15. theologiae in universitate Erfordiensi doctor et professor, postea Wormatiae concionator. Is, dum professoris mu-

nere fungebatur, disputationem adversus indulgentias conscripsit, in qua contendit, pontificem indulgentiis nullas poenas divinas, sed tantum canonicas remittere posse, et thesaurum meritorum, utpote in coelo repositum, nemini hominum ad dispensationem praesto esse, unde indulgentias juxta consuetum de iis conceptum piam fraudem vocavit; praeterea privilegium inerrantiae non ecclesiae docenti, sed sanctae et immaculatae parti ecclesiae adjudicavit. Qua concionator autem Joannes de Vesalia plures alias assertiones heterodoxas protulit, quas theologi orthodoxiae studiosi collectas ad ejus metropolitam, archiepiscopum Moguntinum detulerunt. Juxta eas Joannes praelatis potestatem pro ecclesia leges ferendi abjudicavit, verba Christi a nemine, nisi ab eo ipso interpretanda esse contendit, doctorum ecclesiasticorum auctoritatem et instituta disciplinaria ac liturgica, nominatim jejunium vilipendit, satisfactionem sacramentalem menti Christi, qui tantum emendationem postularit, haud consentaneam declaravit, excommunicationes et absolutiones sacerdotum ad condemnationem et beatitatem coelestem Christianorum, utpote praedestinatorum, nihil conferre posse, Spiritum s. a Filio quoque procedere in s. sriptura non doceri asseruit. Igitur archiepiscopus a. 1479. Joannem ad causam dicendam Moguntiam evocavit, ubi ad eum judicandum theologos Moguntinos, Colonienses et Heidelbergenses congregaverat. Hic nonnulla sibi objecta sua esse negavit, alia in orthodoxum sensum explicare conatus est. Hoc non obstante libri ejus ad ignem condemnati, ipse ad assertiones suas abjurandas adactus, et dein custodiae monasticae traditus est, in qua non multo post diem supremum obiit. [1]) — Similes assertiones protulit Joannes Wessel, non tamen similem sortem expertus est, partim quia, cum inter clerum non pertineret, eas non publice, sed in scriptis tantum aut colloquiis tradebat, partim quia episcopi Trajectensis et Monasteriensis ei patrocinabantur. Natus erat a. 1419. Groningae, variisque in universitatibus, omnium diutissime in Parisiensi litteras, im-

primis philosophicas didicit et docuit, qua in re, spreto scholasticorum Aristotele, Platonem aliosque antiquos philosophos, sed et alios Graecorum et Romanorum scriptores coluit; praeterea theologiae ac linguae Graecae et Hebraicae cognitionem sibi comparavit, ita ut propter multiplices scientias lux mundi appellaretur; a scholasticis autem magister contradictionum dictus est, quia ducibus eorum Aristoteli, Thomae Aquinati, aliisque, quos velut indoctos vilipendebat, contradicere non verebatur. Mortuus est a. 1489. Opera ut plurimum theologica reliquit, quae aliquando sub titulo: farrago rerum theologicarum edita sunt. Sententiae ejus heterodoxae in sequentibus potissimum continentur: de dignitate et potestate ecclesiastica; de sacramento poenitentiae; de thesauro ecclesiae; quae sit vera communio sanctorum; de purgatorio. In his legibus ecclesiasticis vim obligatoriam, excommunicationi effectum apud Deum valiturum, pontifici potestatem, universam ecclesiam regendi abjudicat, peccata sola emendatione remitti, ac proinde confessionem et satisfactionem sacramentalem non necessariam esse docet, purgatorium in nullis poenis, sed in ardenti Dei amore, peccatorum maculas pedetentim auferente consistere asserit, illos quoque Christianos, qui a Romano pontifice separati sunt, ad ecclesiam Catholicam pertinere contendit. Ob ejusmodi assertiones mirum non est, auctoris libros, in quibus continentur, post ejus mortem ad ignem damnatos fuisse.[2]) — Huc etiam referri potest Hieronymus Savonarola, a. 1452. Ferariae natus, qui postquam institutum S. Dominici amplexus fuisset, litteris traditis, scriptis theologicis editis, maxime vero sermonibus sacris inclaruit. Sacra sua eloquentia, multiplici eruditione, vita zeli religiosi et pietatis speciem prae se ferente, nec non prophetiis, quas divinas venditabat, tantam in animum Florentinorum, inter quos plurimo vitae tempore versatus est, potestatem sibi comparavit, ut eorum rempublicam e sacro suggestu aliquamdiu dirigeret. Cum vero vehe-

vehementibus suis declamationibus contra corruptos mores, contra factionem Mediceorum, contra perversum ecclesiae statum, quem restaurandum continuo clamabat, contra praelatorum aliorumque clericorum et monachorum corruptelas, plurimorum invidiam incurrisset, ab eis tanquam talis, qui falsa doceat, et divinitus excitatum se dicere audeat, ad pontificem Alexandrum VI. delatus est. Hic ei silentium imposuit, et immorigerum excommunicavit, atque cum hanc excommunicationem Savonarola injustam irritamque declararet, et jam in ipsum pontificem ejusque aulam vehementer inveheretur, ipsi civitati Florentinae interdictum intentavit, quo facto Savonarola a magistratu jussus silentium observavit. Post haec quibusdam ejus prophetiis non impletis, et ignis examine ad earum veritatem et excommunicationis pontificiae nullitatem comprobandam prius oblato, deinde iterum eluso, penitus e populi favore excidit, ita ut jam in carcerem conjici et tormentis in eum inquiri potuerit, qua in quaestione, an et quae confessus fuerit, propter contradicentes relationes ad liquidum perduci non potest. Denique legati, a pontifice non multo post Florentiam missi, iterata quaestione a. 1492. Savonarolam capitis damnarunt, quo facto laqueo suffocatus, corpus concrematum, cineres in fluvium projecti.[3])

[1]) Trithemius in chronico Spanheimens. D'Argentré collectio judiciorum de novis erroribus T. I. P. II.

[2]) Melchior Adam vitae German. philosophor. Georg. Henr. Götze commentatio de Joanne Wesselo.

[3]) Principis Francis. Pici vita Hieronym. Savonarolae. J. Burchard diarium curiae Rom. sub. Alexand. VI. Quetif et Echard scriptor. ordin. Praed. Guicciardini hist. L. II. Savonarola der Märtyrer in Florenz. Leipzig 1801.

§. 549. Lis de immaculata conceptione B. M. V.

Ex controversiis theologicis, inter ipsos Catholicos labente hac periodo agitatis nulla memorabilior est,

quam quae conceptionem B. Mariae concernebat. Postquam Joannes Duns eam immaculatam fuisse defendisset, Franciscani pro auctoritate, quam Dunsius inter eos consecutus fuerat, jam omnes in ejus sententiam descendebant, eisque caeterorum theologorum plerique accedebant. Imo ipsa universitas Parisiensis, agente eodem Dunsio statuit, nemini gradum quemquam academicum conferendum esse, nisi antea jurasset, se doctrinam de immaculata conceptione propugnaturum esse. At Dominicani sententiis Thomae Aquinatis inhaerentes, in scholis et sacris concionibus contrarium defendebant; et quoniam hac ratione controversia illa in causam duorum ordinum sibi mutuo aemulantium abiit, summo cum fervore, et potius ex praevalendi quam veritatis explorandae studio agitabatur, atque nonnullis etiam motibus ansam dabat. Ejusmodi a. 1387. excitavit Joannes de Montesono, Arago, ex ordine Praedicatorum et theologiae Parisiis professor. Qui cum in publica disputatione inter alia contendisset, doctrinam de immaculata conceptione B. Mariae dogmati de peccato originali ad omnes homines propagato adversari; facultas theologica seu Sorbona, nec non episcopus Parisiensis 14 assertiones ex ejus disputatione improbavit, et sub poena excommunicationis doceri vetuit. Ipse Clemens VII., ad quem Joannes provocavit, ad eum damnandum propendebat, eumque cum propterea ad partes Urbani VI. transiisset, excommunicavit. Universitas autem Parisiensis omnes Dominicanos, quod suae sententiae, contra Montesonium latae accedere recusarent, a gradibus et privilegiis academicis exclusit, ad quae post 17 demum annos iterum admissi sunt. Et cum hinc inde in sacris concionibus aliisque occasionibus de B. Mariae conceptione turpiter plane locuti fuisse criminarentur, per universam fere Galliam populus contra eos surrexit, et aliquo tempore consuetas eleemosynas eis denegabat, eos insultabat; nonnulli eorum in vincula conjecti, omnes vero a sacro sugge-

stu et confessionis tribunali prohibiti sunt, donec progressu temporis animi commoti paulatim sedarentur. Caeterum controversiae de illa materia inter Thomistas et Scotistas ubique locorum perdurabant. Concilium Basileense eis finem imponere constituit. Ansam dedit Joannes de Segobia, theologus Salmanticensis ex ordine Praedicatorum, qui a. 1437. concilio Basileensi septem avisamenta contra immaculatam conceptionem B. virginis Mariae tradidit. Ad haec concilium alii Dominicano, Joanni de Turrecremata mandavit, ut statum illius controversiae exponeret, suumque desuper judicium adderet. Is in libro, secundum hoc synodi mandatum scripto, immaculatam Mariae conceptionem non obstante ordine suo adstruxit. Ipsum dein concilium in sessione 36. a. 1439. habita decretum promulgavit, in quo sententia de immaculata conceptione, pia, Catholicae fidei, sanae rationi, et s. scripturae consentanea, ab omnibus Catholicis approbanda et acceptanda pronuntiabatur, prohibebaturque, ne quis in posterum contrarium doceret. Sed quoniam decreta, a concilio Basileensi post scissionem, inter ipsum et pontificem ortam, condita, auctoritatem non consecuta sunt, lis illo decreto terminata non fuit. Sixtus papa IV. ex ordine Minorum in cathedram Petri evectus, postquam primo officium in honorem immaculatae conceptionis compositum approbasset, iisque, qui festum ejusdem conceptionis devote celebraturi essent, largam indulgentiam concessisset, in bulla, a. 1488. edita, utriusque sententiae defensionem quidem permisit, scripta tamen contra immaculatam conceptionem edituris excommunicationem minatus est. Circa idem tempus Bernardinus de Busti, Fransciscanus in ditione Mediolanensi novem sermones sacros, seu potius tractatus theologicos pro immaculata conceptione conscripsit, qui cum multis aliis ejusdem sermonibus in laudem B. virginis, occasione festivitatum ejus concinnatis, sub nomine Marialis typis editi sunt. Anno 1495. Sorbona Joannem Veri,

Dominicanum sibi adscriptum, qui Deppae in Normannia, coram sacra concione, Mariam postea demum a peccato originali purgatam fuisse in magnam auditorum offensionem contenderat, non tantum ad publicam assertionis suae retractationem, et ad jusjurandum, in posterum contra immaculatam conceptionem neque loquendi, neque scribendi adegit, sed simul etiam statuit, ne quis deinceps inter litterarum studiosos admitteretur, qui non jurejurando promisisset, se immaculatam conceptionem crediturum, et pro viribus defensurum esse. Hoc exemplum a. 1499. facultas Theologica Coloniensis, et a. 1501. Moguntina secuta est. Cum jam ob hanc superioritatem, quam ita nacti sunt, Franciscani diversimode contra Dominicanos insolescerent, causa iterum ad tribunal pontificis Alexandri VI. delata est, qui a. 1502. praecepit, ut decretum Sixti IV. accurate observaretur, et praesentibus laicis de ista materia non disputaretur.

Bulaei histor. universit. Paris. D'Argentré lib. cit.

§. 550. Status litterarum in genere.

Modus, quo doctrinae religionis, labente hac periodo tradebantur, ab eo parum differebat, qui saeculo 13. usitatus erat, quamquam ex restauratione antiquae litteraturae mutationes in theologiam omnino invehi potuissent. Haec restauratio in eo consistebat, quod jam plurimi essent, qui opera antiquorum scriptorum tam Graecorum, quam Romanorum diligenter legerent, exponerent, similibus scriptis imitarentur, ex eis multiplices scientias, imprimis historicas et philosophicas haurirent, atque meliorem sentiendi scribendique methodum discerent. His efficiendis ansam potissimum dederunt viri litterati ex Graecia, qui inde a posterioribus saeculi 14. temporibus, e patria sua, a Turcis magis magisque subacta, in Italiam fugerunt, ibique linguae et litteraturae suae antiquae cognitionem Italis communicarunt. Hi maximo amore litterarum elegan-

tiorum animati non tantum Graecorum, sed etiam Romanorum opera, undique conquisita, et magno pretio coemta, ac crebra descriptione multiplicata studiosissime coluerunt. Cumque etiam inter caeteras nationes Europaeas complures essent, qui simili elegantioris litteraturae et eruditionis antiquae amore capti vel in Italiam proficiscerentur, vel ex Italia ad se profectos frequentarent; per eos inde a posterioribus saeculi 15. annis etiam in Gallia, Germannia, Anglia, Hispania et Hungaria, litteratura Graeca et Romana, et scientiae in ea contentae propagatae sunt, quas qui colebant, humanistae dicebantur, inter quos in Germannia principem locum tenuerunt Joannes Reuchlinius, Graece Capnio dictus, a. 1455 Pforzhemii natus, jurisconsultus, professoris aliisque muneribus publicis, diversis in locis, praesertim in ducatu Würtembergensi functus, († 1521) qui caeteros omnes linguae Latinae et Graecae cognitione superabat, et Hebraicam quoque bene callebat; et Desiderius Erasmus, a. 1467. Rotterdami natus, presbyter saecularis, qui vero nec ecclesiastico, nec alio munere publico fungebatur, sed vitam suam inter lucubrationes eruditas, maxime philologicas et theologicas diversis in terris, postremo Basileae et Friburgi in Brisgovia transegit, suoque ingenio et eruditione summam apud eruditos, principes, et ipsos pontifices auctoritatem consecutus est († 1536). Verum scientiae, quas restaurata litteratura antiqua suppeditabat, meliorque methodus in scriptis classicis observata, ad emendandas litteras severiores, quae in universitatibus docebantur, hac periodo nondum adhibebantur. Aliqui tantum medici Hippocratis et Galeni scriptis, a Graecis allatis, ad scientiam suam amplificandam et corrigendam usi sunt. Jurisconsulti, theologi, et philosophi scholastici linguarum et litterarum elegantiorum studium se haud dignum putabant, et humanistas despiciebant, a quibus vice versa inutilis eorum subtilitas et linguae barbaries traducebantur.

Speciatim theologis scientia sua nulla perfectione, quae ex litteratura antiqua ei adnasci posset, indigere videbatur. Iidem litteraturam elegantiorem ideo quoque rejiciebant, quod a poetis et rhetoribus Ethnicis descendat. Humanistae vero a theologia colenda tum meliori sua in litteris sentiendi ratione, tum etiam liberioribus circa religionem sententiis detinebantur, et si qui erant, qui ad eam emendandam conferre conabantur, velut Laurentius Valla, a. 1408. Romae natus, rhetorices primo Ticini, deinde Neapoli professor, postea canonicus Lateranensis, et Erasmus Rotterdamensis, facile haeresis suspecti et periculo inquisitionis obnoxii fiebant.

§. 551. Continuatio.

Inter philosophos scholasticos systema Aristotelis, quale hactenus cognitum et propugnatum erat, maxima auctoritate pollebat, quae continuo firmabatur, ita ut ab illo recedere nefas putaretur, et illae quoque ejusdem sententiae, quae religioni adversabantur, v. g. animi mortalitas, defenderentur; qua in re ad doctrinam religionis salvandam scholastici distinctionem inter veritatem theologicam et philosophicam introduxerunt, contendentes, aliquid secundum philosophiam verum, secundum theologiam falsum esse posse; quam distinctionem Leo papa X. in concilio Lateranensi V. in fine hujus periodi damnavit. Non quidem novae viae in philosophia scholastica patefactae, non novae veritates principales detectae sunt, sicut praeterita periodo; attamen nec praesenti defuerunt viri, sagacitate et dexteritate praediti, qui secundarias saltim disciplinae suae partes novis observationibus illustrarent aut firmarent. Ex iis hic loci duos tantum commemoramus, Guilielmum Occamum, et Raymundum de Sabunda. Guilielmus, dictus Occamus a pago natali in Anglia, Franciscanus, inter maxima aevi sui ingenia pertinet, et doctor singularis compellatus est. Is a sententiis

magistri sui Joannis Duns recessit, et nominalismum, paene emortuum resuscitavit, qui multos abhinc patronos nactus est, unde acerrimae eos inter et realistas lites exortae sunt, quae nonnunquam in pugnas manuum degenerarunt. Occamus etiam usitata argumenta pro Dei existentia et quibusdam attributis rationi sufficere negavit. († 1343.) Raymundus de Sabunda, primo saeculi 15. dimidio philosophiae, artis medicae, et theologiae in universitate Tolosana doctor et professor, in libro suo de creaturis seu de natura, omnes religionis Christianae doctrinas, etiam mysteriosas, e sola ratione deducere et comprobare conatus est. Plerique philosophiam cum theologia conjunxerunt, in cujus potissimum usum illa colebatur et tradebatur. Opera philosophica ab eis praeter quaestiones, quas Lombardum explicantes discutiebant, composita, partim in commentariis in diversos Aristotelis libros consistebant, partim in tractatibus de singularibus materiis logicis et metaphysicis, speciatim talibus, quae ad cosmologiam et theologiam naturalem spectabant. — Quamquam haec philosophia scholastica, maxime propter arctissimam suam cum theologia conjunctionem inexpugnabilis videbatur, tamen ex eo tempore, quo Graeci in Italiam profugi, eorumque discipuli ipsum textum originalem Aristotelis in medium protulerunt, et accuratas versiones Latinas exararunt, patefacta eum inter et scholasticum differentia, aliquod illi philosophiae periculum, ne dominatu suo excideret, enascebatur. Hoc inde augebatur, quod eodem tempore, iisdemque auctoribus philosophia antiquorum universa, speciatim vero Platonica in Italia adeo coli coepisset, ut anno circiter 1440. a Cosmo Mediceo, reipublicae Florentinae rectore academia Platonica, seu virorum eruditorum consociatio ad eam excolendam et propagandam institueretur, inter quos primarius extitit Marsilius Ficinus, Florentinus, presbyter et canonicus in urbe patria, qui praeter alia scripsit 13 libros theologiae Pla-

tonicae de immortalitate animarum. († 1499). Interim tamen etiam inter restauratores litteraturae antiquae suos patronos et propugnatores Aristoteles habuit. Qui cum Platonem acriter impugnarent, imo contemnerent, vehementissima eos inter et Platonicos lis exorta et scriptis agitata est. Eo minus ergo Aristoteles loco, quem in scholis tenebat, moveri potuit. — Etiamsi vero litterae severiores ex restauratione elegantiorum exiguum vel nullum emolumentum aut ornamentum acciperent, sedulo tamen colebantur, et indies latius propagabantur, idque potissimum novis universitatibus, quae magno numero in Italia, Gallia et Germania, ubi in fine hujus aetatis 15 extiterunt, erectae sunt. Inter summos principes plures erant ac unquam antea, qui litterarum amantes et studiosi viros litteratos honoribus prosequebantur et subsidiis juvabant, scholas erigebant, bibliothecas condebant, inter quas facile principem locum illa tenuit, quam Matthias Corvinus rex Hungariae ad inauditum illis temporibus numerum 50000 voluminum perduxit. Denique ars typographica, priori saeculi 15. dimidio inventa, egregium medium suppeditavit, omnis generis scientias facili via et exiguis sumtibus, quamplurimis communicandi. His omnibus factum est, ut versus finem hujus periodi studium litterarum latissime vigeret, et multiplices scientiae ad omnium ordinum homines propagarentur.

§. 352. Status historiae ecclesiasticae.

Cum restaurata litteratura antiqua litteris theologicis non adhiberetur, hae praesenti periodo generatim in eodem statu permanserunt, in quo praeterita fuerant. Sic historiae ecclesiasticae studium non quidem penitus negligebatur, imo dissidia, quae inter pontifices et Ludovicum imperatorem obtinebant, schisma, quod ecclesiam Occidentalem scindebat, reformatio ecclesiae, quae tentabatur, haud paucis viris incitamentum praebuerunt, antiquitates ecclesiasticas perscrutandi,

scrutandi, et argumentis inde desumtis consilia sua juvandi. Attamen propria opera, quae universae ecclesiae historiam complecterentur, perpauca, particularia autem, vitas pontificum, sanctorum, aut historias singulorum monasteriorum enarrantia, sat multa conscripta sunt. Caeterum historiae, ecclesiam attinentes, sicut elapsis saeculis, una cum historia politica permixtae in iisdem libris describebantur. Sed omnibus fere scriptis historicis deest crisis, sufficiens pragmasis, et bona methodus in narrando; plurima eorum adhuc chronica sunt. Aliqui tantum hujus aevi scriptores, lectione antiquorum exculti, narrationes fabulosas rejecerunt, velut Laurentius Valla, qui donationem Romae et Italiae, quam Constantinus M. Sylvestro I. pontifici fecisse, ex documento conficto multis saeculis credebatur, magna vehementia impugnavit. Alii meliori in suis narrationibus methodo usi sunt, et observationes pragmaticas passim intertexuerunt. Scripta ecclesiastico-historica majoris momenti hac periodo composita haec sunt: Ptolomaei, proprie Bartholomaei de Lucca, Dominicani, postea episcopi Torcellensis in ditione Veneta, ubi a. 1327. mortuus est, historia ecclesiastica a Christo nato usque ad annum 1312. Scripsit praeterea annales ab a. 1060—1303. pertingentes; — Nicephori Callisti, clerici CPni, qui usque in medium saeculum 14. vixit, XXIII libri historiae ecclesiasticae, quae usque ad mortem imperatoris Leonis philosophi, a. 911. defuncti, producta, sed crisi utplurimum destituta est. Caeterum 18 tantum priores libri usque ad necem imperatoris Phocae, a. 610. patratam, pertingentes servati sunt; — S. Antonini Florentini, ex ordine Praedicatorum, in sedem archiepiscopalem urbis patriae evecti († 1459.) summa historialis, quae est omnium chronicorum, medio aevo conscriptorum locupletissimum. In eo historia sanctorum, miraculorum, pontificum, et scriptorum ecclesiasticorum praecipuum locum tenet. Non omni crisi caret. Ex illis, qui historias ecclesiasticas particulares com-

posuerunt, notatu digniores sunt: Theodoricus, dictus a Niem, oppido in dioecesi Paderbornensi, in quo natus erat, factus clericus Luccensis et abbreviator, quo nomine ii designabantur, qui brevia pontificia componebant, mortuus a. 1417. in concilio Constantiensi. Scripsit magna animi libertate libros tres de schismate, quibus in quarto, nemus unionis inscripto, acta originalia, ab utraque dissidentium parte in causa schismatis composita addidit. Praeterea biographiam papae Joannis XXIII. composuit, ea quoque complectentem, quae in concilio Constantiensi usque ad depositionem illius gesta sunt; — Aeneas Sylvius, ex nobilissimo Piccolominorum genere Senis a. 1405. natus, notarius duorum cardinalium, dein secretarius et caeremoniarius concilii Basileensis, postea Friderici III. imperaioris administer, episcopus Tergestinus, Senensis, cardinalis, tandem a. 1458. nomine Pii II. pontifex, mortuus a. 1464. Scripsit libros tres de concilio Basileensi, seu historiam hujus concilii; historiam Bohemicam ab antiquissimis hujus regni temporibus usque ad Georgium Podiebrad, in qua speciatim historia Hussitarum fusius proposita est; historiam Friderici III. imperatoris; — Augustinus Patricius, canonicus Senensis, composuit ex actis originalibus historiam conciliorum Basileensis et Florentini; — Sylvester Sguropulus, magnus ecclesiarcha ecclesiae CPnae. Scripsit veram historiam unionis non verae inter Graecos et Latinos, sive exactissimam narrationem concilii Florentini, cui ipse interfuit; — Bartholomaeus Sacchi, qui a Piadena in agro Cremonensi, ubi a. 1421. natus erat, Platinam se dixit, vir inter cultores litteraturae antiquae pertinens, a Pio II. pontifice inter abbreviatores adlectus, quod munus amisit, cum Paulus II. totum collegium abbreviatorum abrogaret, post fata adversa a Sixto IV. Pauli successore bibliothecae Vaticanae praefectus. († 1481.) Eo jubente scripsit vitas pontificum Romanorum a Petro usque ad eundem Sixtum; — Joannes Tritt-

hemius, ita vocatus a pago Trittenheim haud procul a Treviris, ubi a. 1460. lucem aspexit, monachus Benedictinus et abbas ad S. Jacobum in suburbio Wirceburgensi, ubi a. 1516. mortuus est. Scripsit librum de ecclesiasticis scriptoribus, qui continet ultimam continuationem operis cognominis ab Hieronymo coepti; porro de viris illustribus ordinis Benedictini libros quatuor; chronicon monasterii Sponheimensis, et alterum Wirceburgensis; annales Hirsaugienses ab anno 830., quo hoc monasterium fundatum est, usque ad annum 1514. In his annalibus universi memorabiliores eventus tam politici quam ecclesiastici, nec non notitiae de viris eruditis et scriptoribus continentur. Tritthemius majori diligentia quam alii fontes historicos examinavit; — Albertus Cranz, natus Hamburgi, theologiae et juris canonici doctor; illam Rostockii, deinde in urbe patria in schola cathedrali tradidit, factus decanus capituli cathedralis († 1517). Scripsit librum sub titulo metropolis, in quo ecclesiae metropolitanae Hamburgensis et Bremensis, et episcopatuum in Westphalia ac Saxonia inferiori historia ab a. 780. — 1504. enarratur; porro chronicon regnorum septentrionalium Daniae, Sueciae et Norwegiae. Is in suis historiis abusus in re hierarchica et rituali libere reprehendit, eorumque reformandorum necessitatem professus est.

§. 553. Status studii biblici.

Studium biblicum, etsi universim in priori sua conditione permanserit, aliquam tamen, praesertim versus finem hujus periodi reformationem expertum est. Equidem linguas biblicas quod attinet, Clemens V. pontifex, a. 1311. in concilio Viennensi decrevit, ut Parisiis, Oxonii, Bononiae, et Salmanticae, nec non apud sedem pontificiam pro quavis linguarum Orientalium, Hebraica scilicet, Chaldaica, Arabica, et Graeca duo professores constituerentur, quod decretum saltim ex parte effectui datum est. Et quamquam hae linguae

ob convertendos Judaeos et Muhamedanos docebantur, earum tamen gnari bibliis rectius intelligendis aptiores erant. Et reapse nonnulli deprehenduntur, nominatim Nicolaus a Lyra, et Joannes Wessel, qui Hebraicae et Graecae scientiam in usum biblicum converterunt. A posteriori Hebraicam didicit Reuchlinius, qui a. 1506. edidit libros tres de rudimentis Hebraicis, i. e. grammaticam Hebraicam cum vocabulario, postquam tribus annis antea jam Conradus Pellicanus, Franciscanus ex Alsatia aliam sed minus bonam edidisset. Similiter biblia polyglotta Complutensia grammatica Hebraica et vocabulario Hebraico ac Chaldaico instructa fuerunt. Linguae Graecae peritia per restauratores et cultores litteraturae antiquae inter Latinos, praesertim posterioribus hujus periodi temporibus late propagabatur, idque eo magis, cum etiam grammaticae in lucem emissae, facultatem, eam addiscendi omnibus praeberent. Interim tamen plerique eorum, qui bibliis legendis et explicandis operam dabant, linguarum originalium cognitione destituti erant, et nonnisi versione Latina vulgata utebantur. Cognitio illa linguarum biblicarum ad plures saltim propagata effecit, ut etiam textus originalis bibliorum in lucem emitteretur. Id primo praestitum est ab Erasmo Rotterdamensi, qui a. 1516. novum testamentum Graecum, e quinque manuscriptis codicibus collectum, Basileae typis impressum edidit. Eodem anno Augustinus Justinianus, Genuensis, episcopus Nebbiensis, ex ordine Praedicatorum, textum Hebraeum psalmorum, additis ad latus versionibus vulgata, et alia Latina verbali, Alexandrina, Arabica, et paraphrasi Chaldaica, pariter in Latinum translata, publici juris fecit. Simili ratione Franciscus Ximenes, archiepiscopus Toletanus jam ab anno 1505. per plures viros eruditos et linguarum Orientalium gnaros totius s. scripturae editionem confici curavit, quae novi testamenti textum Graecum cum versione vulgata, veteris autem textum Hebraicum cum

eadem vulgata et versione Alexandrina, pariter in Latinum ad verbum translata, atque in Pentateucho etiam Chaldaicam Onkelosii paraphrasim, itidem Latine redditam exhibebat. Sed quamquam hoc opus, quod a linguarum, in quibus textum biblicum sistebat, multitudine, polyglotta, et a loco, ubi typis impressum est, Complutensia dicitur, anno 1517. jam absolutum erat, ob varia tamen impedimenta, sequenti demum periodo, anno scilicet 1522. vulgari potuit. In his polyglottis Complutensibus textus versionis Alexandrinae ex Hebraico, vulgatae autem partim ex Hebraico partim ex antiquis manuscriptis emendatus sistebatur. Similiter Erasmus, qui etiam vulgatam novi testamenti edidit, ejus textum e textu originali emendare conatus est, postquam jam alii ante eum totam vulgatam partim e veteribus manuscriptis, partim e textu originali emandassent. — Regulas, s. scripturam interpretandi paucissimi paucas tradiderunt. Equidem Nicolaus de Lyra, in altero prooemio, commentariis suis in universa biblia praemisso, sensum quidem mysticum, eumque triplicem, allegoricum, moralem, et anagogicum admisit, litteralem tamen primarium judicavit, e quo solo religionis doctrinae comprobari possent. Idem septem regulas hermeneuticas Tychonii Donatistae, ab Isidoro Hispalensi ex S. Augustino relatas allegat, profiteturque, se nonnisi tales interpretationes tanquam certas adstructurum esse, quae aliis claris s. scripturae effatis, aut ecclesiae definitionibus consentaneae sint. Hanc analogiam fidei in proponendo sensu litterali s. scripturae observandam esse, diserte et graviter Gersonius inculcavit in suis propositionibus de sensu litterali s. scripturae et de causis errantium, contendens, istum sensum, e quo solo firmum pro doctrinis religionis argumentum peti possit, ex usu loquendi et contextu quidem eruendum, attamen non ex proprio cujusvis arbitrio statuendum, sed doctrinae ecclesiae, a Spiritu s. directae conformandum esse. Licet jam nemo Catholicorum contra sensum litteralem

hac ratione definitum exciperet, multi tamen, imo plurimi hac quoque periodo fuerunt, qui sensum mysticum ei praeferrent. Hinc etiam est, quod paucissima scripta confecta fuerint, quae bibliis rectius dijudicandis et intelligendis inservirent, et ad introductionem in ea pertinerent. Hujus generis censeri potest Nicolai Lyrani tractatus de libris biblicis canonicis et non canonicis. In alio tractatu de translatoribus bibliae, aliqua de 70 interpretibus Alexandrinis, dein de posterioribus Graecis translatoribus v. t., de hexaplis Origenis, et de versione Latina Hieronymi refert, suadetque, ut si versiones mendosae deprehendantur, textus originalis consulatur. Aliud opus, mammotrectus, proprie mammotreptus vocatum, et a Joanne Marchesini, Reginensi, ordinis S. Francisci, a. 1466. confectum, quamquam rudissimis tantum conveniat, utpote nonnisi fere significationes vocabulorum et dictionum difficiliorum, imo declinationem et prosodiam eorum tradens, frequentissimum tamen usum invenit.

§. 554. Continuatio.

Opera, quibus s. scriptura exponebatur, labente hac periodo multa et diversi generis composita sunt. Huc pertinent primo versiones. Biblia nempe jam 14. saeculo in linguas vernaculas plurium populorum Occidentalium translata sunt, nominatim in Belgicam, in Gallicam, et bis in Anglicam; sequenti autem saeculo iterum in Gallicam, in Italicam et saepius in Hispanicam. In linguam Germannicam imperator Wenceslaus post annum 1378. v. t. transferri curavit; attamen manuscriptum, quod in Caesarea bibliotheca Vindobonensi asservatur, cum Ezechiele propheta finitur. Saeculo autem 15. universa biblia tam in superioris, quam in inferioris Germanniae dialectum translata sunt. Sed omnes s. scripturae translationes in linguas vernaculas ex versione Latina vulgata manarunt. Textum Hebraicum et Alexandrinum in polyglottis Complutensibus Latine ad verbum

redditum fuisse, jam supra dictum est. Sed Erasmus Rotterdamensis plane novam versionem Latinam n. t. ex textu Graeco, vulgata rectiorem et clariorem, non tamen ab omnibus naevis immunem adornavit. Ad historiam evangelicam uno intuitu plenius et accuratius cognoscendam Gersonius monotessaron composuit, i. e. ex quatuor evangeliis unum, in quo nempe omnia, quae quatuor evangelistae habent, iisdem locis congesta, continua serie proponuntur, omnibus eorum verbis retentis. Laurentius Valla scripsit annotationes in vulgatam, quibus eam emendare conatus est, unde potissimum philologici generis sunt. Etiam Erasmus annotationes in n. t. confecit, in quibus lectionum, a vulgari textu Graeco recedentium, et in suam ejusdem textus editionem receptarum rationes reddit, vulgatam emendat, loca in novo foedere ex veteri allegata cum textu Hebraico confert, obscura illustrat, et hinc inde etiam mysticum sensum pandit, ubi dictionibus Graecis talis ei indigitatus videbatur. Plurima quidem in illis annotationibus egregia sunt, sed multa etiam vituperanda. Commentaria denique in s. scripturam hac aetate confecta triplicis sunt generis; alia enim sensum litteralem, alia mysticum, speciatim moralem exhibent, alia ad morem theologiae scholasticae diversissimas de textibus quaestiones excitant, ejusdemque theologiae methodo absolvunt. Nonnulli commentatorum expositiones suas ex proprio eruditionis vel ingenii apparatu desumserunt, alii nonnisi antecedentium scriptorum interpretationes collegerunt. Notatu digniores sunt sequentes: Nicolaus de Lyra. Is in suis postillis perpetuis ope cognitionis, quam de lingua et litteratura Hebraica habebat, et commentariorum Rabbinicorum, sensum litteralem ex ipso textu originali plerumque feliciter proposuit, et nonnisi hinc inde breves interpretationes mysticas, eo plures autem disquisitiones theologicas immiscuit. Ejus opus plurimis probatum, et frequentissimi usus hac periodo erat.— Paulus Burgensis, ita dictus.

quia, postquam quadragenarius lectione summae S. Thomae Aquinatis a. 1390. ex Judaeo Christianus factus fuisset, tandem ad archiepiscopatum Burgensem evectus est. († 1435.) Hic edidit additiones ad postillam Nicolai Lyrani, in quibus quidem etiam sensum litteralem in universum, non tamen in singulis locis mystico praefert, caeterum autem Nicolaum, bibliorum interpretem, varias ob causas reprehendit. — Gersonius, a quo composita sunt: lectiones duae super Marcum, seu potius super initium evangelii ejus, quae continent partim litterales, partim allegoricas expositiones et reflexiones de iis, quae ab evangelista dicuntur; expositio et meditatio super psalmos poenitentiales, i. e. paraphrasis eorum, et applicatio ad peccatorem, dolore correptum et Christum alloquentem; tractatus super cantica canticorum, in quo hujus libri argumentum de amore erga Deum explicatur; collectorium super Magnificat, constans ex 12 tractatibus, in quibus rarius interpretationes litterales, frequentius applicationes morales, piae considerationes, mysticae et scholasticae disquisitiones continentur. — Alphonsus Tostatus, Hispanus, theologiae et philosophiae in universitate Salmanticensi professor et canonicus, postea episcopus Abulensis. († 1455.) Is in Pentateuchum caeterosque historicos v. f. libros et in evangelium Matthaei commentarios adeo prolixos composuit, ut multos tomos in folio impleant. Sunt praecipui inter eos, qui methodo scholastica confecti fuerunt, continentque innumerabiles fere disquisitiones philosophicas, dogmaticas, casuisticas, historicas, juridicas de rebus in s. textu commemoratis, inter quas haud paucae inutiles et mere curiosae. — Dionysius Rykel. Is in suis commentariis in totam s. scripturam potissimum quidem sensum litteralem proposuit, allegorico et tropologico hinc inde tantum adjecto, eum tamen non proprio marte indagavit, sed ut plurimum ex praecedentibus interpretibus ad se derivavit. — Marsilius Ficinus, qui scripsit com-

mentarium litteralem in epistolas S. Pauli. — Jacobus Faber, Stapulensis, dictus a Stapulis, maritimo Picardiae pago, ubi natus erat, theologiae in universitate Parisiensi versus finem hujus periodi professor, litteraturae cultor, linguae Graecae peritus, qui primus inter Gallos rectiori interpretandi methodo cum magna animi libertate usus est. Scripsit commentarios litterales in evangelia, in epistolas apostolorum, in psalmos et in Ecclesiasten. — Joannes Reuchlinius psalmorum poenitentialium interpretationem de verbo ad verbum et commentariolum in eosdem concinnavit.

§. 555. Status theologiae dogmaticae.

Theologia dogmatica, in qua scholastica potissimum consistebat, faciem, quam saeculo 13. induerat, per totam hanc periodum in universum retinuit, et discrimen, quo tertia haec ejus periodus a secunda distinguitur, in eo solo situm est, quod omnia, quae prius ei propria erant, nempe Aristotelis dominium, subtilitates et argutiae, quaestiones inutiles, curiosae, et spinosae, distinctiones inanes, linguae barbaries, nunc continuo augerentur. His malis accedebant sectae Scotistarum et Thomistarum, quae initio hujus periodi ortae sunt, et pro auctorum suorum sententiis eo vehementius certabant, quia duo primarii Dominicanorum et Franciscanorum ordines agmina ducebant. Nominalium quoque et Realium factiones philosophicae, sententias suas in theologiam transferentes, contentiones plurimum augebant. Inter theologos ingenia quidem acria et in profundum penetrantia haud pauca erant; qui vero novam sibi viam pararet, sicut elapsa periodo plures fecerant, nemo hac aetate inter eos extitit. Opera dogmatica ab eis conscripta vel commentarii erant in Lombardum, quales fere omnes, qui theologiam in universitatibus docebant, composuerunt, vel sic dicta quodlibeta, quae vero plus philosophica-

rum quam theologicarum disquisitionum complecti solebant, vel denique tractatus de singulis materiis theologicis. Theologi scholastici, qui ejusmodi opera confecerunt, praeter jam adductos Hervaeum Natalem, Franciscum Mayronium, et Dionysium Carthusianum, notatu digniores sunt sequentes: Petrus Aureolus, Gallus, Franciscanus, postea archiepiscopus Aquensis, doctor facundus appellatus. — Marsilius ab Inghen, quem alii Anglum, alii Germannum dicunt, post munus professoris in universitate Parisiensi gestum, primus rector universitatis Heidelbergensis († 1396). — Guilielmus Houpelandus, Gallus, theologiae doctor Parisiensis, archidiaconus Briensis, circa annum 1457. clarus, qui librum scripsit de immortalitate animae ejusque statu post mortem, antiquorum sententiis refertum. — Guilielmus Durandus, a S. Portiano, loco natali in Arvernia cognominatus, qui primo Parisiis, deinde Avenione theologiam docuit, et a. 1333. qua episcopus Meldensis ex hac vita discessit. A promta dexteritate in solvendis difficultatibus intricatissimis doctor resolutissimus dictus est. Thomam Aquinatem propter adstructum specialem et immediatum Dei concursum ad actiones humanas vehementer impugnavit. In suo commentario in Lombardum a quaestionibus sophisticis et inutilibus magis quam alii sibi temperavit. At vero nonnulla etiam minus Catholica hinc inde protulit. — Petrus de Alliaco, Gallus Compendiensis, a. 1350. natus, denatus 1425. doctor et rector collegii Navarrici, ibidemque Joannis Gersonis praeceptor, postea universitatis Parisiensis cancellarius, tandem archiepiscopus Cameracensis et cardinalis, vir qui pro extinguendo magno schismate plurimum laboravit, et concilio Constantiensi maxima cum auctoritate interfuit. Ejus commentarii in Lombardum manci sunt, siquidem in primum ejus librum 14 quaestiones, in alterum nulla, in tertium una, et in quartum 6 tantum habentur. Sed cuivis libro in-

troductionem praemisit, ubi in utramque partem disputando evincitur, legem seu religionem Christi esse perfectissimam. Caeterum Alliacus quaestiones mere philosophicas e theologia eliminatas voluit. — Ex Occami operibus huc spectant: quaestiones in quatuor libros sententiarum; centiloquicum, omnem ferme theologiam speculativam sub centum conclusionibus complectens; quodlibeta 7; liber de corpore Christi; tractatus de sacramento altaris, in quo auctor plus de puncti, lineae, superficiei, corporis, quantitatis, qualitatis et substantiae conceptibus agit, quam doctrinam de transsubstantiatione exponit. — Gabriel Biel, natus Spirae, praepositus ecclesiae collegiatae Uracensis in Würtembergo, qui inde ab anno 1484. in universitate Tubingensi nuper fundata philosophiam et theologiam docuit, collectorium in quatuor libros sententiarum ex Occamo confecit, in quo ita versatus est, ut illum, ubi copiosus est, abbreviaret, ubi pauca aut nihil habet, ex aliis similiter sentientibus suppleret. — Denique Raynerius Pisanus ex ordine Praedicatorum, quem alii ad saeculi 14. alii ad 15. priora tempora referunt, genus quoddam lexici theologici conscripsit, in quo materiae non tantum dogmaticae, sed etiam ethicae et juridicae ordine alphabetico sed methodo prorsus scholastica pertractantur.

§. 556. Continuatio.

Quamquam autem theologia scholastica per totum hoc aevum vigebat, adversarios tamen haud paucos nacta est, qui immoderato philosophiae usu, s. scripturae et patrum neglectione, vanarum quaestionum multitudine, omnis verae eruditionis et pii spiritus defectu, denique linguae barbarie offensi, eam in his omnibus reformatam volebant, et partim expressis monitis ac reprehensionibus, partim scriptis theologicis, meliori methodo confectis reformationi desideratae viam para-

re satagebant. Inter hos adversarios theologiae scholasticae pertinebant primo sic dicti theologi biblici et mystici, qui quid in scholasticis improbaverint, quid intenderint, ipsum eorum nomen indicat. Studium, religionis doctrinas e s. scriptura hauriendi, vel ad ejus normam exigendi, hac aetate, praesertim 15. saeculo etiam inter viros Catholicos vehementer prorupit. Petrus de Alliaco in libro de recommendatione s. scripturae hanc esse petram dixit, cui Christus ecclesiam suam superstruxerit. Gersonius in tractatu contra haeresin de communione laicorum sub utraque specie, s. scripturam supremam fidei regulam nominavit, contra quam recte intellectam nulla humana auctoritas, nullus intellectus humanus aliquid valeat, cujus tamen interpretatio authentica penes ecclesiam sit, utpote cui Christus verum ejus sensum per Spiritum s. revelet. Alii autem s. scripturae cultores, velut Joannes Wesselius, Joannes de Vesalia, Joannes a Goch, in ea interpretanda plus intellectui suo, quam auctoritati ecclesiae detulerunt, ideoque in varios errores, Catholicae fidei adversos prolapsi sunt. Idem Gersonius varia opuscula edidit, reformationem theologiae scholasticae intendentia. Talia sunt: contra vanam curiositatem in negotiis fidei lectiones duae, in quibus theologos admonet, ut sibi praecipue a studio quaestionum novarum et singularium caveant; de reformatione theologiae tractatus duo, in quorum altero vult, ne omissis doctrinis, ad salutem necessariis vel utilibus, sepositaque s. scriptura et traditione, res inutiles, vanae, imo absurdae disquirantur, porro, ut tres posteriores libri Lombardi, et sacra biblia diligenter exponantur, ut populus in doctrina morum frequentius meliusque instituatur, ut propositiones et quaestiones scandalosae, hactenus excitatae consignentur, a professoribus in posterum non tolerandae, ut in usum hominum indoctorum catechismus conficiatur, in quo praecipuae religionis doctrinae,

imprimis morum praecepta exponantur, cujusmodi librum ipse conscripsit; altera ex duabus ejus epistolis ad studentes collegii Navarrici Parisiis, in qua auctor docet, »quid et qualiter studere debeat novus theologiae auditor« eique libros commendat, ex quibus potissimum triplicem theologiam, scholasticam seu dogmaticam, moralem, et homileticam discat. Gersonii discipulus, Nicolaus de Clamengis vel Clemangiis, Catalaunus, eloquentiae et poeseos studiis maxime excultus, universitatis Parisiensis rector, et Benedicto XIII. papae aliquamdiu ab epistolis, cui editi de rebus theologicis libri, et suscepti pro ecclesia labores nomen doctoris theologi peperunt, († 1440.) in libro de studio theologico id imprimis inculcavit, ut theologiae candidatus, seposita theologia scholastica et mystica, in iis maxime erudiretur et exerceretur, quae practici pro omnibus Christianis usus sunt, eumque in finem ad sedulam s. scripturae lectionem institueretur. Aliud genus adversariorum theologiae scholasticae constabat ex illis, qui litteraturam antiquam colebant, et ex ea multiplicem eruditionem hauriebant, reformandae theologiae Christianae, quae scientiis philologicis et historicis adeo eget, perquam opportunam. Iidem propter meliorem in litteris sentiendi rationem et praestantiorem methodum, quam in antiquis scriptoribus Graecis et Romanis cognoverant, naevos theologiae scholasticae multo vividius persentiscebant, et jam frequenter in horridam materiae, formae et linguae ejus barbariem invehebantur, partim etiam operibus theologicis meliori methodo aut sermone conscriptis, aut plane novis a se pertractatis materiis, quomodo theologia reformanda sit, ostenderunt. Sic Paulus Cortesius, Romanus, secretarius et protonotarius sub Alexandro VI. et Julio II. († 1510.) opus dogmaticum conscripsit, in quo quidem juxta exemplum Petri Lombardi doctrinas religionis in quatuor libris, sub distinctionibus seu divisionibus

eodem fere ordine proponit, et de materiis propositis quaestiones etiam excitat, atque theologorum sententias adducit, sed illarum numerum admodum restrinxit, istas autem breviter absolvit, atque sermone vere Romano, inspersis passim leporibus usus est. Ex caeteris humanistis theologos scholasticos verbo et exemplo aggressi sunt Laurentius Valla, Joannes Reuchlinius, imprimis autem Erasmus Rotterdamensis, qui non tantum multiplicibus suis scientiis philologicis, criticis, historicis, ad praestantia opera theologica condenda adhibitis, illorum ignorantiam ac barbariem confundebat, sed etiam irrisionibus et satyris mordacibus eos passim adeo insectabatur, ut plurimis jam contemti et ridiculi fierent. His omnibus non quidem labefactari aut plane everti potuit theologia scholastica, utpote quae per tot saecula nimis altos in omnibus regnis Occidentalibus per tot universitates, per tot ordines monasticos, per tot celeberrimos doctores, radices egerat. Interim tamen effectum est, ut ejus auctoritas jamjam decresceret, ut hinc inde doctores sententiarii doctoribus biblicis postponerentur, multique ex litterarum studiosis theologiae scholasticae taedio occupati, praelectiones in Lombardum non amplius exciperent, sed eos frequentarent, qui biblia, aut S. Augustinum, aut alium quempiam ex antiquioribus ecclesiae patribus, auctoritate pollentem, exponebant, id quod de neoerecta universitate Wittenbergensi Martinus Lutherus, ejusmodi doctor biblicus in eadem universitate testatur.

§. 557. Opera apologetico-polemica.

Per methodum scholasticorum, qua de omnibus materiis in utramque partem disputabatur, tota fere theologia hac periodo non minus, quam praecedenti, polemica erat. Atque, si qui ex theologis scholasticis specialia opera polemica componebant, quod haeresi-

bus et controversiis inter ipsos Catholicos non paucis exortis, frequenter factum est, eadem methodo in eis utebantur, argumenta caeterum pro conditione illorum contra quos scribebant, non tantum e ratione vel philosophia, sed etiam e sacris litteris et ecclesiae patribus depromentes. Verum alii quoque, qui non ad theologos scholasticos, sed ad cultores litteraturae antiquae pertinebant, calamum pro defendenda religione Christiana vel Catholica arripuerunt, atque hi simpliciorem magisque amoenam pro more suo methodum adhibebant. Ex his erat Marsilius Ficinus, qui in libro: de religione Christiana et fidei pietate, hanc fidem in universum contra omnes ejus adversarios, et speciatim contra Judaeos vindicavit, eumque in finem ejus veritatem et divinam originem diversi generis argumentis tum internis, tum vero maxime externis probavit, philosophicam explicationem defensionemque doctrinarum de divina Trinitate, de Filio Dei, et de ejus incarnatione proposuit, et contra Judaeos non tantum generatim religionem Christianam ex ipsis eorum historiis et scriptis vindicavit, sed etiam singulares ejus doctrinas, nominatim mortem Christi expiatoriam et peccatum originale contra eorumdem objectiones propugnavit. Argumenta a se allata Marsilius multa cum perspicuitate et robore, ac generatim melius, quam hactenus factum fuerat, exposuit. Simile opus apologeticum, quod sub titulo: triumphus crucis, 4 libris continetur, Hieronymus Savonarola contexuit. In primo Dei existentia, qualitas et providentia probatur; in altero argumenta pro divinitate religionis Christianae adferuntur, desumta ex ejus fine, ex modo Deum colendi ab ea tradito, ex s. scripturae vaticiniis, dicendi ratione et effectibus, ex Christi miraculis, ejus sapientia et benignitate; in tertio ostenditur, mysteriosas religionis doctrinas nec impossibile quidquam, nec rationi adversum continere, sed huic potius conformes esse, id quod

post commemoratam doctrinae moralis praestantiam, etiam de sacramentis et toto ritu ecclesiastico auctor ostendere conatur; quarto denique libro omnes caeterae religiones falsae aut defectibus plenae esse comprobantur. — Alii apologetae hujus periodi religionem Christianam contra plura adversariorem genera vindicare conati sunt. Id fecit nominatim Alphonsus de Spina, Hispanus, Minorita, medio circiter saeculo 15. clarus, quem nonnulli Judaeum conversum arbitrantur, in opere, cui titulus: fortalitium fidei contra Judaeos, Saracenos, alioeque Christianae fidei inimicos. Constat 4 libris, in quorum primo ostenditur, omnes Messiae characteres Jesu adfuisse, in altero haeretici refutantur, et poenae contra eos statutae describuntur, in tertio objectiones Judaeorum contra religionem Christianam diluuntur, eorumque contra Christi cultores hostilitates narrantur, quarto denique religio Christiana contra Muhamedanos propugnatur, et bella a Christianis contra eos, praecipue in Hispania gesta enarrantur. Contra Judaeos solos scripserunt: Nicolaus Lyranus, qui praeter scripta jam commemorata exaravit quaestionem de incarnatione Verbi adversus Judaeos, et libellum contra Judaeum quemdam, ex ipsis verbis evangelii secundum Matthaeum, Christi divinitatem ejusque doctrinam impugnantem; — Theophanes, altero saeculi 14. dimidio archiepiscopus Nicaenus. Is grande et bona methodo compositum opus, adhuc ineditum adversus Judaeos conscripsit, in quo praeter alia evangelii praestantiam et divinam originem ex miraculis Christi et Christianorum, et ex ejus effectibus comprobat, ostenditque, prophetas suam vitae rationem totam ad praescripta evangelica composuisse, eorum praedictiones de Christi persona et religione cum evangelicis relationibus accurate consentire, eosque etiam de statu rerum, post hanc vitam futuro, et speciatim de judicio extremo ea, quae Christus docuit, credidisse; — Hieronymus a S. Fide, Hispanus, ex

rabbino

rabbino Christianus et protomedicus Benedicti XIII., coram quo a. 1413. Geronae in Catalaunia cum doctissimis Judaeorum disputavit. Is duo contra eos scripta composuit, alterum de refellendis Judaeorum erroribus, alterum adversus Thalmud Judaicum, in quibus praeter alia ad Judaeorum principalem contra Jesum objectionem, eum nempe populum suum neque a servitute aliorum liberasse, neque gentes ei subjecisse, reponit, loca prophetarum, talia de Christo innuentia, non litteraliter, sed spiritualiter intelligenda esse; — Petrus Niger, Germannus, ex ordine Praedicatorum, qui in Hispania linguam Hebraicam didicit, tantamque litteraturae Judaeorum cognitionem sibi comparavit, ut in pluribus Germanniae urbibus cum celeberrimis rabbinis, a se provocatis coram magna hominum multitudine feliciter disputaret. Mortuus est qua theologiae professor in universitate Budensi a. 1481. Substantiam disputationum suarum contra Judaeos proposuit in libro: contra perfidos Judaeos de conditione verae Messiae. Constat ex 11 tractatibus, in quorum 10 prioribus variae doctrinae Christianae, ad Judaeos relatae, ex ipsis religiosis eorum scriptis comprobantur, ultimo autem illorum contra religionem Christianam objectiones refelluntur; — Victor de Carben, ex rabbino presbyter Christianus in dioecesi Coloniensi versus finem saeculi 15. Is reliquit propugnaculum fidei Christianae per modum dialogi inter Judaeum et Christianum scriptum, in quo Dei Filium hominem factum, Jesumque verum Messiam esse probatur, sed et praerogativae, B. Mariae adscriptae propugnantur, Judaeosque Dei gratiam frustra expectare asseritur. Idem librum de vita et moribus Judaeorum scripsit. Ex paucis, qui hac periodo contra Muhamedanos scripserunt, praeter Joannem de Turrecremata et Dionysium Rykel, adhuc notamus Joannem Cantacuzenem, qui scripsit apologiam, seu quatuor assertiones pro fide Christiana adversus Saracenos et Alcoranum, et Nicolaum Cu-

sanum, dictum a Cusa, vico natali in dioecesi Trevirensi, ex archidiacono Leodiensi episcopum Brixinensem et cardinalem, virum doctissimum et in mathematicis praecipue versatum († 1464.), qui composuit cribrationum Alcorani libros tres.

§. 558. Continuatio.

Memorabiliora contra haereticos et schismaticos scripta haec sunt: Alvari Pelagii, Hispani ex ordine S. Francisci, qui circa medium saeculum 14 inclaruit, et postremo episcopus Sylvensis in Algarbia fuit, collyrium adversus haereses, in quo haereses antiquiores et recentiores enarrantur ac refutantur; — Guidonis de Perpiniano, Carmelitae, theologiae doctoris Parisiensis, postea episcopi Elnensis summa de haeresibus omnibus et earum confutationibus; — Thomae de Bradwardino, circa annum 1290. in Anglia nati, theologiae in universitate Oxoniensi professoris, doctoris profundi titulo ornati, in philosophicis et mathematicis non minus quam in theologicis versati, postea cancellarii ecclesiae S. Pauli Londini, canonici Lincolnensis, regisque Eduardi III. confessarii, tandem ad archiepiscopatum Cantuariensem evecti, attamen ante consecrationem a. 1349. mortui, de causa Dei contra Pelagium, et de veritate causarum libri tres. Hoc opus illis oppositum est, qui auctoris aetate, inter theologos numero plurimi, secundum Pelagium liberum hominis arbitrium nimis extollebant, gratiam autem divinam deprimebant. Itaque, postquam ab initio quadraginta genera errantium breviter refutasset, doctrinam Catholicam de gratia Dei mere gratuita, omnes actiones bonas praeveniente, ad poenitentiam agendam, tentationes superandas, et in bono usque in finem perseverandum absolute necessaria contra sententias Semipelagianas fortiter propugnat. Ex nimio tamen fervore in oppositos Praedestinatianorum errores lapsus est, contenditque, Deum sub certo quodam respectu peccatum velle, ma-

los absolute ad mortem aeternam praedestinatos esse, Dei gratiam esse insuperabilem, Deum quamlibet voluntatem creatam ad actiones liberas necessitare; — Joannis Pupper, cognominati a Goch, loco natali in ducatu Cliviensi, presbyteri Maliniensis († 1475.) dialogus de quatuor erroribus, circa legem evangelicam exortis, et de votis et religionibus factitiis. Quatuor isti errores ei sunt: conjunctio legis Mosaicae caeremonialis cum evangelica, opinio eorum, qui fidem solam sine bonis operibus perfectionem Christianam absolvere, justificationem producere, ad salutem sufficere putant, haeresis Pelagiana, denique opinio de praestantia votorum. Singulos hos errores auctor refellit, et quoad vota generatim, ea necessaria, imo ad voluntatem in bono firmandam utilia esse negat, opinionem de merito votorum errorem Pelegianum appellat, ordinesque monasticos, quos religiones factitias dicit, perfectionem Christianam esse negat; — Petri de Pilichdorf, priori saeculi 15. dimidio theologiae professoris, obviationes s. scripturae contra errores Waldensium; ejusdem liber contra pauperes de Lugduno; — Gersonii tractatus contra haeresin de communione laicorum sub utraque specie; ejusdem tractatus contra sectam Flagellantium; — Aeneae Sylvii tractatus de communione sub utraque specie contra Bohemos et Taboritas; — Thomae Netter, a loco natali Walden in Anglia Waldensis dicti, ex ordine Carmelitarum († 1430.) doctrinale antiquitatum fidei ecclesiae Catholicae adversus Wicleffitas et Hussitas, in tres partes divisum, in quarum prima de Deo, Christo, Petro, ecclesia et religiosis, altera de sacramentis, tertia de sacramentalibus agitur; ejusdem fasciculus zizaniorum Wicleffi; — Vincentii Bandelli, a loco natali in Lombardia, etiam de Castronovo dicti, altero saeculi 15. dimidio theologiae in universitate Bononiensi professoris, ab anno 1500. ordinis sui Praedicatorum magistri generalis, tractatus de singulari praero-

gativa puritatis conceptionis nostri Salvatoris, qui 260 virorum sanctorum et doctorum testimonia exhibet, B. Mariam cum originali peccato conceptam esse. Contra hunc tractatum non multo post comparuit Dominici Bollani, artium liberalium et philosophiae in ditione Veneta doctoris determinatio, qua probatur, B. Virginem ab originali culpa esse praeservatam. Denique ex ipsis Graecis contra schismaticos scripserunt, et praecipue processionem Spiritus s. a Filio quoque defenderunt: Joannes Calecas, qui, quod cum Barlaamo contra Hesychastas sentiret, patriarchatu CPno privatus, dein ad Latinos transgressus, sanctique Dominici institutum amplexus est; († 1347.) — idem ille Barlaamus; Bessarion, episcopus Nicaenus, post suum ad Latinos transitum, cardinalis factus, litterarum humaniorum cultor et promotor praecipuus; Joannes Argyropolus, CPnus, qui in pluribus Italiae urbibus, maxime Florentiae philosophiam Peripateticam tradidit; († 1486) — Georgius Trapezuntinus, qui pariter in diversis Italiae urbibus litteras Graecas docuit, et Nicolao V. ab epistolis fuit. († 1484.)

§. 559. Status theologiae moralis.

Quatenus in quatuor libris sententiarum, et in summa Thomae Aquinatis, praeter materias dogmaticas, etiam morales, imprimis ad generalem morum disciplinam spectantes exhibentur, ii omnes, qui opera illa exponebant, et commentarios in Lombardum exararunt, simul theologiam moralem coluerunt, ast secundum modum, ibi praefinitum, et methodum scholasticam, ex qua de materiis moralibus potius diversae quaestiones, utplurimum philosophicae, frequenter argutae, et raro utiles in utramque partem ventilabantur, quam morum praecepta ex genuinis s. scripturae, traditionis, et conscientiae fontibus derivabantur, comprobabantur, et ad usus practicos applicabantur. Fuerunt tamen, saeculo praesertim 15. complures, qui a

methodo scholastica recedentes, diversas materias morales modo utiliori proponerent. Atque jam 14. saeculo numerus illorum insigniter auctus est, qui secundum initia, aevo elapso facta, sic dictis conscientiae casibus colligendis, dijudicandis, et decidendis operam navarent, et summas ejusmodi casuum, methodo scholastica conficerent, quales sunt Monaldina, Astesana, Bartholina, Pacifica, Angelica, ab eorum auctoribus aut horum locis natalibus ita appellatae. Ex caeteris operibus moralibus, hac periodo compositis praeprimis notari meretur S. Antonini summa theologica, in qua quidem de nonnullis fidei dogmatis, maximam autem partem de materiis moralibus tractatur, velut de anima ejusque viribus, de passionibus, de peccato, de legibus moralibus, de octo vitiis principalibus, de restitutione, de jurejurando, de votis, de incredulitate et superstitione, de virtute generatim et speciatim de virtutibus cardinalibus et theologicis. Quamvis quaestionibus, distinctionibus, sententiis, et allegatis aliorum minus necessariis, allegoriis e s. scriptura exsculptis, propriisque imaginibus, porro fabulis et erroribus historicis Antoninus non caret; naevos tamen scholasticorum magnam partem evitavit, s. scriptura diligenter usus est, virtutum motiva et adminicula passim attulit, aliasque observationes practicas inspersit, maxime vero omnia ad usum concionatorum et confessariorum accommodare studuit. Praeter Antoninum Gersonius materias morales meliori et utiliori methodo pertractavit. Ejus opuscula ethica notatu digniora sunt: tractatus de oratione et valore ejus; de contractibus, emtione et venditione; de differentia peccatorum mortalium et venialium: definitiones terminorum ad theologiam moralem pertinentium, velut libertatis, legis, gratiae, virtutis; regulae morales, quae partim in morum praeceptis, partim in variis monitis de septem capitalibus peccatis, de decem Dei praeceptis, et de septem sacramentis consistunt. Dionysius Carthusianus non tan-

tum aliqua scripsit, ad communem morum disciplinam pertinentia, sed etiam diversorum ordinum, statuum, imo aetatum, velut clericorum, monachorum, principum, militum, virginum, viduarum, conjugum, puerorum, senum officia et mores eis convenientes enarravit. Methodo, a scholastica aliena porro scripserunt Joannes Picus, princeps Mirandulae et comes Concordiae, portentum ingenii et eruditionis in fine saeculi 15., in omnibus, quae tunc temporis habebantur, scientiis versatus, ex cujus scriptis huc pertinent tractatus de dignitate hominis, et 12 praecepta seu regulae ad institutionem vitae Christianae; et Hieronymus Savonarola qui exaravit tractatum de modo bene vivendi et tendendi in Deum, et 4 libros de simplicitate vitae Christianae, in quibus praerogativae, causae effectrices, characteres interni et externi, denique fructus hujus vitae describuntur. Ex reliquis scriptis moralibus hujus periodi adhuc commemorari merentur Joannis Baconi Angli, Carmelitae, theologiae et juris utriusque doctoris, († 1346.) compendium legis Christianae; Henrici de Hassia, Carthusiani († 1428.) regulae ad discernendum peccatum mortale a veniali, liber de contractibus et ordine censuum; Joannis Nider, Suevi, Dominicani, universitatis Vindobonensis rectoris († c. 1440.) formicarius, in quo libro in formam dialogi inter theologum et pigrum quemdam redacto, formicae tanquam morum praeceptores proponuntur; ejusdem liber de lepra morali; praeceptorium legis seu tractatus de praeceptis decalogi; liber de modo bene vivendi; destructorium vitiorum, circa annum 1429. ab anonymo quodam confectum, constans ex octo partibus, quarum prima de peccato generatim, secunda de peccato originali, reliquis sex de intemperantia, luxuria, avaritia, acedia, superbia, invidia et iracundia agitur. Haec vitia et peccata, inde enasci solita non tantum describuntur, sed etiam motiva, cur fugienda sint, et adminicula seu subsidia contra ea ubique adferuntur. De omnibus his

materiis plurima e s. scriptura, e patribus, scholasticis, aliisque scriptoribus collecta exhibentur. Multa quidem vitae utilia, verum etiam steriles subtilitates, sententiae, distinctiones, mysticaeque interpretationes haud paucae ab auctore allatae sunt. Denique extat ex hac periodo lexicon quoddam morale, in usum concionatorum potissimum concinnatum, et flos theologiae nuncupatum, in quo voces et doctrinae ethicae, sed inter eas etiam nonnullae dogmaticae, juxta ordinem alphabeti breviter explicantur, exemplis et similitudinibus illustrantur, et allegatis biblicis ac patristicis confirmantur.

§. 560. Opera mystica et ascetica.

Theologia mystica, et quae ei ministrat, ascetica,[1] hac quoque periodo multos, et inter hos insignes cultores habuit. Sed unicus fere Gersonius theoretice de ea praecepit, idque in 33 considerationibus speculativis, et 12 practicis, quas posteriores etiam industrias vocavit, et in quibus, an et quomodo vita contemplativa colenda sit, disquiritur. In prioribus vero auctor docet, theologiam mysticam niti experientiis internis animorum devotorum, quorum effatis consentientibus fides adhibenda sit. Theologiam illam dicit extensionem animi in Deum per desiderium amoris; indicat animi potentias tam cognitivas, quam affectivas, describit tres earum operationes, nempe contemplationem, meditationem, et cogitationem, denique modum, quo ad theologiam mysticam perveniri possit. Post haec 10 discrimina inter mysticam et speculativam theologiam proponit, cujusmodi sint, quod ista in potentia cognitiva, illa in affectiva sedem habeat, haec in verum, illa in bonum tendat, haec ratiociniis, illa affectibus, et virtutum exercitio, animum mundante, illuminante, et perficiente comparetur, haec nos semper inquietet, illa in Deo confirmet, et ex cupiditatum sensualium fluctibus ad firmum aeternitatis littus perducat. Quod

cum amore fiat, Gersonius jam de hoc et tribus ejus effectibus agit, videlicet: raptu in Deum, conjunctione cum eo, et quietatione in eo. De conjunctione cum Deo varias variorum adfert sententias, ex quibus illam, juxta quam animus subsistentiam suam amittat, et quasi in essentiam divinam solvatur, haereticam censet, ipse vero intimam quamdam ad Deum adhaesionem, et similitudinem cum eo illam esse statuit. Theologiam mysticam etiam in perfecta oratione poni posse dicit, in qua, si sit extatica, beatitas animae rationalis in hac vita potissimum consistat. In his aliisque scriptis mysticis, velut de illuminatione cordis, de elevatione mensis ad Deum, de consiliis evangelicis et statu perfectionis, Gersonius perspicuitate et usu practico omnes, qui ante eum de theologia mystiea scripserunt, superavit, errores mysticorum evitavit, imaginationes et dictiones eorum absonas reprobavit, imo examinatis animi humani viribus modo philosophico ostendere conatus est, qua ratione animus intimae cum Deo conjunctionis capax esse possit. — Praeter eum adhuc Henricus Harphius, posteriori saeculi 15. tempore Franciscanorum Maliniensium guardianus, in tribus libris de theologia mystica, tum speculativa, tum affectiva theoretice praecepit, et praeterea varia opuscula mystici argumenti confecit, velut speculum aureum in praecepta decalogi, speculum perfectionis, collationes tres de perfectione vitae. Ex reliquis scriptoribus mysticis et asceticis hujus periodi notatu digniores sunt sequentes: Dionysius Carthusianus, cujus scripta, huc pertinentia jam alio loco commemorata sunt; Joannes Tauler, Coloniensis, ordinis Praedicatorum, vir piissimus, et insignis praeco verbi divini, quod praecipue Argentini summa cum laude et magno fructu annuntiavit. († 1361.) Ejus scripta mystica, Germannice composita, sunt: imitatio pauperis vitae Christi; considerationes spirituales de vita et passione Christi; medulla animae, seu de perfectione omnium vir-

tutum; de 10 coecitatibus et 14 radicibus divini amoris; de 9 rupibus sive gradibus Christianae perfectionis; institutiones divinae ad unionem cum Deo per spirituales exercitationes virtutesque, et alia quaedam. In eis occurrunt, quae omnibus mysticis communia sunt: doctrinae et regulae morales, sub imaginibus et allegoriis propositae, institutiones et adhortationes ad sensualitatem domandam, ad semetipsum abnegandum, ad animam ab omnibus rebus externis abstrahendam, et in ea ipsa colligendam, quo in essentiam divinam quasi dissolvatur; — Henricus Amandus Suso, Constantiensis, pariter Dominicanus, a. 1365. cum fama viri sancti et miraculorum patratoris mortuus, cujus opera mystica, velut horologium divinae sapientiae, per modum dialogi inter sapientiam aeternam ejusque discipulum, conscriptum, tractatus de 7 rupibus, 100 meditationes de passione Domini, pariter in lingua Germanica originetenus composita sunt; — Joannes Ruisbroek, Belga, qui, postquam usque ad 60 aetatis annum tanquam presbyter saecularis Bruxellis vitam solitariam et contemplativam vixisset, coenobium canonicorum S. Augustini in viridi valle prope Bruxellas ingressus, et tanquam prior ibidem a. 1381. mortuus est. Dictus est doctor divinus, et a Dionysio Carthusiano alter Dionysius Areopagita. Opera sua in idiomate Belgico composuit. Ex eis notanda veniunt: Summa totius vitae spiritualis; tractatus de 7 custodiis vitae spiritualis, cujusmodi auctori sunt: commoratio in uno eodemque loco Dei colendi causa, inclusio hominis externi sensualis intra hominem internum rationalem, gratia et amor Christi; tractatus de 7 gradibus amoris, qui ei sunt: bona voluntas, spontanea paupertas, castitas, humilitas, intentio honoris divini in omnibus actionibus, contemplatio, ad quam spiritus purus et animus nudus requiritur. Ultimus denique gradus est, si quantumcuncque scientes, nihil prorsus nos scire sentimus; speculum salutis aeternae, in quo auctor do-

cet, tria esse genera Christianorum Deo servientium, primum eorum, qui pro bona sua voluntate virtutem sectantur, vitium fugiunt, alterum eorum, qui ad apicem cunctarum virtutum sedulo tendunt, tertium illuminatorum et sublimatorum, qui per intimam cum Deo conjunctionem in eo quasi moriuntur vel annihilantur. In fine describit vitam contemplativam, qua talis cum Deo conjunctio producatur; tractatus de vera contemplatione, quae describitur, simul tamen monetur, ad eam, quae intellectui inpervia est, experiendam, summum gradum hominis interni seu animi conscendendum esse. Caeterum Rusbrockius in suis elevationibus nonnunquam exorbitavit, animamque Deum contemplantem subsistentiam suam amittere, et in Dei essentiam absorberi docuit, quapropter a Gersonio impugnatus, ab aliis tamen ex iis, quae saniora et moderatiora de eadem re habet, defensus est; — S. Bernardinus Senensis, Massanae in Hetruriae oppido natus ex nobili familia de Albizesca, ordinem S. Francisci ingressus, fratribusque Cismontanis de observantia, quos ipse instituerat, praefectus, ultra 300 monasteria reparavit aut extruxit, sacrisque sermonibus, vitae sanctitate, et miraculorum fama maxime inclaruit. († 1444.) Inter scripta ejus mystica seu ascetica pertinent: de aspirationibus quotidianis ad Deum; de triplici statu animae; de triplici amore magorum; de triplici Christi Domini nativitate; de tribus tormentis peccatorum; de mundana prosperitate; de pugna spirituali; de amore Dei, quae duo posteriora in forma sermonum quadragesimalium composita sunt; — S. Laurentius Justinianus, e patricio Venetorum Justinianorum genere, canonicus regularis S. Augustini, 30 annis in vita regulari exactis, Venetiarum episcopus, extinctoque patriarchatu Gradensi primus patriarcha, vir piissimus et erga pauperes liberalissimus. († 1455.) Ex ejus scriptis, plerumque mysticis et asceticis sequentia notanda veniunt: de disciplina et spirituali perfectione; de casto connubio

Verbi et animae; de interiori conflictu; de vita solitaria; de contemtu mundi; de spirituali interitu animae; de ejusdem resurrectione spirituali; de gradibus perfectionis; — Thomas Hämmerken, Latine Malleolus, a loco natali in dioecesi Coloniensi communiter a Kempis dictus, canonicus regularis in coenobio S. Agnetis prope Zwoll ab ipso fundato. († 1471.) Is maxime inclaruit notissimo libello mystico de imitatione Christi, qui quantum plerorumque Christianorum animo congruat, ejusdem in omnes fere Europaeas et nonnullas Asiaticas linguas translationes et iteratae usque ad recentissima tempora editiones testantur, quae post biblia nulli alii libro obtigerunt. Verum in eo non tam institutio ad vitam Christi terrenam imitandam, quam potius animi informatio ad conjunctionem cum Deo ineundam, variis doctrinis moralibus, piis meditationibus et monitis tradita continetur. Praeter hoc opusculum Thomas complura alia scripta mystici et ascetici argumenti reliquit, in quibus animum magis ad pietatem informavit accenditque, ac caeteri omnes scriptores mystici, a phantasiae lusibus, et animi exaltati motibus plus sibi temperavit, et practica plura, communi hominum conditioni congrua attulit.

§. 561. Status theologiae pastoralis.

Institutiones omnium muneris pastoralis partium rite explendarum conscribere vel oretenus tradere, ne hac quidem periodo cuiquam in mentem venit, atque etiam de singulis partibus pauci scriptis praeceperunt. Equidem, quod officia et mores clericorum generatim attinet, Gersonius composuit sermonem de officio pastorum et alium de vita clericorum, porro tractatum de visitatione praelatorum et cura curatorum; Bernardinus Senensis tractatum de gubernatione pastorali; Laurentius Justinianus duos libros de regimine et institutione praelatorum; Dionysius Carthusianus librum de vita et regimine praesulum, alterum de vita et re-

gimine archidiaconorum, et tertium de vita et regimine curatorum. In usum concionatorum, praeter alios, inter scriptores ethicos jam commemoratos, scripserunt Leonardus de Utino, Dominicanus, qui in variis Italiae urbibus verbum Dei magno cum plausu praedicavit, († 1470.) tractatum de locis communibus concionatorum, Reuchlinius libellum de arte concionandi, Erasmus Rotterdamensis librum, ecclesiasten dictum, in quo concionatores docuit, quae ab eis proferenda, et quomodo intellectui et animo auditorum admovenda sint. Eorum autem, qui sermones sacros ipsos composuerunt, numerus utique maximus fuit, et complures eorum celeberrimum nomen consecuti sunt. Conciones ab eis confectae sunt partim in evangelia et epistolas Dominicas, et hae de tempore dicuntur, partim in festa B. Mariae et aliorum sanctorum, partim tempore quadragesimali, partim denique specialibus in casibus. Ex illis, quae ad nos usque transmissae sunt, videmus, themata in eis proposita non ita fuisse pertractata, ut omnia, quae dicebantur, ad ea referrentur, sed multa aliena fuisse immixta; doctrinas morales quidem fuisse pertractatas, sed immixtis multis rebus dogmaticis, disciplinaribus, historicis, ad illas persuadendas aut illustrandas parum aut nihil facientibus, easdem artificiosis interpretationibus mysticis e textu sacro elicitas et amplius evolutas fuisse, conciones singula quidem loca egregia continere, sed non per integrum bonas esse, concionatores allegoriis et longioribus quoque imaginibus admodum fuisse oblectatos, scriptores antiquos Graecos et Romanos frequenter allegasse, quaestiones etiam, secundum morem scholasticorum inutiles, curiosas, et subtiles excitasse, et dialectice pertractasse, usum practicum dictorum non satis respexisse, nonnullos etiam, inter quos Gabriel, a loco natali in regno Neapolitano Barletta cognominatus, Dominicanus versus finem saeculi 15. celeberrimus erat, narrationibus, descriptionibus et dictionibus comicis, sed s. suggestu

indignis, auditorum oblectationi studuisse. Celebriores hujus periodi concionatores fere sequentes erant: Inter Italos: Hugo Pratensis, Florentinus, Dominicanus, († 1322.) Albertus Patavinus, Augustinianus eremita eodem saeculo 14., Bernardinus Senensis, S. Joannes Capistranus, Leonardus de Utino, cujus quadragesimale de legibus cognominatum est, quia in singulis sermonibus Moses et Thomas Aquinas introducuntur, doctrinam aliquam practicam ex omnis generis legibus confirmantes. Inter Gallos: Petrus Paludanus, Burgundus, ordinis Praedicatorum, postea patriarcha Jerosolymitanus, († 1342.) Gersonius, qui moralia potissimum eaque sat graviter, communi intellectui accomodate, et cum frequenti locorum biblicorum usu tradidit, Richardus Franciscanus, qui circa annum 1422. sermonibus suis sacris citissime totam civitatem Parisiensem ad saniora consilia perduxit, quae vero post ejus abitum non minus cito iterum disparuerunt; Joannes Raulinus Tullensis, ex Parisiensi theologiae doctore monachus Cluniacensis, altero saeculi 15. dimidio, qui inter alios etiam sermones de poenitentia sub nomine itinerarii ad paradisum reliquit. Inter Hispanos: Vincentius Ferrerius, ordinis Praedicatorum, Benedicti XIII. aliquamdiu confessarius, post mortem inter sanctos relatus, cujus conciones nimis scholasticismum sapiunt. Inter Germannos: Joannes Tauler, cujus sermones sacri sicut reliqua opera mystici generis sunt; Meffrethus, presbyter Misniensis, medio circitsr saeculo 15. clarus, cujus sermones sacri, hortulus reginae dicti, mysticis locorum biblicorum interpretationibus, narrationibus ex historia naturali et politica, locis e patribus, scholasticis, et antiquorum Graecorum ac Romanorum scriptoribus pleni sunt; Gabriel Biel, cujus sermones de tempore argumenti potissimum moralis et locis biblicis referti sunt; Georgius Morgenstern, juris canonici in universitate Lipsiensi doctor, cujus sermones contra vitia capitalia et contra perversitates omnis

generis hominum directi, potissimum Vae apocalypticum intentant, et vehementibus increpationibus pleni sunt; Joannes Geiler, dictus de Kaisersberg, loco natali in Alsatia superiori, prius theologiae in universitate Basileensi doctor, postea concionator Argentini, ubi a. 1510. mortuus est. Is praeter alios sermones sacros, in poema, a Sebastiano Brand, sub nomine naviculae fatuorum confectum, 110 conciones scripsit, qui pariter communi nomine naviculae vel speculi fatuorum comprehenduntur, eo quod diversissima genera fatuorum, i. e. hominum, certis rebus ultra modum inhaerentium, vel certis vitiis deditorum in eis ita traducuntur, ut ubique multa, quae ad vitia ista fugienda movere possunt, adjiciantur. Quod attinet rectam administrationem sacramenti poenitentiae, praeter illos, qui summas casuum conscientiae exararunt, nonnulli specialibus institutionibus confessarios adjuvare conati sunt, velut Joannes Friburgensis ex ordine Praedicatorum, († 1314.) qui praeter summam praedicatorum etiam summam confessariorum concinnavit; Joannes Gerson, qui scripsit de arte audiendi confessiones et opusculum super absolutione confessionis sacramentalis; S. Antoninus, qui elucubravit summam confessionalem. De modo agendi cum infirmis et de recta liturgiae administratione hac periodo quemquam scripsisse non invenimus. Tanquam opera catechetica practica considerari possunt Gersonii opusculum tripartitum de praeceptis decalogi, de confessione, et de arte moriendi, in quo perspicue, plane, et indigentiis lectorum accommodate, doctrinae de creatione, lapsu et redemtione breviter traduntur, fusiori decalogi explicatione morum praecepta proponuntur, docetur, quomodo peccator contritione, vitae emendandae proposito, et confessione veniam et beatitatem a Deo consequi possit; traduntur institutiones ad conscientiam explorandam, et regulae a confitente et confessario observandae; postremo docetur, quomodo moribundus

sit exhortandus, quae quaestiones ei proponendae, quae preces cum eo recitandae, et quomodo in universum tractandus; et compendium theologiae, eidem Gersonio auctori adscriptum, in quo symbolum apostolicum, decalogus, septem sacramenta, virtutes theologicae et cardinales, oratio Dominica, septem dona spiritus sancti, octo beatitudines methodo facili et parochis simplicioribus accomodata exponuntur. Qui theoretice de arte catechetica praeceperit, nemo hac periodo deprehenditur, nisi forte huc pertineat Gersonii tractatus de parvulis ad Christum trahendis, quem iste vir postremo vitae tempore conscripsit, cum parvulis in religione instituendis Lugduni sponte operam navaret.

Caput tertium.

De ecclesiae organismo.

A. *Hierarchico.*

§. 562. Sedes pontificia Avenionem translata.

Systema hierarchicum per totam hanc periodum eodem fere in statu permansit, ad quem priori perductum fuerat. Perdurabant praeter parochos vicarii parochiales temporanei, clerici sine titulo ordinati, capitula canonicorum saecularium, tum cathedralium, tum collegiatorum cum suis juribus, privilegiis et ornamentis, archipresbyteri et decani rurales, archidiaconi ad meram dignitatem deducti, officiales et vicarii generales episcoporum. Hi ipsi non minus ac metropolitae gravissimis juribus, quae per exemtiones, appellationes, causarum majorum, graviorum conscientiae casuum et beneficiorum reservationes, synodorum provincialium enervationes etc. elapsis saeculis ad pontifices Roma-

nos devenerant, carere pergebant. At circa hos decur-rente hac periodo plura magni momenti acciderunt, quae potestatem eorum ecclesiasticam minuere mina-bantur, re ipsa tamen non minuerunt. Eventibus istis primam ansam praebuit sedes pontificia, Avenionem in Gallia translata auctore Clemente V., qui ab archi-piscopatu Burdegalensi a. 1305., agente Philippo Pul-chro, ad pontificatus apicem evectus fuit. Is cum in Aquitania natus et munere suo ibidem functus esset, partim amore patriae, partim timore turbarum, quibus Italia et Roma jactabatur, hanc urbem ne accessit qui-dem, sed postquam, evocatis ad se cardinalibus, Lug-duni coronatus, et deinde in variis Galliae urbibus ac monasteriis commoratus fuisset; a. 1308. Avenione in Provincia, propriis comitibus tum subjecta, sedem suam fixit. Cum dignitatem cardinalitiam multis praelatis Gallicis contulisset, horumque opera etiam post eum semper Galli ad summum pontificatum eveherentur, hi iisdem fere ex causis, ac Clemens V., Avenionem Romae praetulerunt, quamvis Romani singulos eorum ad reditum permovere conarentur. Septuaginta circiter annis haec Romanorum pontificum a Roma absentia duravit, quae ab Italis captivitas Babylonia dicta est. Septem labente hoc tempore pontifices ecclesiam re-xerunt, quorum quartus Clemens VI. a Joanna Pro-vinciae comitissa, et Neapolis regina urbem et ditio-nem Avenionensem pro pontificibus emit, quam Caro-lus IV. imperator, dominus ejus feudalis, in allodium prorsus liberum ac independens mutavit. Gregorium XI. ultimum eorum plerarumque civitatum pontificia-rum defectio, et spes, eas sua praesentia ad obe-dientiam perducendi, nec non adhortationes Cathari-nae Senensis, ob sanctitatem omnibus summe venera-bilis permoverunt, ut a. 1376. sedem pontificiam Ro-mae restitueret, eoque absentiam pontificum ab hac urbe terminaret. Haec absentia gravissimos effectus produxit. Tales erant major quaedam pontificum a vi-

cinis

cinis Galliae regibus dependentia, qua ea, quae tranquillitati imperii Romano-Germannici conducebant, etiamsi vellent, exequi prohibebantur, quamprimum illorum consiliis adversa erant, ut praecipue ex historia dissidii inter pontifices et imperatorem Ludovicum Bavarum apparet; deinde seditiones et bella Romae et in tota Italia, quae iis in illa urbe residentibus tot ac tanta non fuissent, siquidem absentium et Gallis addictorum auctoritas ab Italis et Romanis parvi pendebatur; denique schisma, quod ecclesiam Occidentalem multo tempore afflixit, eique alias quoque sequelas sat tristes attraxit.

Baluz. vitae pontif. Avenionens.

§. 563. Magnum schisma Occidentis.

Hoc schisma non oriturum fuisse, si sedes pontificia Avenionem non fuisset translata, ejus origo satis ostendit. Mortuo enim a. 1387. Gregorio XI. Romani metuentes, ne pontifex e Gallis electus iterum Avenionem discederet, cardinalibus mortem minati sunt, ni Romanum vel saltem Italum pontificem eligerent. Itaque hi Bartholomaeum de Prignano, Neapolitanum, et Bariensem in regno Neapolitano archiepiscopum pontificem proclamarunt. Hic, qui Urbanus VI. nominari voluit, mox importuna severitate et superbia cardinales adeo a se abalienavit, ut plerique eorum, imprimis Gallici, post paucos menses Ananiam discederent, ibique Urbani electionem ceu vi extortam nullam irritamque pronuntiarent. Quo facto Fundos in regno Neapolitano profecti, Robertum e comitibus Gebevensibus, archiepiscopum Cameracensem et cardinalem, pontificem elegerunt, qui nomen Clementis VII. assumsit. Cum praetextus cardinalium fundamento non careret, plura regna Occidentalia pontificem ab eis electum agnoverunt, ita ut ecclesia Latina in duas partes scinderetur, et schisma oriretur, quod magnum schisma Occidentis vocari consuevit. Attamen praeter Neapo-

lim, Aragoniam, huicque conjunctam Siciliam et Sardiniam, Castellam, Galliam, Sabaudiam, Lotharingiam et Scotiam, quae regna Clementem VII. securitatis causa Avenionem profectum agnoscebant, reliqua omnia Urbano VI. adhaeserunt. Cum hic a cardinalibus desertus, mox magnum numerum novorum sibi creasset, et utriusque pontificis asseclae post mortem capitis sui, novum semper sibi constituerent, schisma istud ultra 30 annos duravit. Sed cito viri, unitatis et pacis ecclesiasticae studiosi vocem suam de illo extinguendo tollebant, et tanquam medium id efficiendi, concilium generale proponebant. Et postquam Bonifacius IX., in locum Urbani VI., a. 1389. mortui, electus, Clementem VII. oblatis magnis emolumentis ac ornamentis ad deponendum pontificatum, Galliae regem autem ad schisma extinguendum et Clementem deserendum provocasset; in Gallia jam ab aula, clero, praecipue vero ab universitate Parisiensi maxima cum industria de schismate extinguendo tractari coepit. Sed haec coepta diu effectum optatum non consecuta sunt, quia utriusque partis pontifices eorumque asseclae in agendi ratione partis adversae semper rationem vel praetextum deprehendebant, isti quidem, ut mortuo suo capiti novum substituerent, illi ut dignitatem suam non deponerent, aut concilio generali celebrando non consentirent, quamquam ab electoribus suis ad unum aut alterum faciendum jurejurando obstricti erant. Id speciatim valet de Petro de Luna, Aragone, qui post mortem Clementis VII. a. 1394. a cardinalibus, confratribus suis, pontifex electus fuerat, et Benedictum XIII. se nominaverat. Hunc nec illud, quod Galli in conciliis nationalibus iterato obedientiam ei denegabant, eumque comprehendere nitebantur, nec illud, quod ejus cardinales a. 1408. ab eo deficiebant, ad spontaneam cessionem, vel ad approbandum concilium generale permovere valuit. Itaque cardinales, eo deserto, in Tusciam se contulerunt. In eandem terram

jam antea cardinales Romani a Gregorio XII. capite suo discesserant, pertinacia, qua media, schismati tollendo apta, contra jusjurandum et promissiones, ab initio a se factas, repudiabat, offensi, insuper et a Galliarum rege ac universitate Parisiensi non minus quam cardinales Avenionenses ad schisma communibus consiliis extinguendum provocati. Itaque utriusque partis cardinales nunc conjuncti et universitatum Bononiensis ac Florentinae assensu aucti, concilium generale indixerunt, a. 1409. Pisis celebrandum. Periculum inde sibi imminens papae schismatici eo avertere conabantur, quod uterque et ipse concilium celebraret, a praelatis, adhuc sibi obedientibus frequentatum, Benedictus quidem Perpiniani, anno adhuc 1408., Gregorius autem in civitate fori Julii. Cum illo enim adhuc Hispani, Sabaudi, Lotharingii et Scoti, cum isto Neapolitani, qui jam a Clemente VII., defecerant, postquam Urbanus VI. loco reginae Joannae Carolo de Dyrrachio eorum regnum contulisset, porro ipse imperator Rupertus, a Bonifacio IX. in solio confirmatus, et ex principibus Germannicis elector Trevirensis et dux Bavariae faciebant. Sed haec pontificum conamina non alium habuerunt effectum, nisi ut ipsi Benedicti asseclae plerique, in concilio praesentes, unitatis ecclesiasticae promotionem, utut in ejus dispendium efficiendam enixe ei commendarent, Gregorii autem adversarios ejus schismaticos pronuntiarent, omniaque eorum decreta irrita declararent.

Theodorici de Niem libri tres de schismate, et liber quartus seu nemus unionis. Bulaeus historia universit. Paris. Puteanus histoire general du schisme etc. Maimbourg hist. du grand schisme d'Occident.

§. 464. Schismatis effectus.

Plerique enim Christianorum schisma valde pertaesi erant. Nam praeterquam, quod ecclesiae unitatem foede discinderet, maxima inde perturbatio exorta erat.

Antipapae se suosque asseclas mutuo diris devovebant, unde animae, de sua salute sollicitae multum angebantur, praesertim cum indubitata certitudo, quis verus pontifex sit, non haberetur. Nonnunquam illi, quibus proprius pontifex aliquid, v. g. beneficium denegabat, ad alterum convertebantur, et rem ab eo impetratam sibi vindicare conabantur, unde altera parte repugnante nonnunquam ad proelia ventum est. Pontificum auctoritas durante schismate non exiguum decrementum passa est, partim quod principibus aliisque asseclarum suorum, ne a se averterentur, varia concedere debebant, quae alias pontifices non concedebant, partim quia occasione discussionum, quae ad schisma extinguendum, imprimis ab universitatibus fiebant, jus canonicum antiquum resuscitatum, et principia proposita sunt, illimitatae pontificum potestati haud faventia, nominatim, eos certis in casibus humano quoque judici, concilio nempe generali subesse. Ejusmodi concilia, nunc saepius celebrata, ulterior schismatis effectus erant. Denique cum pontifices, partim auctoritati suae contra adversarios tuendae toti intenti, partim, ne asseclas suos a se averterent, erga hos justo indulgentiores essent; laxata disciplina et censura, omnis generis abusus in rebus ecclesiasticis invalescebant, morumque corruptela, inter clericos et laicos jam antea magna, plurimum augebatur.

§. 565. Abusus ecclesiastici.

Abusuum ecclesiasticorum haud pauci ab ipsis pontificibus nonnullis descendebant ac fovebantur, et partim in immodica potestatis pontificiae extensione, partim in gravibus pecuniarum exactionibus consistebant. Jam aliqui eorum, qui Avenione resederant, annatas i. e. redditus primi anni ex beneficiis recens collatis, sibi vindicaverant, multa beneficia in commendas mutaverant, i. e. ea cardinalibus aliisve ita commiserant, ut redditus eorum percipere, administrationem autem

muneris ei annexi aliis pro certa mercede committere possent, episcopatus aliaque beneficia quam plurima vel nomine provisionis contulerant, vel conferenda sibi reservaverant. Clemens VII. non tantum pro suis usibus decimas a clero extorsit, sed etiam similes exactiones principibus saecularibus, quo eis placeret, concessit. Nemo autem pontificum majorem ex beneficiis ecclesiasticis quaestum petiit, quam Bonifacius IX. Is inde a decimo pontificatus sui anno ab omnibus, qui episcopatum aut abbatiam obtinere cupiebant, jam antequam eam reapse acciperent, annatas, easque duplo majores, ac in libris camerae apostolicae consignatae erant, exigebat. Ipse ejusque secretarii et cubicularii beneficia plurimum offerentibus conferebant. Idem ingentem multitudinem expectativarum pro pecunia concedebat, nec non dispensationes, speciatim a lege, qua beneficia plura ab eodem simul possideri vetitum erat. Indulgentiis quoque, quas per praecones suos Germannis aliisque populis septentrionalibus sub praetextu subsidiorum contra Turcas offerebat, multum pecuniae ab eis hausit. His abusibus, cum alii multi, et ingens morum tam inter clericos quam inter laicos corruptela accederet, status ecclesiae jam admodum depravatus erat, quem praeter alios Nicolaus de Clemangiis in libro singulari deploravit. Haec depravatio adeo manifesta erat, ut nemo eam negare auderet. Natum est inde commune fere ac vehemens desiderium, ut iste status ecclesiae emendaretur, seu, prout dicere solebant, ut ecclesia in capite et in membris reformaretur.

§. 566. Concilium Pisanum.

Duo igitur concilium, a cardinalibus indictum, et statuto tempore ac loco reapse celebratum sibi proposita habuit, sublationem schismatis et ecclesiae reformationem. Adfuerunt in eo, praeter 22 cardinales plurimi episcopi et abbates aut eorum vicarii, viri ab universitatibus et capitulis cathedralibus ablegati, ultra

...os theologiae et juris canonici doctores, et legati principum, omnes ex Gallia, Anglia, Italia, Polonia et terris quibusdam Germannicis. Rupertus autem imperator per legatos solemniter contra concilium reclamavit. Sed hoc nulla ejus rei ratione habita, sermone 15. ambos pontifices, frustra citatos, tanquam schismaticos, perjuros, imo haereticos deposuit, omnibus Christianis, ne eos sectarentur, sub excommunicationis poena interdixit, magistratibus autem, ut eos vi adhibita, ad deponendum pontificatum adigerent, praecepit. Deinde cardinales, postquam solenniter promisissent, quicuncque eorum pontifex electus foret, concilium nonnisi perfecta reformatione terminaturum esse. Petrum de Candia, a patria ita dictum, olim Franciscanum et philosophiae ac theologiae in universitate Parisiensi professorem, nunc archiepiscopum Mediolanensem et presbyterum cardinalem pontificem elegerunt, qui Alexander V. dici voluit. Is quidem coram concilio episcoporum defunctorum facultatibus, et redditibus intercalaribus beneficiorum vacantium renuntiavit, novumque concilium generale a. 1412. celebrandum annuntiavit; circa reformationem tamen ecclesiae, quia plerique episcopi et principum legati jam abiverant, nihil decrevit, sed eam futuro concilio reservavit, ac praesens 7. Augusti ejusdem anni 1409. terminavit.

Lenfant histoire du concil. de Pise.

§. 567. Schismaticis continuatio.

Sed neque primarium suum finem, schismatis extinctionem, concilium Pisanum consecutum est, quod propter neglectam reformationem nec omnibus suis asseclis probabatur. Tam Benedictus, quam Gregorius suos sectatores retinebant, et tanquam pontifices se gerere pergebant. Malum igitur auctum erat, cum ecclesia nunc inter tres pontifices divisa esset. Nec Alexander V. is erat, qui a se alienos ad suas partes per-

trahere scivisset. Etenim non tantum nihil decrevit, ecclesiae statui emendando aptum, sed etiam, cum vir benignissimus et liberalissimus esset, nemini quid denegare valens, gratias pontificias sine mensura et discrimine personarum distribuebat, et clericis suis aulicis immodica favoris specimiua exhibebat. Praeterea totus pendebat ab homine vitae non integro, nec sceleris puro, Balthasaro Cossa, cardinali et legato seu gubernatore Bononiensi. Magis adhuc spes, ecclesiam scissam uniendi decrevit, cum post mortem Alexandri a. 1410. idem Cossa largitionibus et minis, in collegas suos adhibitis effecisset, ut ipse nomine Joannis XXIII. in solium pontificium eveheretur. Is, cum multa pecunia ad bellum contra Ladislaum Neapolis regem, quem Alexander V. deposuerat et excommunicaverat, gerendum indigeret, non tantum ab officialibus curiae suae amplas summas extorquebat, sed etiam indulgentias aere lucrandas promulgabat, atque mox initio pontificatus sui omnibus episcopatibus et abbatiis ad conferendum sibi reservatis, dimidium annatarum ante collationem exigebat, et si alterum dimidium intra annum inde a beneficio accepto solutum non erat, idem denuo vacare pronuntiabat, imo nonnunquam pluribus idem beneficium conferebat. Quibus omnibus quantum animi ab eo debuerint abalienari facile intelligitur. Nihilominus eo tempore aliqua acciderunt, quibus ambitus ecclesiae ei parentis amplificatus est. Mortuo enim a. 1410. imperatore Ruperto, hujus successor Sigismundus Joannem tanquam pontificem agnovit. Ladislaus autem ex conditionibus pacis, a. 1412. cum eodem initae, Gregorium XII., quem hactenus protexerat, acceptato Joanne, e regno suo amovit, unde ille Ariminum se recepit, cujus possessores, domini de Malatesta Joannem repudiabant. Qui cum ab omnibus tanquam pontifex acceptari cuperet, atque etiam ex synodi Pisanae decretis ad opus ibi coeptum perficiendum a. 1412. novum concilium celebrandum esset, re-

apse hoc anno tale concilium Romae congregavit, in quo autem propter exiguum numerum praesentium praelatorum nihil omnino decretum est. Cum anno sequenti Sigismundus in Italiam venisset, pontifex ad ejus auxilium contra Ladislaum, qui pace rupta Romam denuo occupaverat, impetrandum, arctiorem cum eo conjunctionem iniit, adeoque schismatis tollendi et ecclesiae reformandae studiosissimo novi concilii convocationem denegare non potuit. Cumque legati, quos paulo post de loco concilii definiendo ad imperatorem misit, huic consensissent, ut Constantiae ad lacum Bodamicum celebraretur, pontifici hanc urbem rejicere eoque imperatorem offendere non consultum videbatur, licet concilium, extra Italiam celebrandum, animum ejus non parum sollicitum redderet. Igitur pontifex et imperator unitis consiliis synodum oecumenicam, sequenti anno 1414. Constantiae celebrandam indixerunt, atque etiam pontifices schismaticos cum praelatis sibi addictis, promisso libero commeatu, ad illud invitarunt.

§. 568. Concilium Constantiense.

Concilium istud statuto tempore reapse celebratum est. Duobus finibus ei propositis, schismatis sublationi et ecclesiae reformationi tertius accessit, judicatio nempe doctrinarum heterodoxarum, quas ab aliquo tempore Hussius disseminabat. In eo comparuerunt, ipse summus pontifex Joannes, et imperator Sigismundus, 22 cardinales, ultra 100 episcopi et archiepiscopi, totidem circiter abbates cum multis monachis ex primariis ordinibus, praecipuarum universitatum, nominatim Parisiensis, Coloniensis, et Viennensis deputati, permulti theologiae et juris canonici doctores, ac ingens numerus presbyterorum, aliorumque clericorum, ex principibus autem saecularibus plures electores et duces Germanniae. Inter praesentes post imperatorem maximam auctoritatem habebant Petrus de Alliaco, archiepiscopus Cameracensis et cardinalis, et Joannes

Gersonius cancellarius universitatis Parisiensis. Postquam jam primis hujus periodi annis, occasione dissidii inter pontifices et Ludovicum imperatorem plures Romani pontificis potestatem diversimode impugnassent, Gersonius inde a convocato concilio Pisano, maxime vero nunc durante Constantiensi, in pluribus tractatibus et orationibus illa juris ecclesiastici principia proposuit, evolvit, et commendavit, quae concilium in suis contra pontifices processibus magna ex parte secutum est, quorum summa haec fere erat: ecclesiam, et quod eam repraesentat, concilium generale pontifice esse superius, eumque judicare, et non tantum propter haeresin (sicut antea putabatur) sed etiam propter crimina ecclesiae perniciosa deponere, imo sine his, si ecclesiae salus exigat, ad cessionem adigere, ejus potestatem, seu hujus exercitium secundum utilitatem ecclesiae restringere, ejus decreta, et caeteras leges ecclesiasticas abrogare aut mutare posse, pontificem ei obedire debere, nec ejus decreta pro arbitrio tollere valere. Talibus principiis in animum admissis sine dubio adscribendum est, quod in hoc concilio non tantum praelatis, sed etiam prioribus, doctoribus, absentium praelatorum et capitulorum vicariis, selectis quibusdam parochis, imo principibus saecularibus eorumque legatis jus votum ferendi tributum, atque in pontificis dispendium statutum est, ut vota non viritim sed per nationes ferrentur.

§. 569. Extinctio schismatis.

Quoad sublationem schismatis, mox ab initio major pars concilii in ea convenit sententia, omnibus tribus pontificibus loco suo cedendum esse. Joannes, a quo concilium, ut id sponte faceret, primo petiit, solemniter quidem se facturum promisit, dummodo duo pontifices schismatici idem facerent, atque etiam, petente imperatore, promissum suum, scripta desuper bulla confirmavit, quia resistere vix poterat. Cum vero pro-

missis standum, et hunc in finem potestas, ejus nomine pontificatui renuntiandi, aliis ab eo committenda esset, clam Schafhusiam in ditione Friderici ducis Austriaci, foedere sibi juncti fugit, aulicosque suos ad se evocavit, probabiliter arbitratus, concilium suo discessu solvendum esse. At non tantum Sigismundus, ipse urbem obequitans, publice omnibus fidem fecit, concilium non obstante pontificis fuga continuandum esse, sed hoc ipsum etiam, sessione 3. solemniter enuntiavit, se pontificis et praelatorum quorumdam discessu minime solutum, nec prius solvendum esse, quam schisma sublatum et ecclesia reformata foret, atque nonnisi ex rationabili causa, a se ipso definienda, alium in locum transferri posse. Nunc quidem pontifex concilio significavit, se alios potestate, suo nomine pontificatui renuntiandi instructurum esse; cum autem concilium ex conditionibus ab eo adjectis intelligeret, eum reipsa dignitati suae tuendae studere, in sessione 4. superioritatem suam supra pontificem solemniter statuit, pronuntians, synodum, quae generale concilium faciat, et ecclesiam Catholicam repraesentet, immediate a Christo potestatem habere, cui omnis cujuscunque status et dignitatis, etiamsi papalis, obedire teneatur in his, quae pertinent ad fidem, extirpationem schismatis, et reformationem generalem ecclesiae Dei in capite et in membris. Et quoniam pontifex nunc longius adhuc a Constantia discessit, publicavitque, omnia Constantiae a se promissa, metu sibi extorta esse, adeoque se iis non obligari, atque propterea multi cardinales aliique praelati ab illa urbe discedebant; concilium ad supremam suam potestatem stabiliendam, sessione 5. decrevit, Joannem non tantum eo in casu, si duo papae schismatici renuntiaverint, sed etiam extra eum, dummodo pax ecclesiastica inde magnopere augeatur, loco suo cedere debere, eumque, si a concilio admonitus intra statutum tempus non rediisset, et pontificatu se abdicasset, tanquam schismatis

romotorem ac haeresis suspectum tractandum esse. Cum vero Joannes longius longiusque a Constantia recederet, nec talem renuntiandi potestatem cuiquam committeret, qualem concilium postulabat, ab hoc prius, ut contra haeresis, schismatis, simoniae, aliorumque criminum, ecclesiae perniciosorum accusationes se defenderet, citatus, deinde cum non comparuisset, et crimina ei objecta per testes graves sufficienter probata fuissent, a pontificatus administratione suspensus, et tandem, postquam a Friderico, excommunicatione, banno imperiali, et hostibus inde contra eum excitatis fracto traditus fuisset, in sessione 12., 29. Maji anno 1415. celebrata depositus est. Depositum, qui sententiae in se latae humiliter se submisit, imperator electori Palatino tradidit, qui eum Heidelbergae usque ad annum 1419. custodivit, quo libertate redemta in Italiam se contulit, ibique Martino V. successori suo se subjecit, ab hoc cardinalis episcopus Tusculanus factus, sed jam sequenti anno mortuus. Deposito Joanne, brevi secuta est spontanea Gregorii XII. cessio, ad quam nomine suo enuntiandam hic jam ante aliquod tempus Carolum de Malatesta necessaria potestate instruxerat. Ea in sessione 14. praestita, Gregorius omnia pontificatus signa deposuit, a concilio cardinalis episcopus Portuensis et legatus perpetuus marchiae Anconitanae renuntiatus, a. 1417. fatis functus. Sed Benedictus XIII., cui tunc Hispani adhuc et Scoti adhaerebant, nullo modo ad pontificatum deponendum permoveri potuit. Postquam imperator secundum ejus voluntatem Perpiniani cum eo convenisset, nonnisi sub conditionibus, quae acceptari non poterant, cessionem suam obtulit. Hinc Hispani suam obedientiam ei subtraxerunt, et concilio Constantiensi accesserunt, quod post citationem, saepius frustra repetitam, sessione 37., 26. Julii anni 1417. celebrata sententiam contra Benedictum tulit, qua ceu perjurus, schismatis fautor, et pacis ecclesiasticae perturbator, nec non ceu haereticus, fidei articulum de ecclesiae unitate sua agendi ratione ne-

gans depositus est. Verum Benedictus in urbe Peniscola, in peninsula quadam regni Valentiniani sita pontificatum usque ad mortem a. 1424. continuavit, protectus post aliquod tempus ab Alphonso Aragoniae et Siciliae rege, Martino V. pontifici propterea infenso, quod sibi petitiones quasdam in ecclesiarum detrimentum vergentes denegavit. Hinc idem rex post mortem Benedicti, cardinalibus ab hoc relictis auctor extitit, ut Aegydium Munnoz, canonicum Barcinonensem, ejus successorem eligerent, qui regi nonnisi aegre obsequens titulum pontificis sub nomine Clementis VIII. assumsit. Hinc eo facilius Martino V. a 1429. se subjecit, cum inter conditiones pacis, quam pontifex cum rege fecit, etiam antipapae cessio statuta fuisset. Ita omnes demum schismatis reliquiae sublatae sunt.

§. 570. Reformatio ecclesiae.

Obtento concilii fine principali, de altero ei praefixo non exiguum in eo dissidium exortum est. Imperator nempe et nationes Germannica et Anglica, verentes, ne pontifex ecclesiae reformationem, quae ipsum ejusque aulam potissimum tangeret, parum curaturus esset, eam ante novi capitis electionem peractam volebant. Contrarium urgebant cardinales, quibuscum caeterae nationes faciebant. Imperator tum demum cessit, cum pars adversa nationem primo Anglicam, dein etiam Germannicam ad se traduxisset. Interim tamen ante pontificis electionem, a concilio adhuc decretum est, ut, cum concilia oecumenica media sint, ad schismata, haereses, errores et abusus extirpandos aptissima, proximo quinto post terminationem concilii Constantiensis anno, deinde post septem annos, et postea decimo quovis anno ejusmodi concilium celebraretur; porro ne episcopi et abbates, nisi ex gravi causa, a cardinalibus definienda, ad aliam ecclesiam aut monasterium transferrentur; denique ne pontifex defunctorum episcoporum, aliorumque clericorum facultates spoliorum nomine sibi vindicaret.

Praeterea statutum, ut pontifex mox post electionem suam una cum concilio reformationem perageret. Definita quoque hujus objecta, quae partim ad restrictiones jurium alienorum, partim ad pecuniarum exactiones pontificias referri possunt. Ad illas: reservationes, provisiones, aliaeque collationes beneficiorum, electionum confirmationes, commendae, exspectativae; dispensationes, exemtiones, et incorporationes ecclesiarum, durante schismate factae; appellationes ad sedem Romanam et causae ad eam deferendae. Ad istas: annatae, redditus beneficiorum vacantium, decimae, indulgentiae. Praeterea: pluralitas beneficiorum, simonia, quot et quales cardinales esse debeant, quibus ex causis et quomodo pontifex corrigi ac deponi possit. His statutis, 11. Novembris anni 1417. a 23 cardinalibus, quibus 6 deputati ex quavis natione additi erant, cardinalis diaconus, Otto de Columna unanimiter fere pontifex electus est, qui se Martinum V. nominavit. Ejus electio, cum vir esset, ob egregias animi dotes et virtutes omnibus carus, summa cum laetitia, etiam ab imperatore excepta est. Martinus ad reformationis opus procurandum, non multo post electionem suam sex cardinales denominavit, auctos deputatis nationum, inter quas praecipue Germannica varia gravamina, mediaque eis sublevandis accommodata in medium protulit. Isti circa objecta reformationis, superius statuta varia proposuerunt, pontifici probata et concilio communicata, quibus reformationis desiderio, magna saltim ex parte satisfiebat. Cum autem pontifex intelligeret, non omnes nationes eadem desiderare, potius cum quibusdam earum concordata iniit, propositionibus illis conformia, et alia quidem cum Anglis, alia cum Germannis, quae posteriora in quinque tantum annos valebant. Quae vero Gallis destinata erant, a senatu Parisiensi quidem rejecta sunt; nihilominus Martinus Carolum VII., Galliae regem a. 1424. permovit, ut omnibus decretis pontificiis, beneficiorum collationes, et exercitium jurisdictionis ecclesiasticae concernentibus

ita parendum esse juberet, ac sub Clemente VII. et Benedicto XIII. usque ad denegatam obedientiam factum fuerat. Praeter illa concordata pontifex in sessione 43. varia decreta promulgavit, quibus exemtiones durante schismate concessae tollebantur, incorporationes ex eodem tempore novo examini subjiciebantur, redditus ecclesiarum vacantium secundum jus et consuetudinem antiquam impendi jubebantur, simonia sub gravibus poenis interdicebatur, dispensationes, per quas non ordinati beneficia possidebant, revocabantur, et decimae ne a pontifice quidem, nisi ex causis gravissimis et ob communem utilitatem a clero exigendae statuebantur. His praelectis unus ex cardinalibus, nomine nationum contestatus est, decretis istis, et concordatis cum nationibus initis, concilii statuto de reformatione ecclesiae satisfactum esse. Hinc etiam pontifex non multo post, sessione 45. mense Aprili anni 1418. celebrata, concilium terminavit, postquam tribus annis et dimidio durasset.

Theod. de Niem de vita et gestis Constant. Joannis XXIII. Gobelinus Persona cosmodrom. Hermann von der Hardt magnum oecumen. Constant. concil. Lenfant histoire du concile de Constance. Bourgeois du Castenet nouvelle histoire du concile de Constance. Royko Geschichte der Kirchenversammlung zu Costnitz.

§. 571. Concilium Basileense. Ejus cum pontifice dissidium.

Quod secundum decreta Constantiensia post quinque annos a fine concilii Constantiensis celebrandum erat novum concilium generale, reapse a. 1423. a Martino V. Ticinum convocatum, et paulo post propter pestem, quae in hac urbe grassari coepit, Senas translatum est. Verum ob paucitatem praesentium et turbas publicas Senis excitatas, pontifex concilium iterum dissolvit, postquam praeter confirmationem eorum, quae Constantiae contra Wicleffum, Hussium et Benedictum XIII. acta fuerant, nihil egisset. Ex iisdem decretis Constantiensi-

bus post septem annos novum concilium generale celebrandum erat. Hoc Martinus, cum Senense dimitteret, Basileae a. 1431. celebrandum indixit, ejusque praesidem Julianum cardinalem a S. Angelo denominavit. Ipse tamen ante concilium mortuus est. Ei a. 1431. successit Eugenius IV., antea presbyter cardinalis, Gabriel de Condolmiere dictus. Is ab initio quidem decreta antecessoris sui, concilium Basileense attinentia approbavit, unde hoc etiam 14. Decembris statuti anni, praeside Juliano, attamen paucis praelatis praesentibus inchoatum est. Fines ei propositi in prima sessione pronuntiati sunt: haeresum, nempe Hussiticarum extirpatio, bellorum inter Christianos (pariter Hussiticorum) compositio, et ecclesiae reformatio. Sed pontifex, mutato animo circa idem tempus concilium ad 18 menses suspendendum, iisque elapsis Bononiam transferendum esse decrevit, partim eo offensus, quod concilium cum Hussitis de haeresi eorum, ab ecclesia jam damnata, tractare coepisset, partim quod Basilea locus commodus non esset, quo cum Graecis ad unionem paratis tractari posset. Sed nec concilium, nec imperator Sigismundus, quem pontifex pariter de suo decreto certiorem reddidit, causas ab eo praetensas sufficientes judicabant. Hic ei reposuit, concilium non id agere, ut doctrinam contra Hussitas definitam mutaret, sed haereticos melius edoctos ad eam amplectendam permoveret, quo solo cruentum bellum, contra eos jam a multis annis gestum finiri possit. Concilium autem, et ipse praeses pontificius, cardinalis Julianus Eugenio minime morem gerendum esse censuit, fretumque consensu imperatoris, nec non episcoporum ac regum Galliae et Angliae, in sessione 2. decreta Constantiensia de superioritate conciliorum oecumenicorum supra papam, de hoc, si consilio non obediret, puniendo, deque concilio sine suo consensu a nemine dissolvendo aut alium in locum transferendo renovavit. Concilium porro pontificem, iteratis vicibus rogavit, admonuit, jussit, ut decretum de se dissolvendo et

transferendo revocaret, sibique vel ipse adesset, vel legatos necessaria potestate instructos ad se mitteret. Cum autem Eugenius coeptis suis insisteret, imo ea, quae hactenus a patribus Basileensibus acta fuerant, irrita pronuntiaret, hi eum jam contumacem judicaturi erant. Quod quo minus facerent, imperator potissimum impedivit, qui concordiae inter pontificem et concilium efficiendae omnem operam navabat, ipseque nunc Basileam profectus a patribus impetravit, ut denuo in tres menses processum contra Eugenium differrent. Ut his labentibus pontifex reapse concilio accederet, legatosque ad illud cum bulla mitteret, qua illud legitime inchoatum et continuatum professus est, hostilitates potissimum effecerunt, quibus versus finem anni 1433. in suo territorio impetitus et ad angustias redactus fuit. Igitur nunc in sessione 17., 28. Aprilis anni 1434. praesente imperatore celebrata, legati pontificii, postquam promisissent, se decretum Constantiense de suprema conciliorum oecumenicorum auctoritate agnituros, et sine concilii permissione Basilea non discessuros esse, ad praesidium admissi sunt, statutumque, ut omni jurisdictione coercitiva carerent, ordinem concilii, ex quo omnia membra in quatuor deputationes pro negotiis communibus, pro reformatione, fide, et pace distributa erant, nullatenus mutarent, consulta congregationum generalium sine mora tanquam decreta generalia promulgarent, eaque non pontificis, sed concilii nomine enuntiarent.

§. 572. Decreta concilii reformatoria.

Jamque concilium Basileense inde a sessione vigesima, 22. Januarii anni 1435. celebrata, reformationis opus serio aggressum est, et speciatim concubinatum clericorum sub poenis severis interdixit, excommunicatum post solemnem demum sententiae publicationem vitandum, hominem privatum interdicto non subjiciendum, in eadem causa non bis appellandum esse statuit. Plures abusus a clericis circa cultum divinum publicum committi

mitti solitos auferendos decrevit. Annatas quascuncque sive a pontifice, sive ab aliis exigi serio prohibuit. Pontificias reservationes ecclesiarum et beneficiorum sustulit, iis solis exceptis, quae in jure canonico definitae erant, aut in territorio pontificio locum habebant. Praescripsit, ut formulae, juxta quam pontifex neo-electus dignitatem sibi oblatam acceptabat, jusjurandum de synodis generalibus statuto tempore celebrandis, et de electionibus canonicis juxta decretum Basileense confirmandis, nec non fidei confessio, doctrinis conciliorum oecumenicorum, nominatim Constantiensis et Basileensis consentanea insereretur. Concilium porro pontifici praecepit, ut aulam suam reformaret, omnem ab ea simoniam abigeret, Romanos in doctrina salutis institueret, factiones Guelphorum et Gibellinorum in suo territorio non toleraret, nec cognatorum suorum quemquam, ducem, comitem, vasallum, urbium, arcium, aut copiarum praefectum constitueret. In decreto de qualitatibus et officiis cardinalium statuit, ne inter eos sint proximi consanguinei pontificis, utque eis dimidia pars reddittuum territorii pontificii tribueretur. His decretis postea aliud accessit, quo prohibebatur, ne quocuncque in casu praeteritis instantiis inferioribus ad pontificem appelletur, praecipiebaturque, ut causae locis, ultra 4 dies a Roma distantibus ortae, non ad pontificem, sed ad judicem ordinarium deferrentur, iis exceptis, quae ex jure ad sedem apostolicam pertineant. Alio denique decreto expectativae pro futuro invalidae pronuntiatae sunt.

§. 573. Schisma inter concilium et pontificem.

Talia decreta pontifici probari non poterant. Is in litteris a. 1436. ad plures principes datis concilium arguit, quod antiquam ecclesiae constitutionem evertere, nova jura sibi vindicare, et pontificem sub suam

potestatem redigere conetur. Mirum igitur non est, anno sequenti vehementissimum dissidium inter utramque partem erupisse. Ansam dedit definitio loci, quo concilium cum Graecis, ecclesiae Latinae reuniendis celebraretur. Pontifex, urbem aliquam Italicam, nominatim Ferariam, futuri concilii sedem esse voluit. At patres Basileenses, non immerito verentes, ne in Italia pontificis potestati succumberent, concilium Basileae, vel Avenione, vel in aliqua Sabaudiae urbe celebrandum esse statuerunt. Eis consensit rex Galliae, qui praelatis suis in Italiam proficisci vetuit. Cum pontifex a suo proposito dimoveri non posset, patres Basileenses, a quibus nemo defecit, quam quatuor praelati et cardinalis Julianus, (cujus loco Ludovicus Alemannus, archiepiscopus Arelatensis, pariter cardinalis, quem Aeneas Sylvius virum invictae constantiae et incomparabilis prudentiae, totiusque concilii animam dicit, praesidium suscepit), magna temeritate et contra monita imperatoris Sigismundi, schisma praevidentis, inde a 26. sessione, 31. Julii anni 1437. celebrata, adversus pontificem procedere coeperunt. Nam postquam eum arguissent, quod decreta reformatoria non exequatur, concilii jura violet, simoniae indulgeat, bellis et turbis intestinis continuo jactetur, eum primo ad tribunal suum citarunt, ut istorum omnium rationem redderet; deinde cum non comparuisset, sed potius edita bulla concilium, cujus agendi rationem turbulentam et illegitimam nominabat, Basilea Ferariam transferendum reapse decrevisset, eum contumacem pronuntiarunt, ac postquam ille una cum concilio Ferariensi, a. 1438. inchoato, et aliquo tempore post Florentiam translato, eos iterato excommunicasset, eorum acta rescidisset, civibusque Basileensibus sub excommunicationis poena praecepisset, ut eos intra mensem ex urbe sua pellerent; eum successive suspenderunt, ob pertinacem renitentiam contra veritatem Catholicam de concilii oecumenici superioritate supra papam hae-

reticum pronuntiarunt, ac tandem in sessione 34., 25. Maji anni 1439. celebrata, tanquam multorum criminum reum deposuerunt, omnibusque Christianis sub gravissimis poenis, ne porro ei obedirent, prohibuerunt. Sed in duobus posterioribus processus adversus pontificem gradibus minime concordes erant. Haeresi ei inurendae cum aliis multis potissimum se opposuit Nicolaus archiepiscopus Panormitanus, post cardinalem Arelatensem praecipuus vir in concilio, et in scientia juris canonici nemini coaevorum secundus, qui potius ex mandato regis sui Alphonsi, cui Eugenius adversabatur, quam ex propria persuasione cum concilio Basileensi contra pontificem faciebat. Depositionem autem pontificis, ad quam cardinalis Arelatensis paucissimos episcopos et abbates colligere poterat, fere soli theologiae ac juris canonici doctores. aliique clerici inferiores pronuntiarunt. Eadem nec principibus probata, imo contra expressam Germannicorum, et regis Galliae voluntatem facta erat. Hinc Amadeus, antea Sabaudiae dux, ab anno autem 1434. deposito regimine Ripalliae ad lacum Genevensem eremita, quem selecti concilii episcopi, abbates et doctores, 17. Novembris anni 1439. nomine Felicis V. pontificem elegerunt, nonnisi a duce Bavariae, ab Alphonso, Aragoniae et Siciliae rege, ab Elisabetha, vidua matre Ladislai, regis Hungariae ac Bohemiae et archiducis Austriae, porro ab urbibus Basilea, Argentorato, et Camino, et ab universitatibus Parisiensi, Vindobonensi, Erfordiensi, Coloniensi et Cracoviensi talis agnitus est. Reliqui principes Eugenium summum pontificem venerari pergebant, nominatim Galliae rex Carolus VII., et electores imperii Germannici ac Fridericus III., quem a. 1440. imperatorem elegerunt, quamquam caeterum decreta Basileensia, exceptis illis, quae ad processum contra pontificem pertinebant, approbarent, et concilium Ferariense ac Florentinum repudiarent, utraque parte eos penitus sibi conciliare per legatos frustra nitente.

§. 574. Exitus concilii Basileensis.

Ab eo tempore, quo Germanni et Galli concilio Basileensi propter schisma ab eo paratum non amplius patrocinabantur, ejus auctoritas magis magisque decrevit, nec quidquam amplius gravioris momenti ab eo factum est. Anno 1443. etiam rex Alphonsus Eugenium, qui ei regnum Neopolitanum tanquam feudum conferebat, legitimum pontificem agnovit, et jam episcopos suos, inter quos Nicolaus Panormitanus erat, a concilio Basileensi avocavit. Praeter hos alii quoque ab eo discedebant, aut in partem adversam inclinabant. Reliqui in 45. sessione, 16. Maji anni 1443. celebrata, quae omnium ultima erat, statuerunt, secundum definitionem Felicis pontificis, a se acceptatam, post tres annos ad pacem ecclesiae restituendam, Lugduni novum concilium generale celebrandum esse, concilium autem Basileense continuandum, aut si ejus libertas vel securitas in hac urbe periclitaretur, Lausannam esse transferendum. Sed quamquam reapse multa adhuc concilii membra Basilea et postea Lausannae commorabantur, ab hoc tamen tempore re ipsa sublatum erat. Hic erat post 12 annos exitus concilii Basileensis. Si, quae tutissima est norma, ecclesiae universalis acceptatio respicitur, concilium Basileense inter oecumenica referri non potest, cum ejus decreta nunquam ab ecclesia universa, nedum a summo pontifice fuerint acceptata. Caeterum schisma per electionem Felicis V. excitatum a. 1449. extinctum est, quo hic Galliae, Angliae et Siciliae regibus intervenientibus, pontificatum suum, qui alioquin nonnisi in terris Sabaudicis adhuc agnoscebatur, Lausannae in conventu residuorum patrum Basileensium, ab anno 1448. ibidem morantium, ex pacis amore sponte dimisit, quo facto, octo ejus cardinales Nicolaum V., qui post Eugenium in cathedram Petri evectus fuerat, et ipsi pontificem elegerunt. Amadeus, ab hoc primarius cardinalis, episcopus Sabinensis, et

vicarius perpetuus sedis apostolicae in terris quibusdam denominatus est; conventus autem patrum Basileensium se penitus solutum pronuntiavit.

Aeneas Sylvius de concilio Basileensi. Augustinus Patricius historia concilii Basil. Lenfant histoire de la guerre des Hussites et du concile de Basle.

§. 575. Sanctio Gallorum pragmatica.

Etsi vero non ab universa ecclesia, a Gallis tamen et Germannis acceptata sunt decreta Basileensia, ecclesiae reformationem concernentia. Cum priores concilii quidem auctoritatem agnovissent, ejus tamen processus contra Eugenium non approbassent, utraque pars a. 1438. legatos ad eos misit, qui eos penitus sibi conciliarent. Igitur Carolus VII. regni proceres ac praelatos Biturigi congregavit, ubi utriusque partis legati auditi, et causae discussae sunt, eo quidem eventu, ut clerus regi praesenti declararet, decreta Basileensia, ad ecclesiae reformationem spectantia, cum quibusdam modificationibus, conditioni ecclesiae Gallicanae respondentibus, a se acceptari, simulque ab eo peteret, ut hanc acceptationem ratam haberet atque in universo regno valere juberet. Rex postquam desuper cum intimis suis consiliariis deliberasset, legem condidit, qua decreta Basileensia cum diversis modificationibus proposita, regni auctoritate sanciebantur. Atque haec lex sanctio pragmatica dicta est. Eadem mox effectui dari coepit. Pontifex, cujus jura et commoda eà haud parum restricta erant, ei adversabatur, et per legatos, quos a. 1440. ad novum Gallorum conventum Bituricensem misit, ut sanctio pragmatica abrogaretur, petiit, sed responsum tulit, esse regis voluntatem, ut ea inviolabiliter observetur.

Petrus de Marca de concordia sacerdotii et imperii. L. VI. D'Argentré collectio judiciorum de novis erroribus. T. I. P. II. Histoire contenant l' origine de la pragmatique sanction etc. in traités des droits et libertés de l' eglise Gallicane T. I.

§. 576. Concordata Francofordiensia.

Etiam natio Germannica in comitiis, a. 1439. Moguntiae celebratis, duce Alberto II., Sigismundi a. 1437. mortui successore, decreta Basileensia, iis exceptis, quae processum contra Eugenium pontificem concernebant, cum diversis determinationibus et restrictionibus, secundum indigentias singularum terrarum aut dioecesium faciendis acceptavit, quo facto per nonnullas synodos provinciales reapse introducta sunt. Sequentibus annis Germanni neutri parti, sicut protestati fuerant, ita inhaerere pergebant, ut neque Felicem V. pontificem agnoscerent, neque Eugenii, quem caeterum verum pontificem habebant, decretis obtemperarent, quamquam utraque pars, ut eos sibi conciliaret, saepius ad eorum comitia legatos mitteret, ex quibus inter Romanos praecipuus erat Nicolaus Cusanus. Germanni, pacis inter partes litigantes restituendae cupidissimi, nihil magis, nihil saepius postulabant, quam ut ad eam efficiendam in aliqua Germanniae urbe novum concilium generale celebraretur, a quo autem patres Basileenses non minus, quam Eugenius alieni erant. Is postquam Germannos ad obedientiam sibi praestandam saepius frustra admonuisset, non ignorans, plerosque inter ordines saeculares, imprimis vero ipsum imperatorem Fridericum III., qui Alberto II. a. 1440. successerat, sibi non modice favere, anno tandem 1445. duos archiepiscopos et electores Coloniensem et Trevirensem, qui omnium maxime concilio Basileensi et Felici V. patrocinabantur, eoque reditum Germannorum ad illius obedientiam remorabantur, depositos pronuntiavit, eorumque loca aliis contulit, verosimiliter existimans, alios inde terrendos et ad obedientiam reducendos esse. Sed eventus longe alius secutus est. Nunc enim reliqui electores, Eugenii facto irritati, et a depositis, vi unionis inter omnes electores initae provocati, cum iisdem a. 1446. Francofordii ad Moenum

convenerunt, novaque unione inter se inita, haec statuerunt ab Eugenio per legatos petenda esse: ut decreta Constantiensia et Basileensia de suprema conciliorum oecumenicorum auctoritate verbotenus acceptet, ut concilium novum generale, a. 1447. in quadam Germanniae urbe celebrandum indicat, a quo dissidia ecclesiastica componantur, ut acceptationem decretorum Basileensium, a natione Germannica factam confirmet, ut contra neutralitatem a se decreta revocet. Quae si praestitisset, se ei obedientiam exhibituros, sin minus, ad Felicem transituros esse. Ut Eugenius his petitionibus, non obstante multorum cardinalium contradictione, reapse satisfaceret, Aeneas Sylvius, secretarius et legatus imperatoris eo potissimum effecit, quod principes Germannicos ad compensationem ei promittendam permoverit. Igitur pontifex quatuor bullas edidit, in quarum prima archiepiscopos Trevirensem et Coloniensem priori loco restituendos promisit, quamprimum debitam obedientiam sibi praestitissent; in altera promisit, se intra 18 menses concilium generale in aliquam Germanniae urbem convocaturum, et decreta Constantiensia, speciatim de auctoritate conciliorum oecumenicorum approbavit; in tertia acceptationem decretorum Basileensium, a natione Germannica factam ratam habuit, simul tamen adjecit, se ad modificationem istorum decretorum et ad definiendam compensationem sibi promissam legatum in Germanniam missurum; in quarta denique omnia, quae durante neutralitate in ecclesiis Germannicis acta fuerant, valida pronuntiavit, et bullas suas contra illam editas revocavit. Quatuor hae bullae, nec non documentum quo natio Germannica decreta Basileensia acceptavit, sicut et alterum, quo propositiones ejusdem nationis, in quatuor bullis pontificiis approbatae continentur, concordata principum Francofordiensia dici consueverunt.

Aeneas Sylv. historia Frid. III. imper. Koch sanctio pragmatica Germannorum illustrata.

§. 577. Concordatum Schaffnaburgense.

Eugenius IV. pontifex paucos dies post praestitam sibi a Germannis obedientiam mortuus est. Ei successit Thomas a Sarzano, episcopus Bononiensis, cardinalis, qui comitiis Francofordiensibus qua legatus pontificius interfuerat, nomenque Nicolai V. assumsit. Cum non omnes electores et principes Germannici Eugenio se subjecissent, et praeterea Felix V. adhuc tanquam pontificem se gereret, Nicolai V. approbatio inter Germannos nondum omni haesitatione carebat. Ea tamen in comitiis Schaffnaburgensibus a. 1447. feliciter effecta est, opera potissimum Aeneae Sylvii, qui electores Coloniensem et Palatinum Nicolao conciliavit, quorum exemplum reliqui principes, ab obedientia erga ejus decessorem alieni, brevi secuti sunt. In iisdem comitiis decretum est, ut in proxima diaeta, Norimbergae celebranda, compensatio, in concordatis Francofordiensibus pontifici promissa definiretur, nisi interea imperator cum legato pontificio, qui in comitiis Schaffnaburgensibus praesens erat, pactum desuper inivisset. Et reapse sexto a fine istorum comitiorum mense tale pactum Vindobonae initum est, quod tamen Schaffnaburgense nominari consuevit, probabiliter inde, quia facultas, illud ineundi imperatori Schaffnaburgi tributa fuit. In isto concordato pontifici reservata fuit collatio omnium beneficiorum cujuscuncque nominis vel dignitatis, quotiescuncque apud sedem apostolicam, i. e. per mortem possessorum suorum in loco, ubi pontifex residet, aut in circuitu duorum dierum, vel per depositionem, translationem, abdicationem, electionis aut postulationis rescissionem, a pontifice factam vacaverint. In caeteris casibus pontifex electum a capitulis episcopum vel abbatem confirmet, attamen ex rationabili et evidenti causa secundum consilium cardinalium electo digniorem et ecclesiae utiliorem substituere possit. Principales capitulorum dignitates modo antea consueto conferantur. In confe-

rendis autem reliquis beneficiis, his inferioribus pontifex et ordinarius collator per menses alternent, unde Januarius, Martius, Majus e. s. p. menses papales vel Romani dicti sunt. Annatarum loco pontifici de episcopatibus et abbatiis vacantibus servitia communia seu certae pecuniarum summae, in libris camerae apostolicae definitae, de minoribus autem beneficiis dimidiae annatae intra duos a beneficio accepto annos pendantur, ea tamen mitigatione, ut si idem beneficium uno anno saepius vacaverit, nonnisi semel solvantur. Beneficia, quorum annui redditus summam 24 florenorum non excedant, ab omni tributo libera sint. Ita devotione Friderici imperatoris ejusque administri Aeneae erga pontificem, a quo varia uterque sibi sperabat, reservationes et tributa pontificia, in quibus praecipua ecclesiarum Germannicarum gravamina consistebant, magnam partem reducta sunt. Reliqua, quae Eugenius IV. in illis quatuor bullis nationi Germannicae concesserat, intacta manserunt. Omne igitur lucrum, quod ecclesia Germannica ex concordatis cum sede apostolica cepit, in eo consistebat, quod ejus gravamina modice mitigata, majorque certitudo, quid sibi, quid pontifici competat, procurata fuerit. Caeterum acceptatio alternationis secundum menses in conferendis beneficiis inferioribus, singularum ecclesiarum arbitrio relicta erat, e quibus plures, v. g. Herbipolitana, Bambergensis, Argentinensis eam non admiserunt. Quoad tributa autem, a beneficiis vacantibus praestanda statutum erat, ea tamdiu valitura, donec in concilio aliquo, consentiente natione, hac in re mutatio facta foret. Quamquam autem imperator concordatum Schaffnaburgense, prout in ejus prooemio dicitur, pro natione Germannica, consentientibus pluribus electoribus, aliisque principibus ecclesiasticis et saecularibus iniit, idemque Nicolaus pontifex singulari bulla confirmavit, ejus tamen observatio a singulorum episcoporum acceptatione adhuc pendebat. Hanc alii citius, velut Moguntinus et

Trevirensis, quibus papa menses suos indulsit, alii serius, velut Argentinensis anno demum 1476. praestiterunt. Coloniensis ad ea acceptanda nullo modo potuit permoveri. Hinc eo demum a. 1461. mortuo, in dioecesi Coloniensi promulgata sunt.

Horix concordata nationis Germann. integra, variis additamentis illustrata. Würdtwein observationes historico - juridicae in concordata nationis Germann. cum sede Romana.

§. 578. Pontificum conamina, sanctionem pragmaticam abrogandi.

Sicut pontifices commodorum suorum decrementum, quod ex decretis Basileensibus sibi imminebat, apud Germannos per concordatum Schaffnaburgense feliciter averterunt, ita idem apud Gallos per abrogationem sanctionis pragmaticae efficere nitebantur. Primus, qui post frustraneum Eugenii IV. conatum id tentavit, erat Pius II., a. 1458. ad pontificatus apicem evectus. Is pontificiam auctoritatem potestatemque non minori cum studio nunc tuebatur, ac olim pro conciliis contra pontifices decertaverat, et quoniam multi ad principia ab eo tum proposita contra ipsum provocabant, has juventutis suae ignorantias a. 1463. in singulari bulla retractavit. Cum videret haud paucos, quo sententias sedis apostolicae eluderent, a pontifice ad concilium generale (quale quando futurum esset, nemo sciebat), appellare, ejusmodi appellationes, quas jam Martinus V. in concilio Constantiensi omni in casu illicitas pronuntiaverat, tanquam detestabiles, seditiosas, imo haereticas interdixit, et contra communitates ea usuras interdicti, contra singulos autem, ne imperatoribus quidem regibusque exceptis, excommunicationis poenam statuit, ipso facto incurrendam, a qua nonnisi pontifex, praeterquam in mortis articulo, eos absolvere valeat. In sanctionem pragmaticam Pius II. jam in conventu principum, quem a. 1459. ad bellum commune contra Turcas efficiendum Mantuae instituit,

coram legatis Gallorum, ea maxime ex causa, prout dicebat, invectus fuerat, quod per eam causae clericorum a judicibus saecularibus decidantur, et episcopi, imo summus pontifex in usu jurisdictionis suae a supremo senatu dependeant. Eandem ob causam a. 1461. ipsum regem Carolum VII. ad illam sanctionem, quae nec pontificis, nec concilii alicujus generalis auctoritate firmata fuerit, abrogandam, sed frustra hortatus est. Felicius haec res ei successit, apud Caroli, a. 1461. mortui filium et successorem, Ludovicum XI., qui jam, antequam ad regnum pervenisset, operam dante Joanne Godefredo, episcopo Atrebatensi, papae addictissimo, legis exosae abrogationem huic promiserat, atque nunc regni habenas capessens, multa patris, a quo maxime semper dissenserat, instituta evertebat. Igitur petente mox pontifice, eodemque Godefredo cardinali designato, cooperante, et quod inde Pium, ut regnum Neapolitanum regio cuidam Gallorum principi adjudicaret, permovendum speraret, rex Ludovicus litteras sanctionis pragmaticae originales cum epistola Romam misit, in qua limites, potestati pontificiae per illam legem positos, sublatos pronuntiavit, suumque ad immorigeros coercendos auxilium promisit. Interim tamen haec abrogatio plenum effectum consecuta non est. Cum enim universitas et supremus senatus Parisiensis, nec non Tolosanus aliique ei magnopere adversarentur; rex, contra pontificem, quod suis circa regnum Neapolitanum consiliis non responderat, irritatus, permisit, ut, exceptis contra reservationes et expectativas pontificias decretis, porro observaretur. Hinc Paulus II., Pii ab anno 1464. successor, denuo ad regem Ludovicum conversus ab eo decretum de eliminanda sanctione pragmatica quidem impetravit, sed cum universitas Parisiensis futurum concilium appellaret, et supremus senatus, non obstantibus regis et legatorum pontificiorum minis, decretum regium in catalogum legum publicarum referre constanter recu-

saret, sanctio pragmatica non penitus e Gallia eliminata est, idque eo minus, quo vehementius posteriori tempore reges cum summis pontificibus saepius collidebantur.

'Vid. libros superius apud sanctionem Gallorum pragmaticam citatos.

§. 579. Conciliabulum Pisanum.

Omnium maxime Ludovicus XII. contra Julium II., qui a. 1503. ad pontificatum evectus fuerat, concitatus est. Hic enim non tantum a foedere, quod cum rege aliisque principibus a. 1509. contra Venetianos inierat, pro se solus recessit, postquam hi ejus voluntati satisfecissent, sed etiam illum a bello contra eosdem nunc abstinere voluit, et ducem Ferariae, quod contra ejus monitum bellum cum Gallis contra Venetianos continuaret, quasi vasallum seditiosum armis invasit, Hispaniae regi collationem regni Neapolitani, quod Ludovicus sibi exposcebat, promisit, ac tandem apertum bellum, quo eum ex Italia pelleret, ei intulit. Ludovicus, ut contra arma spiritualia, quae pontifex additurus esset, securum se praestaret, a praelatis suis, a. 1510. Turoni congregatis, quid sibi in hac causa contra pontificem liceat, exquisivit. Atque hi non tantum bellum contra eum, et occupationem terrarum pontificiarum licitam pronuntiarunt, sed etiam obedientiam durante dissidio subtrahendum et sanctionem pragmaticam restituendam esse, censuras autem a pontifice infligendas invalidas fore, et si ad pacem admonitus redire noluerit, concilii oecumenici convocationem ab eo postulandam esse judicarunt. Cum pontifex a bello non absisteret, Ludovicus ad eum efficacius coercendum concilium oecumenicum congregare meditabatur, eumque in finem ut sibi accederent, alios Europae reges permovere conabatur. Verum solus imperator Maximilianus aurem ei praebuit, tum quod ipse contra pontificem, ob ejus cum Venetianis, quos

ad varias urbes sibi cedendas armis adigere nitebátur, conjunctionem irritatus esset, tum quod gravamina, quae natio Germannica ipso imperante, gravius ac unquam contra sedem apostolicam proferebat, tolli, ecclesiamque reformari desideraret. Haec enim natio jam inde ab initis concordatis continuo fere, maxime vero sub Calixto III., Nicolai V. ab anno 1455. successore quaerebatur, quod pontifices concordata diversimode violarent, electiones episcoporum et abbatum saepius rescinderent, beneficia sibi non competentia reservarent, expectativas concederent, tributa pro collatis beneficiis, etiamsi inter paucos annos saepius vacaverint, sine mora et solito majora exigerent, uni eidemque beneficia plura conferrent, homines litterarum rudes ad munera ecclesiastica promoverent, causas mere civiles ad forum suum traherent, a clero frequenter decimas exigerent, et indulgentias intra breve tempus novas, veteribus suspensis aut revocatis promulgarent, sub praetextu quidem sumtuum, ad bellum contra Turcas necessariorum, quod tamen nunquam suscipiatur. Non quidem fundamento carebant hae querelae, attamen partim nimiae erant, partim non tam in pontifices, quam in eorum aulicos et officiales cadebant. Nihilominus Germanniae ordines sub Maximiliano, qui pontificibus non aeque ac pater favebat, gravamina contra sedem apostolicam iterato litteris consignabant, et nunc imperatori, consilia sua ad convocandum concilium generale cum Galliae rege jungenti exhibebant. Ejusmodi concilium a pluribus cardinalibus, qui Julii II. violentiis offensi ad Ludovicum transiverant, hoc et Maximiliano consentiente, reapse a. 1511. Pisis congregatum et inchoatum, postea Mediolanum translatum est. Verum ex paucis admodum praelatis, cunctis fere Gallis, et deputatis quarumdam universitatum consistebat. Hi quidem, qui haeresum, schismatum, et errorum extirpationem, universalis ecclesiae reformationem, et belli contra infideles promo-

tionem seu fines sibi propositos annuntiarant, concilium Basileense imitabantur, et adversus Julium, qui eorum conventum illegitimum declaraverat, omnemque locum, eos toleraturum, interdicto subjecerat, constanterque eis renitebatur, usque ad suspensionem processerunt. Verum non tantum nihil effecerunt, sed etiam cum pontifex non multo post imperatorem, qui alioquin nullum legatum ad conventum Pisanum miserat, sibi reconciliasset, Mediolano Lugdunum discesserunt, et paulo post, quam pontifex contra hanc urbem, imo totam Galliam interdictum pronuntiasset, penitus disparuerunt.

Guicciardini la historia d'Italia L. IX. seq. Richer historia conciliorum generalium.

§. 580. Concilium Lateranense V. Abrogatio sanctionis pragmaticae.

Ad periculum, quod ex convocatione concilii generalis sibi enasci potuisset avertendum, Julius II. mox ipse tale concilium indixit, quod a. 1512. Romae in palatio Lateranensi inchoatum est, et Lateranense V. appellatur. Verum et hoc non multos ultra centum episcopos, plerosque Italos complectebatur; attamen jam in prioribus sessionibus, rex Hispaniae, imperator Maximilianus, et respublica Venetorum ei accesserunt. Caeterum a pontifice totum pendebat, imo Thomas de Vio, magister generalis ordinis Praedicatorum in oratione coram synodo dicta, auctoritatem, conciliis oecumenicis Constantiae et Basileae assertam, novationem, brevi interituram vocavit. Fines huic concilio praefixos pontifex in bulla convocatoria extirpationem haeresum, schismatis i. e. conventus Pisani sublationem, morum emendationem, et pacis inter civitates Christianas restitutionem dixerat. Quoad emendationem morum, simonia in electione pontificis severe prohibita, pluralitas beneficiorum restricta, episcopis jus concessum, monachos ad curam animarum destinatos

examinandi, et parochias ab eis administratas, sicut et monasteria faeminarum exemta, inspectionis gratia visitandi; porro statutum, ut causae beneficiorum minimorum in prima instantia apud ordinarium agerentur, neque ante sententiam ab eo latam ad sedem pontificiam perferri possent, ut nonnisi docti et digni viri ad munera ecclesiastica promoverentur. Haec aliaque decreta, quorum unum ipsius aulae pontificiae reformationem praescripsit, utilia quidem erant, at reformationis desiderio non satisfaciebant. Ex reliquis pontificis actionibus in hoc concilio praecipue notari meretur abrogatio sanctionis pragmaticae Gallorum. Jam Julius omnes hujus legis defensores, praelatos, capitula, senatus, universitates, ipsumque regem iterato ad concilium evocavit, ut coram eo rationem redderent, cur illam non abrogatam velint. Postquam ille mox post 5. sessionem a. 1513. mortuus erat, ejus successor Leo X. Gallorum citationem propter sanctionem pragmaticam quidem repetiit; cum autem longe majori moderatione uteretur, regemque Ludovicum, ad quem reconciliandum pronissimum se exhibebat, ut concilio accederet, paterne hortaretur, ille reapse huic accessit, per legatos suos contestans, Julii morte omnem odii et suspicionis contra concilium causam a se ablatam esse. Interim tamen bellum inter regem et pontificem hujusque foederatos continuatum, et demum sub Francisco I., Ludovici, a. 1515. mortui successore, eodem anno compositum est. In conventu Bononiensi, in quo Leo et Franciscus, ipsi praesentes, pacis conditiones statuerunt, hunc ille, operam dante etiam regis cancellario permovit, ut abrogandae sanctioni pragmaticae consentiret, in cujus locum concordatum positum est, quod regis non minus, quam pontificis commodis inserviebat. In eo enim sublatis capitulorum electionibus regi potestas tributa, episcopos et abbates denominandi, a pontifice confirmandos, qui si inhabilis bis pro eadem dignitate sibi repraesentatus fuerit,

ipse alium constituere, nec non episcopatus et abbatias, quarum possessores in ejus aula mortui fuerint, conferre possit. Pontifici porro annatae concessae, et causae ecclesiasticae majores, in jure canonico designatae ejusdem foro conservatae, at expectativae et reservationes beneficiorum pontificiae abrogatae sunt. Hoc igitur concordatum una cum bulla, qua sanctio pragmatica abrogata et sub gravissimis poenis prohibita erat, in sessione 11. concilii, paulo post, a. 1517. terminati, praelectum et utrumque approbatum est. In Gallia autem plurimi ex clero, imprimis vero senatus et universitas Parisiensis concordato vehementissime reclamarunt, ita quidem ut ille nonnisi minis regis irati anno demum 1518. ad illud in catalogum legum publicarum referendum permoveri posset.

Guicciardini lib. cit. Richer lib. cit. Paulus Jovius vita Leonis X. Panvini vita Leonis X.

§. 581. Pontificis potestas in rebus ecclesiasticis. Jus ecclesiasticum.

Igitur pontifices ex pugna, quam conciliorum et nationum conamina, adventitiam eorum in rebus ecclesiasticis potestatem limitandi, et amissa episcoporum jura recuperandi labente hac periodo eis movebant, victores discessere, fuitque ista potestas, toties ac tam vehementer impugnata, in fine hujus aetatis salva et integra. Ei sustentandae et conatibus illis eludendis sicut elapsa periodo praeter alia jus canonicum inserviebat, quod eam rationibus suffulciebat, et contra objectiones propugnabat. Istud labente hac periodo ampla cepit incrementa. Ac primo quidem Clemens V. decreta, in concilio Viennensi et alias condita, collegit, et universitati Aurelianensi, a se fundatae, ejus autem successor, Joannes XXII. Bononiensi, aliisque exponenda transmisit. Illa ad exemplum duarum praecedentium collectionum in 5 libros secundum eandem materiarum distinctionem et ordinem distributa, et nomine

mine Clementinarum in corpus juris canonici recepta sunt. His collectionibus aliae adhuc constitutiones pontificiae additae sunt, quae, quoniam in eis non continentur, extravagantes dicuntur. Distinguuntur in extravagantes Joannis XXII., ab hoc ipso, vel non multo post ejus mortem collectas, et in extravagantes communes, ita dictas, quia a pluribus pontificibus, quorum primus Urbanus IV. a. 1264., ultimus Sixtus IV. a. 1483. mortuus est, descendunt. Hae ab erudito quodam privata auctoritate collectae, pariterque in 5 libros distributae fuerunt. His corpus juris canonici absolutum est. Haec decreta non solum a juris professoribus, multis ejus studiosorum millibus tradebantur, sed etiam ab imperantibus civilibus, judicibus observanda proponebantur, imo ex reverentia erga eorum auctores, nec non ob majorem eorum aequitatem et conformitatem cum religione, etiam in rebus mere civilibus legibus Romanis aut patriis praeferri jubebantur. Quantum inde potestas pontificia firmata fuerit, in oculos incurrit. Non quidem deerant, qui occasione dissidiorum inter pontifices ab una, et principes, vel nationes, vel concilia ab altera parte, contraria principia et asserta, ex jure utplurimum antiquae ecclesiae petita proponerent et defenderent, velut Occamus in dialogo inter magistrum et discipulum, Marsilius Patavinus, Ludovici, imperatoris protomedicus, Joannes de Gandavo seu potius de Janduno in Campania Gallica, professor Parisiensis in variis scriptis, imprimis in libro, cui titulus: defensor pacis, qui pontificis potestatem diversimode impugnarunt, imo eum non Petri successorem, sed a Constantino M. constitutum ecclesiae primatem esse contenderunt. Sed multum aberat, ut receptis juris principiis praevalerent. Interim tamen nec novae eorum assertiones, potestati pontificiae adversae, nec suppressae aut elusae conciliorum et nationum contra eandem potestatem insurrectiones omni effectu vacuae erant, sed propagabant animi sensa et consilia, quae

non multo post haec tempora non solum pontificiae potestati, sed etiam universae ecclesiae Catholicae maxima detrimenta inferendo opportuna erant.

§. 582. Relatio pontificis ad ecclesiam Orientalem.

Quod attinet relationem pontificis totiusque ecclesiae Occidentalis ad Orientalem, hac quoque periodo plura unionis conamina facta sunt. His durantibus illi Graecorum, qui unionem desiderabant, pontificis primatum non honoris tantum, sed etiam jurisdictionis agnoscebant; alias autem Graeci universim, majorum suorum vestigiis inhaerentes contendebant, papae in antiqua ecclesia non majorem aliquam super reliquos patriarchas potestatem, sed tantum honoris praerogativam, eamque non ob successionem Petri, sed propter urbis praecellentiam, imperatorum et conciliorum decretis concessam fuisse, quae deinceps episcopo CPno eadem ex causa aequalem prorsus praerogativam adjudicarint; pontificis primatum non amplius esse agnoscendum, quod a decretis conciliorum oecumenicorum recesserit. Has Graecorum de pontifice sententias praeter alios scripto expresserunt Barlaamus in libro de papae primatu, et Nilus Cabasilas, circa medium saeculum 15. archiepiscopus Thessalonicensis in singulari tractatu de eodem objecto. Nec defuerunt utroque hujus periodi saeculo alii inter Graecos, qui pro doctrinis ac institutis ecclesiae suae contra Latinos scriptis pugnarent, eoque schisma nutrirent, et ad unionis conamina irrita reddenda conferrent. Horum alia ne quidem perficiebantur, et quod perfectum videbatur, brevissimo tempore duravit. Sed vix aliter fieri poterat, quia non veritatis cognitioni et amori, sed tantum indigentiis politicis innitebantur. Imperatores nempe Graecorum, a Turcis ad majores indies angustias redacti, Latinorum contra eos auxilium desiderabant, scientesque, hoc sibi ab ecclesia Romana separatis non

praestitum iri, pontificibus, ad revertentes suscipiendos paratis unionem offerebant. Sed paucos sibi consentientes inter suos habebant, utpote quorum aversatio et odium contra ecclesiam Latinam metum hostium truculentorum longe superabat.

§. 583. Concilium Ferariense et Florentinum.

Cum Graeci, unionis ecclesiarum studiosi, concilium oecumenicum semper tanquam aptissimum ejus efficiendae medium considerarent, atque tunc temporis inter Latinos in causa schismatis et reformationis ecclesiasticae identidem ejusmodi concilia celebrarentur; Joannes VII. imperator CPnus, a Turcis indies magis pressus, a. 1430. Eugenio IV. pontifici per legatos se pronum significavit ad concilium, quod tum inter Latinos indictum erat, cum suis accedendum, et id tantum petiit, ut istud brevioris itineris gratia in aliqua urbe maritima Italiae, praesidente pontifice celebraretur. Inde est, cur hic concilium Basilea Bononiam et postea Ferariam translatum voluerit. Patriarcha CPnus Josephus sicut et caeteri Graecorum episcopi fere omnes animo ab unione tentanda alieno erant. Nihilominus imperatoris persuasionibus et jussis tandem cesserunt, et una cum eo a. 1438. in Italiam venerunt. Dum patrum Basileensium adventus Ferariae frustra expectabatur, quatuor principales differentiae inter Graecos et Latinos, nempe de processione Spiritus s., de purgatorio, de pane eucharistico, et de papae primatu a selectis utriusque partis theologis, inter quos ex Graecis Marcus Eugenius, archiepiscopus Ephesinus, et Bessario episcopus Nicaenus eminebant, praevie in examen vocatae sunt. Equidem de tribus posterioribus non admodum difficulter inter se convenerunt. Sed non ita de processione Spiritus s. Unde haec potissimum materia in concilio, quod mense Octobri anni 1438. inchoatum est, discutiebatur omnesque fere sessiones sedecim Ferariae, et novem Florentiae, quo

tientibus in id nitebatur, ut omnes unionem rejicerent, eumque in finem duo scripta edidit, in quibus omnes ab unione dehortabatur, idque eo effectu, ut legati, quos non multo post Eugenius ad unionem firmandam et propagandam CPim misit, incassum laborarent. Alii tamen unioni firmiter inhaerebant, eamque scriptis etiam contra adversarios propugnabant. Id nominatim fecerunt Georgius Trapezuntinus, Josephus episcopus Methonensis, et Metrophanes Cyzicenus, qui posterior, cum unionem confirmaret, in locum Josephi, Florentiae mortui, patriarcha CPnus constitutus est. Is tanto unionis conservandae studio flagrabat, ut episcopos ei adversantes deponeret. Quod cum etiam in dioecesibus caeterorum patriarcharum faceret, hi inde irritati, a. 1443. synodum celebrarunt, in qua non tantum concilium Florentinum, quod fidem et instituta ecclesiae Graecae vitiasset, penitus damnarunt, sed etiam Metrophanem omnesque metropolitas et episcopos ab eo ordinatos depositos, et si huic sententiae resisterent, excommunicandos pronuntiarunt. His non obstantibus concilium Florentinum eum effectum habuit, ut numerus illorum, qui jam inde ab unione, in concilio Lugdunensi II. inita, ecclesiae Latinae adhaerebant, nunc et doctrinis ac institutis Latinorum melius cognitis, et imperatorum constanti in unionem propensione, et imminente imperii per Turcas eversione, et benevolentia ac munificentia, quae multis Graecorum in Italiam profugis obtingebat, et exemplo clarorum virorum, unioni fideliter inhaerentium, inter quos Bessario, non multo post in Italiam reversus et cardinalis factus eminebat, multum augeretur et integri coetus Graecorum unitorum orirentur.

Joan. Cantacuz. aliique historiae Byzant. scriptores coaevi. Raynaldi annales ecclesiast. Sylvest. Sguropulus vera historia unionis non verae inter Graecos et Latinos, sive concilii Florent. exactissima narratio. Leo Allatius in Roberti Creygthoni apparatum, versionem, et notas ad historiam concilii Florent. scriptam a Sylv. Syropulo.

§. 585. Relatio pontificis ad sectas Orientales.

Majus obsequium erga ecclesiam Romanam ejusque praesidentem pontificem exhibebant ecclesiae Orientales, a sic dicta orthodoxa separatae. Equidem Armeni communionem saeculo 13. cum pontifice initam colebant, ejusque supremam in re ecclesiastica potestatem agnoscebant. Sic rex Armenorum, qui uxorem habebat, e familia regum Neapolitanorum oriundam, a. 1317. episcopum ad Joannem XXII. pontificem misit, de recuperanda Syria tractaturum. Pontifex autem in litteris, anno sequenti ad regem datis, fassus est, Armenos in omnibus fere rebus, ad fidem pertinentibus cum ecclesia Romana consentire, atque ad hanc consensionem firmandam, fidei formulam transmisit, quae Armenis norma credendorum esset; regemque et patriarcham seu catholicum eorum hortatus est, ut etiam rituum quorumdam diversitati tollendae operam darent. Eodem pontifice ecclesiam regente, anno scilicet 1323. etiam Armenia inferior, hactenus separata, communionem cum ecclesia Romana iniit. Verum Armeni, non obstante hac commumione identidem in pristinos errores relapsi fuisse videntur. De hoc conquestus est Benedictus XII. in litteris a. 1341. ad regem et patriarcham Armenorum datis, in quibus eos certiores reddidit, ex libris eorum, in linguam Latinam translatis, quam plurimos errores notatos fuisse, quos ut in synodo damnarent, fidemque ab ecclesia Romana praescriptam omnibus inculcarent, postulavit, id quod Armeniae episcopi mox fecerunt, legatos insuper ad pontificem mittentes, qui ei de perfecto obsequio suo fidem facerent. Attamen neque ab hoc tempore omnes errores ab Armenis constanter repudiatos fuisse, patet ex quaerelis Clementis VI. ad regem et patriarcham Armenorum, et ex litteris ejus ad eundem patriarcham, in quibus miratur, quod hic non ad om-

nes fidei quaestiones sibi propositas responderit. Hinc Eugenius IV. Armenos provocavit, ut ad unionem ecclesiasticam perficiendam animum adjicerent, idque eo effectu, ut a. 1439. legati patriarchae, necessaria potestate instructi ad synodum Florentinam venirent. Hi post brevem de doctrinis ac ritibus controversis disputationem decretum acceptarunt, quo processio Spiritus s. etiam a Filio, duae Christi naturae juxta definitionem concilii Chalcedonensis, duplex Christi voluntas, 7 sacramenta cum ritibus ecclesiae Romanae, purgatorium, suffragia pro defunctis, et suprema pontificis potestas statuta erant. Nihilominus et postea Armenorum permulti ab ecclesia Romana alieni deprehenduntur. In eodem concilio Florentino etiam Monophysitae in Abyssinia et in Aegypto, Copti dicti, qui prospera, qua saepius hac aetate fruebantur, sorte, indeque enata insolentia, dominorum suorum Muhamedanorum iram et persecutionem iterato sibi contraxerunt, se ecclesiae Romanae consentire, ejusque praesidis supremam potestatem agnoscere professi sunt. Joannes nempe Coptorum patriarcha, ab Eugenio per litteras invitatus, a. 1441. Andream abbatem monasterii ad S. Antonium cum responsoriis ad pontificem misit, qui in oratione, coram hoc Florentiae dicta, Romanam ecclesiam Petri et Pauli doctrinis semper fideliter inhaesisse fassus est, et papam Christi in his terris vicarium nominavit. Similiter Constantinus rex Abyssiniae, nec non Nicodemus abbas et antistes Abyssiniorum, Jerosolymae habitantium, ad communionem cum ecclesia Romana efficiendam viros aliquos ad pontificem ablegarunt, qui suos maxima erga hunc veneratione ferri contestati sunt. Cum istis omnibus unionem inire, jam nullis difficultatibus obnoxium erat. Postquam igitur pontifex a. 1442. concilium Florentia Romam transtulisset, decretum pro Coptis et Abyssiniis condidit, in quo fidei Romanae confessio, canon biblicus, concilia, quae ecclesia Romana in numero oecumenicorum ha-

bet, haereses, quas damnat, continebantur. Haec omnia Andreas legatus suo suorumque nomine solemniter acceptavit. Verum historia sequentium temporum docet, unionem cum his Monophysitis nec firmam nec constantem fuisse.

Raynaldi annal. eccles. Renaudot hist. patriarchar. Alexand. Jacobit.

§. 586. Immunitas clericorum. Episcoporum jurisdictio in rebus saecularibus, et legislationis civilis participatio.

Quod attinet relationem clericorum ad rempublicam civilem, eorum immunitas realis et personalis generatim quidem etiam per hanc periodum conservata, et quasi in jure divino fundata a pontificibus et conciliis graviter inculcata est. Nihilominus variis modis plurimum aeris a clericis exigebatur. Etenim pro advocatia ecclesiastica principibus et proceribus definitam summam solvere debebant; episcopi et abbates propter feuda a se possessa non minus ac alii vasalli patrono belligeranti copias mittere suisque sumtibus sustentare tenebantur. Frequenter a toto clero decimae vel pontificibus, vel ex horum concessione principibus per plures annos praestandae erant. His accedebant varia tributa, quae sedes pontificia nomine annatarum, servitiorum communium, primitiarum, sustentationis legatorum pontificiorum etc. ab eo exigebat. Praeter haec omnia principes aut proceres rapaces haud raro bona ecclesiastica diripiebant, aut a praesulibus, improvisa invasione captis, magnum redemtionis pretium extorquebant, aut etiam ad consueta tributa, imo ampliora solvenda clericos suos contra jus adigebant, quod vel ex eo apparet, quia plura in Gallia et Germannia concilia id sub excommunicationis poena prohibere necessum habuerunt. Idem valet de immunitate clericorum personali, quae post Fridericum II. a Carolo IV. imperatore nova lege confirmata fuit, et nihilomi-

nus frequenter violabatur. — Jurisdictionem, quam praesules ecclesiastici in rebus saecularibus praeterita periodo habuerant, etiam praesenti tenuerunt. Eorum conditio, ex qua non tantum doctores et rectores ecclesiarum, sed etiam principes saeculares et terrarum domini erant, et inter ordines publicos primum locum tenebant, non tantum magnam regiminis et legislationis publicae partem eis comparabat, sed etiam plurimis negotiis saecularibus molestis, litibus et bellis, in quibus haud raro ipsi arma gerebant, eos implicabat. Haec conditio ab altera quidem parte eorum muneri primario minus conveniebat, eorumque inimicis largam vituperandi materiam subministrabat, ab altera tamen ad salutem ecclesiae conservandam et promovendam non parum conferebat.

§. 587. Relatio pontificum ad imperantes civiles.

Romani pontifices potentiae suae, qua imperantes civiles, sibi adversantes coercere et ad obedientiam adigere consueverant, fortiter et plerumque feliciter insistebant. Speciatim quoad imperium Romano-Germanicum, jus, electum imperatorem confirmandi, eo effectu persequebantur, ut tandem nemo illud controverteret. In electione tantam habebant auctoritatem, ut saepius is, quem volebant, fere nunquam is, quem repudiabant, eligeretur. Electi, quibus varias conditiones praescribebant, has sine contradictione acceptabant, et jusjurandum fidelitatis mox post electionem et ante coronationem praestabant, atque consuetos genu flectendi, pedem osculandi, equum conscendentibus stapedem tenendi, equum per aliquod viae spatium froeno ducendi, honores pontificibus exhibebant. Horum omnium specimina sequentia sunto: Initio hujus periodi comes Luciliburgensis, nomine Henrici VII., designante Clemente V. imperator electus est. Is anno sequenti 1309. per legatos litteras ad pontificem misit,

in quibus non quidem electionis suae confirmationem petiit, attamen debitum fidelitatis et quodcuncque aliud jusjurandum obtulit. Pontifex examinato electionis decreto, Henricum imperio Romano dignum pronuntiavit, et ab ejus legatis jusjurandum exegit, quo domini sui nomine promittebant, eum inscio pontifice Romae nihil, quod hunc aut cives attineat, decreturum, ecclesiae Romanae possessiones, ab eo forte recuperandas, mox traditurum, si ipse Romam venerit, ecclesiam Romanam et pontificem, quantum fieri posset, exaltaturum, atque ante coronationem hoc et quodvis aliud jusjurandum consuetum, postulante pontifice renovaturum esse. Porro pontifex, petente Henrico cardinalem denominavit, qui cum in Italia comitaretur, et incolas ad obedientiam ejus perduceret. Postea vero imperator cum pontifice collisus est. Etenim Robertum, Neapolis regem, pontifici conjunctissimum, sed imperii adversarium periculosissimum, publice proscripsit. Cumque pontifex, quo Henricum ab his coeptis avocaret, jusjurandum fidelitatis sibi praestitum in memoriam ei revocaret, ille negavit, a se unquam tale emissum fuisse. Itaque a. 1313. cum Friderico, Siciliae rege, armorum socio, qui contra pontificis interdictum, regnum Neapolitanum armis invaserat, ab hoc excommunicatus est, nec multo post e vivis sublatus. Proscriptionem autem contra Robertum pronuntiatam, Clemens V. irritam pronuntiavit, eo quod ipse illius dominus feudalis et judex ordinarius esset. Idem nunc secundum principia sedis pontificiae contendebat, vacante solio, imperii administrationem sibi competere.

Mussati de gestis Henrici VII. Caesar. in Reuberi scriptorib. rerum Germannic. Raynaldi l. c. Olenschlager erläuterte Staatsgeschichte des Röm. Kaiserthums. Ejusd. Urkundenbuch.

§. 588. Dissidium inter imperatorem Ludovicum et pontificem Joannem XXII.

Sub ejus successore Joanne XXII. acerrimum et diuturnum bellum de jure, electum regem Romanum

confirmandi, inter pontifices et novum imperatorem, Ludovicum Bavarum, exarsit. Hic devicto captoque aemulo suo Friderico Austriaco, totius imperii habenas capessit, quin pontificis confirmationem requireret, et praeterea civitatibus Lombardicis, quas Joannes Roberto Neapolitano subjicere satagebat, auxilia misit. His ex causis pontifex eum a. 1323. primo sub minis, usque ad impetratam confirmationem a regno abstinere, et omnia quae hactenus regia auctoritate egisset, revocare jussit, deinde non parentem excommunicavit, omni jure in imperium exutum, ac tandem a. 1327. etiam omnibus feudis imperialibus, nominatim ducatu Bavariae privatum pronuntiavit. Praeterea eum iterato ad suum tribunal, ut sententiam contra se ferendam perciperet, evocavit, clericis et laicis cum eo facturis excommunicationem, interdictum, privilegiorum et feudorum ademtionem intentavit, Wladislaum, Poloniae regem ad terras Brandenburgicas, quas Ludovicus filio suo contulerat, invadendas incitavit, denique expeditionem cruciatam contra eum annuntiari jussit, omnibusque eam participaturis easdem indulgentias plenarias obtulit, quae contra Saracenos pugnantibus concedebantur. Ludovicus non minus vehementer pontifici reluctabatur. Tribus prioribus ejus contra se judiciis seu processibus protestationem et appellationem ad futurum concilium generale opposuit. Jam in prima sua protestatione jus, electum regem Romanum confirmandi, pontifici abjudicavit. In altera graviter in Joannem invectus est, variaque ei exprobravit, nominatim, eum haeresin et blasphemiam docere, quo scilicet nomine Franciscani rigidiores Joannis assertionem, Christum et apostolos peculio non caruisse, notabant. Insuper Ludovicus Joannem pontificem, se ita dicentem nominare solebat. Cum a. 1327. agmen militum in Italiam duceret, Gibellinorum deputati Tridenti cum eo convenerunt, ibique sedecim contra Joannem opprobria scripta ediderunt, in quibus etiam haeresis arguebatur.

Exinde Romam profectus Ludovicus a duobus episcopis imperatorem se consecrari, et a Sciarra de Columna, quem Romani urbis praefectum constituerant, coronam sibi imponi curavit. Post aliquot menses eo agente, in publico clericorum laicorumque conventu Joannes tanquam simoniacus, laesae majestatis reus, haereticus, imo antichristus depositus, et paulo post Petrus Raynaluccius, Corbario in regno Neapolitano oriundus, Romae poenitentiarius ex ordine Franciscanorum, nomine Nicolai V. pontifex proclamatus est. Plura erant, quae Ludovicum in his contra Joannem efficiendis adjuvabant. Sic Franciscani, Joanni propterea quam maxime infensi, quod omnimodae eorum paupertati adversaretur, eum tanquam haereticum apud populum diffamabant, ejusque contra imperatorem acta coloribus atris depingebant, et ita illum in obedientia continebant. Juris doctores Parisienses et Bononienses pontificis contra imperatorem processus juri adversos adeoque nullos declarabant. Marsilius Patavinus et Joannes Jandunensis aliique scripta ediderunt, in quibus non tantum imperator defendebatur, sed etiam a pontifice independens, imo hic illi subjectus asserebatur. In Italia factio Gibellinorum, pontificibus adversa, admodum numerosa erat, ipsique Romani, Joanni vehebementer indignantes, quod repetitis suis, ut Romae resideret, invitationibus non annuerit, Guelphos e sua urbe expulerant, copias Neapolitanas et pontificias non susceperant, et Sciarram e familia Columnensi, pontificibus semper adversa, urbis praefectum constituerant. Verum recte ab eo tempore, quo pontifici maximam cladem intulisse Ludovicus videbatur, res ejus in pejus ruere coeperunt, ad quod ipsa pontificis depositio, multorum animos ab eo avertens, non parum contulisse videtur. Guelphorum factio in Italia satis valida erat, ex ipsis Gibellinis complures vel defervescebant, vel a Ludovico diversimode offensi recedebant. Ipse nec copias nec aeris tantum habebat, ut Robertum et

Florentinos, Guelphorum acerrimos debellare, simul Lombardos in froeno continere posset. Romae, ubi clerus mox post ejus adventum sacra intermiserat, populus, tributo a Ludovico sibi imposito, in apertam seditionem prorupit, cui deprimendae impar fuga salutem petiit, eodemque adhuc anno Italia quoque excessit. Pontifex ab eo creatus, quamquam Joannem excommunicasset, et episcopos legatosque denominasset, mox omnibus fere asseclis, exceptis Franciscanis destitutus, et Pisis, quo imperator eum secum duxerat, post hujus discessum delitescere coactus est, donec a. 1330. Joanni traderetur, qui eum usque ad mortem captivum detinuit. In Germannia quoque Ludovico reduci brachchium pontificis gravius graviusque incumbebat. Hic scilicet excommunicationem saepius renovabat, propter approbationem librorum Marsilii Patavini et Joannis Jandunensis, et sententiae Franciscanorum de paupertate Christi, haereticum eum pronuntiavit, Germanniam interdicto subjecit, et electores ad alium Ludovico substituendum admonuit. Jam quamquam hi pontificis monitis aurem non praebebant, principes tamen universim imperatori non pro eo, ac par erat, opitulabantur, quin potius semper nonnulli ei adversabantur, nunc Austriae, nunc Pomeraniae duces, nunc episcopi Passaviensis et Salisburgensis, nunc elector Coloniensis, nunc Bohemiae rex. Sacrorum interdictum magis magisque observabatur, qui illud observabant, persecutioni quidem passim subjiciebantur, nihilominus his omnibus status imperii admodum turbabatur. Eo Ludovici animus paulatim labefactari, et in reconciliationem pronus fieri coepit, ad quam obtinendam singulis annis 1330.—31. et —32. legatos ad pontificem misit, seque paratum testatus est ad Franciscanos deserendos, poenitentiam suscipiendam, quodvis jusjurandum solemne praestandum, omnia ecclesiae ac pontificis jura, privilegia et possessiones confirmandas, coronationem denuo admittendam, et tempore, hanc

proxime praecedente ab imperatoris titulo abstinendum. Verum Joannes eorum, quae Ludovicus contra eum et alios quoque clericos egerat, bene memor, fortasse etiam a Galliarum rege dispositus, in cujus favorem isto tempore imperium Romanum cum Italia a Germannia in perpetuum separare meditabatur, nonnisi imperio se abdicanti reconciliationem impertiendam esse pronuntiavit. Ludovicus reapse a. 1333. consilium, imperium deponendi ceperat, quod quo minus effectui daret, plures ex principibus Germannicis impedierunt. Anno sequenti Joannes XXII. e vita excessit.

§. 589. Continuatio dissidii sub Benedicto XII. et Clemento VI.

Ab ejus successore Benedicto XII. Ludovicus, factionem pontificiam sibi adversam et turbas diuturnas in Germannia pertaesus, ac reconciliationis obtinendae nunc magis ac unquam antea cupidus, mox in exordio pontificatus illius et deinceps saepius pacem petiit, atque ad durissimas conditiones, ab eo propositas acceptandas paratum se esse contestatus est. Anno sequenti praeter alia pontifici promisit, se dignitatem imperatoriam depositurum, et nonnisi impetrata illius confirmatione recepturum esse. Eum nihilominus reconciliationem impetrare non potuisse partim inde venit, quod pro animo minus constanti legatos suos, antequam operi reapse manus admoveretur, Avenione revocaverit, titulumque imperatoris iterum assumserit, partim inde, quia Robertus, qui in Italia pro libitu dominari cupiebat, et Philippus VI. rex Galliae, qui sub praetextu praesidii nonnullas Germanniae urbes occupaverat, et cum cujus hoste, Angliae rege, Ludovicus foedus inierat, Benedictum, utut ad pacem imperatori concedendam animo pronissimum, ab ea concedenda detinebant, ne nempe illius potentia aucta consilia sua irrita redderentur. Nihilominus Ludovicus denuo, anno scilicet 1338. per legatos alicujus synodi provincialis,

Moguntii celebratae, pacem a pontifice petiit. Quae petitio cum iterum frustranea fuisset, imperator in comitiis, eodem anno Francofordii ad Moenum celebratis, graviter de pontifice conquestus est, suamque fidem orthodoxam, nec non conamina, pacem impetrandi, a se instituta, exposuit, quo facto ordines omnes processus pontificios contra imperatorem injustos ac irritos pronuntiarunt, atque ut sacrorum interdictum tolleretur, clericique sacra facere recusantes severe punirentur, decreverunt, quod etiam passim factum est. Eo non contenti electores paulo post, consentientibus universis ordinibus lege publica declararunt, dignitatem imperatoriam immediate a Deo descendere, et ab omnibus vel plerisque electoribus electum, illico absque pontificis confirmatione et coronatione verum imperatorem esse. Atque hanc declarationem pontifici etiam indicarunt, simul petentes, ut omnes antecessoris sui contra Ludovicum processus revocaret, secus se ad alia media adhibendos coactos fore. Sed et hic conatus effectu apud sedem pontificiam caruit. Eo tamen res Ludovici in Germannia suffultae sunt. Is nec postea varia tentare cessavit, quibus reconciliationem cum pontifice impetrare posset. Sed Benedictus, qui a. 1342. ex vivis excessit, ad eam concedendam permoveri non potuit. Ejus successor Clemens VI. iterum armis spiritualibus et materialibus, quibus Benedictus XII. abstinuerat, utebatur. Cum enim Ludovicus, postquam a novo pontifice mox a. 1342. pacem frustra petiisset, episcopatus et alias praelaturas, ab illo conferri solitas ipse conferret, clericos, qui mandante pontifice ad expeditionem cruciatam contra Turcas hortabantur, pelleret, et aes ab eis collectum auferret; Clemens a. 1343. novam bullam excommunicatoriam contra eum edidit, in qua, ni intra tres menses ab imperii regimine et titulo prorsus abstineret, et omnia pontifici adversa tolleret, graviores adhuc poenas ei minabatur, et praeter alia multa id quoque exprobravit, quod propria

auctoritate

auctoritate matrimonium inter Joannem, Bohemiae regis filium et Margaretham Tyrolis ac Carinthiae haeredem dissolverit, eamque filio suo Ludovico uxorem dederit. Hoc facto Ludovicus non tantum potentem Bohemiae regem graviter offendit, sed etiam aliorum principum, quibus immodica haec, familiam suam possessionibus augendi, cupido displicebat, nominatim ducum Austriacorum, potiori in terras illas jure gaudentium animos a se abalienavit, et haeresis opprobrium, a pontifice sibi factum confirmavit. Igitur accedente nunc nova pontificis excommunicatione indies plures ab eo deficiebant, resque jam eo devenit, ut electores de alio rege eligendo deliberare inciperent. Periculum inde sibi imminens Ludovicus eo avertit, quod per legatos qualiumcunque pacis conditionum acceptationem pontifici jurejurando promitteret. Hic jam praeter alia postulavit, ut omnia, quae hactenus auctoritate imperatoria aut regia, et alii ejus nomine egissent, irrita pronuntiaret, et ut post acceptam a pontifice confirmationem, qua rex aut imperator sine speciali sedis pontificiae licentia nihil decerneret ageretque. Postulata pontificia cum Ludovicus ordinibus a. 1344. Francofordii congregatis proponeret, se juxta eorum arbitrium ad ea vel acceptanda, vel rejicienda paratum testatus est. At illi unanimiter statuerunt, ea, utpote ad destruendum imperium comparata neque a se, neque ab imperatore sine violatione jurisjurandi, imperio praestiti acceptari posse, hancque suam sententiam per legatos pontifici significarunt. Nihilominus electores aliique principes Ludovico jam ideo succensebant, quod propter eum imperium adeo indigne tractaretur et perturbaretur, praesertim cum identidem talia commisisset, quibus pontificum exacerbatio contra eum non potuit non augeri. Itaque ei jam instabant, ut imperium Carolo Bohemiae regis filio, Moraviae marchioni, pontifici grato acceptoque cederet. Eis animo erga Ludovicum ita affectis, insuper et rege Bo-

hemico bellum ei inferente, Gallico autem parante, pontifex a. 146. ultimam bullam excommunicatoriam, horribilem plane, et omnibus psalmorum imprecationibus refertam contra eum edidit, simulque electoribus eadem praecepit, ut cum imperium Romanum tanto tempore vacet, sine mora novum regem eligerent, secus sedem apostolicam, a qua jus et potestas, regem Romanum eligendi, principibus collata fuerit, imperio provisuram esse. Reapse non multo post Carolus Bohemus, quem pontifex electoribus commendaverat, a plnribus eorum aliisque principibus electus est, a pontifice statim confirmatus. Verum hanc electionem mox alii imperii ordines, a Ludovico Spirae congregati, irritam pronuntiarunt, et plerique, imprimis urbes huic fideliter adhaeserunt, ita ut usque ad mortem suam a. 1347. Carolo, armis nequicquam eum impetenti praevaleret.

Rebdorf. annall. apud Freher. Albert. Argentin. chronic. Raynaldi annal. eccles. Nicol. Burgund. hist. Bav. Albertin. Mussati Ludovic. Bavarus, apud Reuber. J. Georg. Herwart Ludovic. IV. imperator defensus, Bzovius injuriarum postulatus. Olenschlager lib. cit. Baluz. vitae pontif. Avenionens.

§. 590. Caeterorum imperatorum erga pontifices obsequium.

Infausta Ludovici Bavari sorte effectum est, ut jus, electum regem Romanorum confirmandi, quod pontifices tanto cum ardore sibi vindicaverant, ab illius successoribus sine ulla contradictione agnosceretur, qui universim jam ita obsequiosi erga pontifices erant, ut hac periodo nullus eorum amplius cum illis collideretur, quod ex parte etiam subsequis rerum adjunctis, sedi pontificiae periculosis, schismati nempe et reformationis ecclesiasticae conaminibus tribuendum est. Ipsi principes, ut dicta exemplis confirmentur, qui Carolum elegerunt, quo actum suum juri consentaneum

esse ostenderent, secundum effatum pontificis, imperium jam a longo tempore vacare enuntiarunt. Nihilominus alii, ipso Ludovico mortuo, Caroli electionem, utut a pontifice confirmatam, irritam nullamque pronuntiarunt, ita ut hic, quo ad tranquillam regni possessionem perveniret, denuo eligi et coronari deberet. Inter conditiones, quas Carolus a pontifice cum jurejurando acceptaverat, hae quoque erant, ut omnia Ludovici decreta et acta irrita pronuntiaret, ut ante diem coronationis imperatoriae Romam non ingrederetur, eodemque die cum omnibus comitibus ea excederet, totum territorium pontificium quantocius relinqueret, et deinceps nonnisi permittente pontifice eodem veniret, quas conditiones Carolus reapse servavit. Is cum postea filium suum Wenceslaum successorem eligi desideraret, atque electores id facere dubitarent, quod a pontifice fortasse improbandum esset, a Gregorio XI. ut consentiret, litteris petiit. Qui ei rescripsit, se hac unica vice id permittere, quin inde pro futuro tempore electoribus novum jus concedatur. Jus electum regem confirmandi ipso schismatis tempore pontificibus salvum mansit. Rupertus nempe Wenceslai successor a Bonifacio IX., Sigismundus a Joanne XXIII. confirmationem petiit. Et quamquam Sigismundus Eugenio IV. propter concilium Basileense, quod eum tantopere impugnabat, admodum metuendus esset, minime tamen detrectavit, ante coronationem suam a. 1433. consuetum jusjurandum pontifici praestare. A Friderico III., Romam ad coronam accipiendam proficiscente, Niculaus papa V. submisso ejus erga sedem apostolicam animo fretus postulavit, ut jam Senis, priusquam territorium pontificium ingrederetur, jusjurandum emitteret, et quamquam imperator hujus rei novitatem notabat, tamen summo sacerdoti, Christi vicario obtemperandum esse censuit. Ante portas urbis juravit, se bonas ejus consuetudines servaturum. Idem offensus, quod Mediolanenses, imperii vasalli, propria auctoritate Francis-

cum Sforzam ducem sibi constituerint, petiit, ut pontifex ex plenitudine potestatis apostolicae coronam Longobardicam sibi imponeret, cui petitioni ille lubens satisfecit. Antequam imperator coronatus esset, qua rex Germannorum locum post primum cardinalem, ecclesiae Romanae vice-cancellarium occupare non renuit. Caeterum ultimus erat ex imperatoribus, qui pontifici, equum conscendenti stapedem tenuit, et equum, cui insidebat, froeno duxit. Nam Maximilianus, ejus filius et successor, qui rerum politicarum statu impeditus Romam venire non potuit, a. 1508. sine coronatione imperatoris titulum assumsit, id quod Julius II. pontifex, ejus adventum non desiderans, litteris ad eum missis approbavit.

§. 591. Collisio Austriacorum cum Nicolao V.

Quod prioribus saeculis pontificibus frequenter ansam dedit, causis mere civilibus seu politicis se immiscendi, hac quoque periodo nonnunquam fiebat, ut nempe imperantes civiles, adversariis suis ope pontificis praevalere cupientes, causam ad hunc deferrent. Hujus rei exemplum praesenti periodo praebuerunt ordines Austriaci. Hi apud Nicolaum V. Fridericum III. imperatorem, Ladislai, ducis eorum minorennis tutorem, pacti, quód de juvene principe inter utramque partem initum fuerat, violati accusarunt. At imperator a. 1452. Romae ad coronationem praesens accusationis falsitate pontifici monstrata, ab hoc ut Austriacos excommunicaret, petiit, id quod Nicolaus se facturum pronuntiavit, ni illi intra 40 dies regimen Austriae, imperatori ademtum reddidissent. Quo audito, non multo post Friderici discessum, legati Austriacorum et cum his conjunctorum Hungarorum Romae adfuerunt, pontificem rogantes, ut imperatorem ad Ladislaum subditis tradendum permoveret, eoque bellum, secus illi inferendum, averteret, utque processum contra Austriacos decretum dimitteret. Sed Nicolaus hunc pro-

sequendum fore eis respondit, ni imperatori Ladislai tutelam et terrae suae regimen concederent. Jamque legatorum uno causam istam ceu mere saecularem ad pontificis tribunal pertinere negante, Nicolaus id omnino affirmavit, eo quod apostolo Petro ejusque successoribus potestas omnia sine exceptione ligandi et solvendi collata fuerit, quod litigantibus principibus superiori non subjectis, nonnisi pontifex jus dicere possit, quod ut ab hoc fiat longe melius esse, quam ut rei decisio fortunae belli committatur. Non multo post Nicolaus Austriacos reapse sub poena excommunicationis Friderico terrae suae regimen intra 40 dies committere jussit. Verum ipsi episcopi Salisburgensis, Passaviensis et Olomucensis litteras pontificias non promulgarunt. Ordines vero Austriaci a papa parum instructo ad magis instruendum provocarunt, vel ad futurum concilium generale, vel ad universalem ecclesiam. Igitur ad arma ventum est, eo quidem eventu, ut Fridericus Ladislaum eodem adhuc anno tradere debuerit.

Aeneas Sylv. historia Frider. III. imperat. Fugger Spiegel der Ehren des Erzhauses Oesterreich.

§. 592. Dissidia inter pontifices et reges Neapolitanos.

Ex summis principibus nulli alii frequentius graviusque cum pontificibus hac periodo collidebantur, quam reges Neapolitani, quod partim a vicinia terrarum, partim a nexu feudali inter utrosque descendit. Primo vehementiori dissidio inter eos ansam dedit magnum schisma Occidentis. Cum enim Joanna I., tunc temporis regina Neapolis, Clementi VII. accessisset, imo copias contra Urbanum VI. misisset, hic eam a. 1380. deposuit, et regnum Carolo Dyrachii duci ejusque haeredibus ceu feudum contulit. Is a pontifice magnis subsidiis adjutus, a. 1381. Neapoli potitus est, ipsamque reginam cepit, quam anno sequenti, quod eum regni et Provinciae Galliae haeredem dicere constanter renueret, laqueo

suffocari jussit. Ita in regni possessione firmatus, Carolus mox varia egit, quae pontifici admodum improbabantur, quapropter Urbanus, continuo ulterius progredientem, simul et insolenter contra se gerentem a. 1385. omni jure in regnum exutum et excommunicatum pronuntiavit. Praeterea urbem Neapolim sacris interdixit. At rex carceris et spoliationis intentatione clericos ad ea facienda adegit, pontificis asseclas, praelatis non exceptis, graviter persecutus est, illumque ipsum in arce Nocera, in regno Neapolitano sita, quo in exordio litium se contulerat, obsedit. Verum Urbanus ex ea liberatus, Genuam vectus, Carolus autem anno sequenti in Hungaria, quam Mariae, reginae legitimae eripere attentabat, eadem curante interfectus est. Ejus filius et successor Ladislaus, dissidiis, quae pontifices cum Romanis et inter se ipsos habebant, in rem suam usus, Romam saepius invasit, et quamquam pontifices eum propterea excommunicarent, deponerent, debellarent, expeditionem cruciatam contra eum annuntiarent, eis tamen ita praevaluit, ut non tantum Joannem XXIII. ad pacem sub conditionibus sibi utilissimis petendam adigeret, sed etiam, hac anno sequenti rupta, Romam recuperaret, pontificem ad fugam compelleret, et e toto territorio ecclesiastico ejiceret, quod, cum Joannes non multo post Constantiam ad concilium profectus ibique depositus fuisset, rex una cum urbe Roma usque ad vitae finem retinuit. Quae ei successit Joanna II., cum prolibus careret, Alphonsum Siciliae et Aragoniae regem adoptavit, ea mortua Neapoli reapse potitum. Cum pontifices hoc ejus successionis jus non agnoscerent, Alphonsus a partibus concilii Basileensis contra eos stabat, et Felicem V. pontificem agnoscebat. Eugenius IV., quo regem ab antipapa abstraheret, non tantum regnum Neapolitanum in feudum ei contulit, sed etiam Beneventum et Teracinam ad dies vitae concessit. Ejus filium Ferdinandum, quod illegitimo thoro natus esset, Calixtus III. quidem repu-

diavit, regnum Neapolitanum tanquam feudum vacans ad ecclesiam Romanam rediisse pronuntiavit, et subditos Ferdinandi a fidelitate ei jurata absolvit. Verum tum iste, tum illi a pontifice provocarunt, qui non multo post mortuus est. Ejus successor Pius II. Ferdinando Neapolim quidem contulit, sed nonnisi sub his conditionibus, a rege acceptatis: rex, ejusque successores pristinum censum vasalliticum 8000 unciarum singulis annis solvent; iidem tertio quovis anno asturconem tanquam signum relationis suae vasalliticae ad pontificem Romam mittent, et auxilium militare praestabunt, quotiescuncque pontifex ecclesiam eo indigere declaraverit; iidem sub poena Neapolis amittendae, neque imperium Romanum, neque dominium in Tusciam aut Lombardiam acceptabunt. At Ferdinandus progressu temporis censum vasalliticum solvere detrectabat, eoque Innocentii VIII. indignitationem incurrit, qui jam proceres quosdam Neapolitanos in regem insurgentes, et nonnisi pontifici subesse se velle contestantes, publice sub suum praesidium recepit, et a fidelitate regi jurata absolvit. Quapropter Ferdinandus Innocentio bellum intulit. Sed quamquam a Mediolanensibus, Florentinis, et Romana Ursinorum familia adjuvaretur, et ab initio prospero successu gauderet; postea tamen pontifex ei ita praevaluit, ut satis duras pacis conditiones acceptaret. Quas cum minime servaret, et legatum, per quem pontifex eum admonebat, cum contemtu haberet, inimicitia inter utrumque a. 1589. in apertas hostilitates iterum exarsit, siquidem iste illum excommunicavit, et cum ad concilium oecumenicum provocaret, regno exutum pronuntiavit. Nihilominus a. 1492. pax sub prioribus conditionibus renovata est. Ferdinandi nepote, Ferdinando II. a. 1496. sine prolibus mortuo, Alexander papa VI. Neapolim ejus patruo Friderico contulit, sed a. 1501. bullam edidit, qua ei regnum iterum ademit, eo quod Turcas ad invadendas Christianorum terras provocarit, multisque

in ecclesiam seditiosis favorem exhibuerit; annuntiavitque, se regnum Neapolitanum inter Ferdinandum Catholicum, Hispaniae et Siciliae regem, et Ludovicum XII. regem Galliae ita divisisse, ut ille meridionalem, iste septentrionalem partem obtineret; conditiones quoque proposuit, sub quibus illud possiderent, easdem fere, quas Pius II. Ferdinando I. praescripserat. Re vera duo illi reges Fridericum, foedere contra eum inito, resistendo imparem regno privarunt. Sed non multo post Ferdinandus Catholicus Ludovico partem suam eripuit, atque jam, ipsis pontificibus approbantibus, qui Gallis, in Italia indies latius progredientibus, etiam armata manu resistebant, utriusque Siciliae rex erat. Igitur varia fortuna, qua reges Neapolitani dominis suis feudalibus, pontificibus, modo praevalebant, modo succumbebant, a varia plerumque rerum circumstantium conditione dependit, horumque arma spiritualia non semper speratam vim exeruerunt.

Theod. a Niem de schismate. Gobelin cosmodrom. Steph. Infessura diario della citta di Roma apud Muratori. J. Burchard diarium curiae Rom. apud Eccard. Panvini vita Alexand. VI. Giannone Geschichte des Königr. Neapel. Muratori Geschichte von Italien.

§. 593. Dissidia inter pontificos et Venetianos.

Cum civitatibus et principibus Italicis sedes pontificia eo saepius collidebatur, quia inter illos singularis factio Gibellinorum perdurabat, consilia sequens, illi sedi adversa, et quia iidem alias quoque in detrimentum vicinorum suorum emolumenta sibi parare studebant. Sic Joannes XXII., agente potissimum Roberto, Neapolis rege, totius Italiae dominium affectante, Matthaeum Viscontem, Gibellinorum caput, quem Mediolanenses ducem sibi elegerant, cum variis ejus jussis non obedivisset, excommunicationi, cives autem interdicto subjecit. Praeterea eundem, nec non marchiones Astenses propter retentam Ferariam, aliosque Gibellino-

rum duces per inquisitores, haereticos, quod nempe ecclesiae adversarentur, pronuntiari jussit. Cumque Matthaeus Visconte neque iteratis monitis, neque armis sibi illatis ad dominium Mediolani dimittendum, seque Roberto subjiciendum permoveri posset; a. 1322. expeditio cruciata cum oblatione indulgentiae plenariae contra eum sociosque ejus annuntiata est, cujus tamen vis contra eum, ut pote eodem jam anno mortuum probari non potuit.[1]) — Inter rempublicam Venetorum et pontifices tria graviora dissidia hac periodo agitata sunt; primum quidem sub Clemente V., inde exortum, quod ex duobus, Ferariam sibi asserentibus, quorum neuter alteri praevalere poterat, alter pontifici, alter reipublicae jus suum a. 1308. cesserit. Cum Veneti urbem a se occupatam pontifici tradere recusarent, imo clericum quemdam, pontificis nomine de isto negotio cum eis tractaturum lapidibus petiissent, copias quoque pontificias ad possessionem urbis capiendam adventantes profligassent, Clemens a. 1309. bullam emisit, in qua praeter alias poenas, hactenus a pontificibus non adhibitas, excommunicatio et interdictum in eos pronuntiatum, et clero, ut urbem desereret praeceptum erat. Pontifex praeterea expeditionem cruciatam contra eos annuntiavit, eo effectu, ut cardinalis ad eos debellandos ablegatus, magnum exercitum colligeret, quo Venetianos terra marique caecidit. Ita perculsi, et scissione interna perturbati ab anno 1311. pontificis gratiam impetrare studebant. Cum eorum legatus, a. 1313. Avenionem missus supra quam credibile est, coram pontifice humiliaretur, et Henricus VII. imperator eis ad suum dominium in Italia augendum uti potuisset, Clemens eos priori statui restituit, imo ut pristinam cum Ferariensibus conjunctionem renovarent, indulsit.[2]) Similis sententia post 170 circiter annos a pontifice contra Venetianos pronunciata plane nullum eis detrimentum attulit, vix alia ex causa, quam quod rerum personarumque adjuncta tunc alia essent. Sixtus papa IV. anno 1482. cum Venetorum, qui ducem Ferariensem debella-

bant, adversariis conjunctionem iniit, jamque ab illis postulavit, ut litem eos inter et ducem sibi dirimendam committerent. Quod cum facere recusarent, et pontifice frustra eis minitante, bellum continuarent, is a. 1483. horribile contra eos judicium tulit, quo non tantum excommunicationem et interdictum adversus eos pronuntiavit, sed etiam omnes et singulos infames, bonorum et munerum expertes, ipsam vero civitatem juribus et possessionibus exutam, eorum cum extraneis commercium sublatum declaravit, omnesque principes provocavit, ut eis bellum inferrent, arma contra eos gesturis indulgentiam plenariam obtulit, denique praecepit, ut singulis Venetianis omnes facultates adimerentur. Sed hoc judicium in ditione Venetorum ne quidem promulgatum est. Nonnulli Franciscani, sacra facere recusantes, relegati sunt. Senatus coram patriarcha CPno Latino aliisque praelatis futurum concilium generale appellavit, quam appellationem patriarcha approbavit, interdictum suspendit, et pontificem ad concilium citavit, cujus convocationem Venetiani mox a pontifice petierunt. Interea bellum eo cum successu continuabant, ut indies magis adversariis praevalerent. Quare hi a. 1484. invito pontifice pacem illis admodum utilem fecerunt. Hic eventus pontificis tunc aegrotantis mortem maturasse credebatur.[3]) Non tamen collapsae quasi potentiae pontificiae tribuendus est. Alia rerum conditio pontificem, majori animo praeditum in fine hujus periodi parem reddidit Venetianis non minus dejiciendis, ac ejus initio a Clemente V. dejecti fuerant. Hi mortuo Alexandro VI. Faventiam, Ariminum, aliasque urbes et arces, ad territorium pontificium pertinentes, e quibus pontifex ille filio suo Caesari ducatum Romanensem composuerat, occupaverunt. Quas ut redderent Julius II. pontifex a. 1504. a Venetianis postulavit, sed nonnisi decem oppida ab iis impetrare potuit. Hac aliisque ex causis pontifex contra eos irritatus effecit, ut Maximilianus I. imperator, et Galliae Hispaniaeque reges, pa-

riter diversimode per Venetianos gravati, a. 1508. foedus contra eos inirent, a loco, quo ictum est, Cameracensis ligia dictum. Huic foederi ipse pontifex, cum Venetiani Faventiam et Ariminum denegare pergerent, anno sequenti publice accessit. In bulla hac occasione edita Julius, de multis aliis injuriis Venetianorum contra sedem apostolicam conquestus, duci, senatoribus, cunctisque reipublicae officialibus 24 dierum spatium praefinivit, intra quod auctoritatem sedis apostolicae agnoscerent, terrasque ei ereptas restituerent, aut excommunicationi et interdicto subjicerentur, imo singuli facultatibus suis in omnibus terris privarentur, et in servitutem redigerentur. Senatus quidem omnibus subditis suis ne bullam acceptarent prohibuit, et ad futurum concilium appellavit. Cum autem non multo post Galli magna clade eos affecissent, et dux Ferariensis, copiis pontificiis praefectus, cum 9000 militum agmine provinciam Romanensem invasisset, ac praeter alias urbes Faventiam et Ariminum expugnasset, senatus pontifici jam omnia offerebat, quae hic in bulla sua postulaverat, atque reapse mox omnia loca ad provinciam Romanensem pertinentia restituit. Sed Julius censuras contra eos pronuntiatas tum demum revocandas esse declaravit, si imperatori Utinum et Tarvisium tradiderint, juri suo, Ferariae proprium praefectum habendi, et a navibus in mari Adriatico vectigal exigendi renuntiaverint, omnium beneficiorum in ditione sua collationem sedi apostolicae concesserint, a clero non amplius censum exigere exactumque reddere promiserint, denique injuriarum, pontifici illatarum veniam precati fuerint. Atque reapse Venetiani his conditionibus se submiserunt. Eorum legati a. 1510. in atrio templi S. Petri ad pedes pontificis prostrati veniam petierunt, quo facto ab omnibus censuris absoluti, et satisfactionis ergo septem capitales Romae ecclesias visitare jussi sunt. [4])

[1]) Vita prima Joann. XXII. apud Baluz. Villani hist. Florent. Raynald. l. c.

²) Vita secunda Clementis V. apud Baluz. Sabellicus hist. rerum Venet. Le Bret Staatsgeschichte der Repubik Venedig. I. Th.

³) Panvini vita Sixti IV. Sabellicus l. c. Le Bret l. c. Muratori Geschichte von Italien.

⁴) Bembus hist. Venet. Guicciardini la historia d'Italia. Le Bret. lib. cit. P. II.

§. 594. Observationes generales de potentia pontificia.

Ex hactenus narratis apparet, Romanos pontifices praesenti non minus quam antecedenti periodo magnam potestatem in imperantes civiles in rebus quoque mere saecularibus exercuisse, et principes ac civitates, suis consiliis adversantes, saepe felici cum eventu coercuisse, atque ad suum obsequium adegisse. Nonnunquam quidem imperantes civiles eis graves accidebant, ita ut nihil contra eos auderent, sed potius eis obsequerentur, velut papae Avenionenses regibus Galliae, GregoriusXII. Ladislao Neapolitano, Jannes XXIII. Sigismundo imperatori. Verum haec dependentia in extraordinariis quibusdam rerum adjunctis sita, iis sublatis mox cessavit. Imperatores tandem jus, electionem suam confirmandi, pontificibus concesserunt. Hungari quoque, occassione electionis Caroli Roberti, e regum Neapolitanorum familia oriundi, quem eis Bonifacius VIII., petentibus nonnullis magnatibus regem dederat, et Clemens V. contra omnes adversariorum conatus sustentavit ac in solio firmavit, jus, a se electum confirmandi, sedi pontificiae concesserunt. Nonnulli principes, velut Robertus Bruce, initio hujus periodi rex Scotiae, ab eis petierunt, ut episcopum designarent, qui se eorum nomine ungeret ac coronaret, intelligentes se inde plurimum in regno firmari. Reges Neapolitani subjectionem suam vasalliticam sub pontifice nunquam controvertebant, atque etiam ad officia, ab hoc praescripta, implenda saepius prospero cum successu adigebantur. Alii quoque principes, velut Petrus, rex Aragoniae, qui a. 1353. Innocentio VI.

jusjurandum fidelitatis praestitit, et ad censum pro Corsica et Sardinia denuo se obligavit, nexum suum vasalliticum cum sede pontificia agnoscebant. Sed Angliae reges hunc nexum et censum, ad quem per Innocentium III. adacti fuerant, a se amoliti sunt. Cum enim Urbanus V. Eduardum III. propter intermissam census solutionem a. 1367. ad suum tribunal evocaret, ordines Angliae unanimiter protestati sunt, Joanni regi non fuisse jus, regnum sine consensu nationis extraneae potestati subjiciendi, seque ad vindicandam ejus independentiam regi omnibus viribus adstituros esse, cui protestationi pontifex cedendum esse existimavit. At sic dictum S. Petri denarium Anglia et alia regna septentrionalia, videlicet Scotia, Dania, Suecia, Norwegia, Polonia per totam hanc periodum solvebant, atque Magnus Erichsonius, rex Sueciae eo potissimum interitum suum praeparavit, quod a. 1347. illud tributi genus pontifici denegarit. Ab hoc reges etiam collationem juris in terras recenter detectas petierunt, aliique tale jus vererebantur. Sic Ludovicus, comes de Claromonte ex familia regum Castellanorum oriundus a. 1344. a Clemente VI. impetravit, ut sibi insulas Canarias nuper detectas, nomine regni Fortuniae tanquam feudum pontificium pro annuo 400 florenorum censu conferret; et quamvis Hispaniae ac Portugalliae reges majus in eas jus sibi competere scriberent, tamen voluntati pontificis se submiserunt. Henricus, filius Joannis I. Portugalliae regis, postquam Maderensem et Azoricas insulas, littoraque Africana usque ad promontorium viride detexisset, ab Eugenio IV. petiit, ut Portugalliae regibus jus in has et omnes terras a Portugallis adhuc detegendas tribueret. Ille reapse a. 1443. omnes terras donavit, quas inde a promontorio Non usque ad terram continentem Indiae Orientalis detecturi essent. Hinc Eduardus IV. rex Angliae mercatoribus suae gentis, in littore Guineano a Portugallis occupato pedem fixuris opitulari non est ausus. Cum deinde post dimi-

dium saeculum Portugalli in insulas Americanas, a. 1492. a Christophoro Columbo detectas jus sibi assererent, Ferdinandus Catholicus rex Hispaniarum ab Alexandro VI. pontifice similem terrarum, ab Hispanis detectarum detegendarumque collationem petiit, ac Eugenius IV. Portugallis tribuerat. Igitur Alexander ad lites inter utramque gentem praecavendas in bulla, a. 1493. edita declaravit, se de mera sua liberalitate ac de apostolicae potestatis plenitudine Hispanis omnes insulas et terras donare, quae ultra certam lineam, a polo ad polum ductam jam detectae vel adhuc detegendae essent, citeriores autem detectiones Portugallis adjudicavit. Interim tamen pontificum potestas saecularis aliquantulum minuta in eo cernitur, quod principes Christianos non amplius ad bellum sacrum contra Turcas permovere potuerunt, etiamsi inde ab expugnata CPi plerique illorum omnem pro eo conatum adhiberent, praecipue Pius II., qui cum in finem proprium Mantuae conventum instituit, sed, quamquam ipse praesens esset, ne id quidem impetrare potuit, ut omnes reges legatos illuc mitterent.

§. 595. Continuatio.

Supremum suum dominium et potestatem in civiles imperantes, pontifices iisdem adhuc principiis superstruebant, quibus antecedenti periodo, nisi quod frequentius fere ad donationen, qua Constantinus M. Italiam, imo totum Occidentem ecclesiae Romanae tradidisset, et ad translationem imperii a Graecis ad Germannos, a suis antecessoribus factam provocarent. Similiter eadem dominationis potestatisque eorum adminicula et fulcra perdurabant, videlicet excommunicatio, interdictum, sacra inquisitio, monachorum, supremam eorum potestatem inculcantium et propugnantium in populum auctoritas, jus ecclesiasticum, ex eorum potissimum decretis enatum, mutua regum et civitatum aemulatio, qua alter alteri adversabatur, et praevalere

studebat, frequentes dissensiones inter principes subditosque eorum, denique opinio de absoluta pontificum potestate, quae a multis saeculis omnium fere animis alte insederat, et cum reverentia erga religionem ipsam arcte cohaerebat. Interim tamen nullo hujus periodi tempore deerant, qui opinionem illam non fovebant, immo editis scriptis acriter eam impugnabant. Inter hos pertinent Marsilius Patavinus, seu de Menandriano et Joannes de Janduno, qui in libro, juncta opera elaborato, cui titulus: defensor pacis, pontifici non tantum supremam in imperantes civiles, sed etiam illimitatam in clerum potestatem abjudicarunt, et potestatem in clerum et res ecclesiasticas principibus attribuerunt; Occamus, qui in pluribus scriptis potestatem pontificis limitavit, et in dialogo inter magistrum et discipulum, sententiam, quae illi plenam in rebus saecularibus et spiritualibus potestatem adjudicat, falsam, imo haereticam dicit, contenditque imperatorem judicem ordinarium pontificis esse; Rudolphus de Praëlles, Caroli V. Galliarum regis consiliarius, qui circa annum 1370. tractatum de pontificia et imperatoria seu regia potestate conscripsit, in quo demonstrare conabatur, pontificem in res principum saeculares plane nullam potestatem habere; Gregorius de Heimburg doctor juris et civitatis Norimbergensis syndicus, postea Sigismundi ducis Austriaci in Tiroli consiliarius, circa medium saeculum 15. clarus, qui in admonitione de injustis usurpationibus paparum Romanorum ad imperatorem, reges et principes Christianos, ex s. scriptura et scriptis patrum ostendere conatus est, Christum nulli apostolorum, ne Petro quidem, aliquam dominationem aut potestatem contulisse, Christum ipsum magistratui civili subjectum fuisse, quam subjectionem apostoli quoque commendarint. Doctrinis in ejusmodi scriptis propositis accessit major mentis multorum illustratio, studio antiquorum scriptorum Graecorum et Romanorum, saeculo praesertim 15. producta, qua effectum est, ut uni-

versim liberior de rebus ad religionem pertinentibus sentiendi ratio propagaretur, et ope cognitionum historicarum falsitas rerum quarumdam, quae pontificiae potestati fulciendae inserviebant, velut decretalium Isidorianarum, translationis imperii a pontificibus factae per Nicolaum Cusanum, donationis Constantinianae per Laurentium Vallam, detegeretur et in scriptis ostenderetur. Verum haec omnia tam parum quam imperantium nonnullorum repugnantia satis secunda potentiam pontificiam diruere valuerunt, quae potius, hac periodo ad exitum properante ex pugna contra reges Galliae, caeteris potentiores, tam quoad res saeculares, quam quoad ecclesiasticas salva prodiit. Nihilominus quod jam de potestate pontificum ecclesiastica observatum est, etiam de saeculari valet, nempe omnibus illis resistendi conaminibus, sentiendi rationem paulatim propagatam fuisse, qua, accedente quodam acriori impetu, utraque potentia pontificia non potuit non vehementer labefactari.

§. 596. Relatio pontificum ad suum territorium.

Sed iidem pontifices, qui principes et civitates extraneas saepius ad obsequium suum adigebant, ad tranquillam proprii territorii et urbis Romae possessionem raro pervenire poterant. Imperatores quidem ab hac impugnanda jam dudum abstinebant. At Italiae principes et ipsae civitates pontificiae paparum dominium saepe abigebant, illi latioris ditionis et ampliorum redditumm, istae majoris libertatis cupidine. Caeterum diuturna pontificum a suo territorio absentia, et quod hanc excepit, schisma, ad occupationes et seditiones civitatum papalium augendas quam plurimum contulit. Igitur praesertim a posterioribus pontificatus Joannis XXII. annis, Bononia et plurimae aliae civitates ecclesiasticae dominium pontificium abjecerunt, aliae, et multo plures versus finem regiminis Clementis VI. a diversis dynastis Italicis occupatae sunt. Ad eas recuperandas Innocentius IV.

tius VI. a. 1353. cardinalem Aegydium Albornoz in Italiam misit, qui usque ad annum 1361. plerasque partim spiritualibus, partim materialibus armis dominio pontificio iterum subjecit. Ariminum tamen, Pisaurum, Forum Sempronii, et Fanum dynastis de Malatesta tanquam feuda pontificia pro annuo censu commissa sunt. Non multo post Bernabus Visconte, dux Mediolanensis, multis arcibus et munimentis in ditione Bononiensi, Mutinensi, et in provincia Romanensi potitus est, et quamquam pontifex censuris et armis eum persequeretur, adeo tamen superior mansit, ut in pace, a. 1368. facta, omnia loca a se occupata retineret. Longe majorem jacturam pontifex post aliquot annos passus est, cum cardinalis Guilielmus, legatus seu gubernator Bononiensis, ad urbem Pratum Florentinis eripiendam a. 1374. copias in Tusciam duceret. Hi enim inde irritati, conjunctione cum pluribus principibus et dynastis inita, civitates pontificias ad defectionem eo cum successu sollicitarunt, ut prope centum earum proprios dominos sibi eligerent. Quapropter Gregorius XI. Florentinos non tantum excommunicavit, sed etiam ita proscripsit, ut a quovis, qui valeret, in servitutem redigi possent, quod haud paucis eorum reapse accidit. Praeterea pontifex, quo facilius civitates, quae defecerant, recuperarentur, accedentibus Romanorum invitationibus sedem apostolicam Romae restituit. Haec urbs a. 1347. sub pontifice Clemente VI. dominium pontificium abjecerat. Gregorio XI. sedem suam in eam transferente, Romani quidem 12 urbis praefectos, prout ille postulaverat, abrogarunt, postea vero eos, pontifice nequidquam reclamante, iterum restituerunt. Quoad caeteras civitates pontificias, Gregorius quidem cum eis de reditu ad obedientiam tractavit, attamen non multo post a. 1378. mortuus est. Qui post eum usque ad extinctionem schismatis pontifices erant, non tantum parum territorii pontificii recuperarunt, sed etiam saepius modo a Romanis in seditionem prorumpenti-

bus, modo a Ladislao, Neapolis rege, territorium illud appetente, ad urbem relinquendam adigebantur. Cum Martinus V. a. 1419. a concilio Constantiensi in Italiam reverteretur, territorium pontificium partim a Joanna II. Neapolis regina, quae Ladislao interea successerat, partim ab aliis tenebatur. Hinc ab initio apud Florentinos residebat, quibus intervenientibus Braccius bellidux, qui Romae protectorem se fecerat, hanc urbem pontifici reddidit. Similiter Joanna regina milites suos ex arce angeli eduxit, et Martino Ostiam ac Centumcellas tradidit, qui etiam Bononiam potestati suae iterum subjecit. Idem Columnarum familiam, e qua ipse oriundus erat, opibus et possessionibus ultra modum auxit. Eo moriente Antonius Columna, qui simul princeps Salernitanus erat, in pluribus urbibus et munimentis, Romae vicinis, sua praesidia habebat. Eugenius IV. Martini successor, cui potentia Columnarum minuenda videbatur, a Neapolitanis, Venetianis, et Florentinis adjutus Antonio adeo praevaluit, ut eum ad omnes urbes, quas in ditione ecclesiae possidebat, reddendas adigeret. Sed post paucos annos Franciscus Sforza, insignis bellidux marchiam Anconitanam occupavit, quam Eugenius, cum ulterius progredienti resistere non valeret a. 1434. ad dies vitae illi commisit. Eodem tempore alius bellidux, Fortebraccius, armis contra pontificem versis, Tibur expugnavit, ipsique Romae imminebat, ubi per Columnas seditionem eo effectu excitavit, ut pontifex, ademto sibi regimine in palatio suo custodiretur. Sed is paulo post monachi habitum indutus, Florentiam evasit. Praefecti autem copiarum pontificiarum in arce angeli, et extra urbem Romanis irruptione et direptione adeo graves accidebant, ut eodem adhuc anno Eugenio se subjicerent.

§. 597. Continuatio.

Successores Eugenii territorium pontificium plerumque in pace possidebant. Erat autem satis exiguum,

cum plures ejus partes tanquam feuda a diversis dynastis tenerentur. Tales erant marchiones Astenses, qui Ferariam, Malatestae, qui Ariminum, Sforza, qui Pisaurum, Manfredi, qui Faventiam, Riarii, qui Imolam et Forum Livii, Verani, qui Camerinum, comites de Monte Feltro, qui Urbinum tenebant. Inter hos erant, qui possessiones suas a pontificibus sibi cognatis ultro acceperant; tunc temporis enim plures ex his, nominatim Sixtus IV. et Innocentius VIII. familias suas sumtibus ecclesiae ditare et exaltare cordi habebant. Praeter commemoratos vasallos etiam eximiae quaedam familiae Romanae, velut Columnarum, Savellorum, Ursinorum, Cajetanorum, amplis in ditione ecclesiastica possessionibus, in quibus fere independenter dominabantur, gaudebant. Accessit, quod sub Innocentio VIII. circa annum 1485. Bononiae, Perusii, Fulginii, aliisque in urbibus usurpatores surgerent, qui non omnes a pontifice subigi potuerunt. Verum Alexander VI. copiis a Ludovico XII. Galliae rege, qui Italiam invaserat, acceptis, per filium suum Caesarem familias illas Romanas et vasallos a. 1499 et 1500. plerisque possessionibus privavit, eo quidem praetextu, quod censum vasalliticum non praestarent, et contra pacta, cum sede apostolica inita apud principes extraneos stipendia mererentur. Tum pontifex provinciam Romanensem pluribus recuperatarum civitatum auctam, nomine ducatus filio suo in feudum contulit. Eo autem 1503. mortuo plerique dynastae feuda sibi erepta armis recuperarunt, Venetiani Arimino et Faventia, quae Caesar possidebat, potiti sunt. Ab eodem Julius papa II. ut arces reliquas sibi traderet, postulavit, idque facere recusantem comprehendi jussit, comprehensum custodiae mancipavit. Ex hac quidem brevi elapsus est, ditionem tamen suam non amplius attigit, cum a. 1505. in Gallia, quo per Hispaniam fugerat, in certamine singulari vitam amisisset. Igitur ejus possessiones ad pontificem redierunt, qui non multo post etiam Ve-

netianos ad omnia, quae sibi in Caesaris ducatu vindicaverant reddenda adegit, et Bononiam quoque ac Perusium, pulsis usurpatoribus sibi subjecit. Ita Julius omnes ecclesiae Romanae possessiones, excepta Feraria et Urbino recuperavit, et praeterea Parma, Placentia, Mutino et Regio vi armorum potitus est. Ejus successor Leo X. in pace, cum Francisco Galliae rege facta duas priores civitates huic tradidit, posteriores duas duci Ferariensi Gallis confoederato commisit. Urbinum autem armis sibi subjecit, et duce ejus frustra reluctante retinuit. Ita in fine hujus periodi pontifices etiam in territorii sui possessione firmati sunt.

Guicciardini la historia d'Italia. Raynaldi annal. eccles. Muratori Geschichte von Italien.

§. 598. Potestas imperantium civilium in rebus ecclesiasticis.

Quod attinet potestatem, quam vice versa imperantes civiles in rebus ecclesiasticis labente hac periodo exercuerunt; imperatores tanquam advocati totius ecclesiae agnoscebantur. Sed haec advocatia potissimum conservationem bonorum juriumque ecclesiasticorum, speciatim pontificiorum concernebat, et potestatem in res ecclesiasticas excludebat. Interim tamen Sigismundus imperator vi hujus advocatiae ad congreganda concilia Constantiense et Basileense concurrit, ea tuebatur, finesque eorum promovebat. Maximilianus I. reformandae ecclesiae intentus erat, beneficiorum pluralitatem prohibuit, neque diutius abusum tolerandum esse pronuntiavit, ex quo praelati aliique clerici extranei redditus beneficiorum Germannicorum percipiebant. Ad promovendam reformationem ecclesiasticam et statum ecclesiae definiendum etiam regni ordines in concordatis cum pontifice initis concurrerunt. Ex singulis principibus Germannicis Guilielmus dux Saxoniae, marchio Misniae et comes provincialis Thuringiae una cum ordinibus suis a. 1446. clero vitam integram, poenis

quoque statutis praescripsit, pariterque sub poenis vetuit, ne quis causam mere civilem ad judicem ecclesiasticum deferret, neve parochus in ejusmodi re a judice ecclesiastico praescripta acceptaret. Sigismundus, dux Austriacus, qui Tirolim possidebat, episcopum Brixinensem in sua ditione annatis, indulgentiis, aliisque mediis aes pro pontifice colligere non permisit. — In Anglia reges sic dicto jure regaliae gaudebant, vi cujus res temporales episcopatuum vacantium administrabant, redditus intercalares percipiebant, et beneficia non curata, quorum collatio ad episcopum pertinebat, conferebant. Episcopi, a quocuncque munus suum accepissent, ad possessionem temporalium bonorum cum eo conjunctorum non prius admittebantur, quam regi jusjurandum fidelitatis praestitissent. Cum Henricus VI. minorennis esset, vicesimis saeculi 15. annis, illi, qui ejus nomine regnum administrabant, varia in rebus ecclesiasticis decernebant, beneficia a pontifice acceptantes puniebant, illisque mortem minabantur, qui decreta pontificia allaturi aut effectui daturi essent. — Nullibi vero reges et regni ordines majorem in rebus ecclesiasticis potestatem exercuerunt, quam in Gallia. Succurrebant eis in hoc negotio commoratio pontificum Avenione, quae hos eis obnoxios reddebat, utque plurimi Galli, regi suo addicti cardinales fierent, efficiebat, porro schisma, quo durante pontifices a Gallis agniti, inter eos residebant, et, ne ab eis desererentur, plurima eis indulgebant, ita ut Nicolaus de Clemangiis scriberet, Clementem VII. totum clerum laicis subjecisse, et magistratus civiles plus in rebus ecclesiasticis decernere, quam ipsum pontificem, denique ipse clerus, senatus Parisiensis, universitates, et inter has Sarbonna, atque singuli viri eruditi, de potestate pontificis libere sentientes, aliisque similia sensa dictis et scriptis suggerentes. Quantum Galli universim pro schismate extinguendo laboraverint, alio loco narratum est. Iidem sanctione pragmatica, ad quam introducen-

dam rex et ordines concurrerunt, progressibus potestatis pontificiae obicem posuerunt, et senatui, ex clericis et laicis composito amplissimam in rebus ecclesiasticis potestatem compararunt, de qua Pius II. pontifex in conventu Mantuano graviter conquestus est, causas pastorum ab ovibus examinari dirimique, episcopis ad nutum potestatis saecularis gladium spiritualem e vagina emittendum et in eam remittendum esse, summo pontifici non plus jurisdictionis in Gallia concedi, quam senatui placeat, legatis Gallis ibi praesentibus exprobrans. Speciatim Galliarum reges jure regaliae fruebantur, quod imperatoribus, postquam Fridericus II. Egeriae ei renuntiasset, non amplius rediit; iidem synodos in regno suo convocabant, majorem ac alii reges in clerum suum ejusque bona potestatem exercebant, pontificum decreta, nonnisi praevie examinata valere jubebant, atque universim suam supra eos in regno suo superioritatem feliciter tuebantur. Quae jura ecclesiastica per concordatum, in locum sanctionis pragmaticae positum eis obvenerint, alibi dictum est. — In ipsa denique Italia nonnunquam imperantes civiles haud exiguam in rebus ecclesiasticis potestatem exercebant. Ut nihil de ausis violentis Bernabi Viscontis, tyranni et saevi clericorum persecutoris dicatur, ex regibus Neapolitanis plures, praecipue Ladislaus, Alphonsus I. et Ferdinandus I., multa circa collationem episcopatuum aliorumque beneficiorum, et circa cleri immunitates sibi indulgebant. Reipublicae Venetianae Julius II. exprobravit, quod repudiatis collationibus pontificiis, beneficia ipsa conferat, ad sedem apostolicam recurrentes poenis afficiat, decreta pontificia absque praevia sua approbatione effectui dari non permittat, cleri immunitatem violet.

§. 599. Modus perveniendi ad munera ecclesiastica.

Regulariter nunc episcopatus et abbatiae electione conferendae erant. Deprehenduntur tamen nonnun-

quam principes propria auctoritate episcopos aut abbates denominantes, velut Ludovicus Bavarus, Alphonsus I., et Ferdinandus I. Neapolis reges, respublica Venetorum, et Sigismundus rex Hungariae, (postea imperator), isque eo tempore, quo Bonifacius IX. Ladislaum regem Neapolitanum, quem Hungariae quoque regem coronaverat, hoc regnum occupare conantem adjuvabat. Multo magis electionis regula a pontificibus seponebatur, qui, electionibus discordibus, simoniacis, et canonibus generatim adversis ansam praebentibus, reservationes, priori periodo introductas, indies augebant, ita ut tandem omnia fere munera ecclesiastica conferenda sibi reservarent. His reservationibus, quibus nationes Christianae vehementer reclamabant, tandem aliquis modus positus est in Anglia et Germannia per concordata, quibus reservationes in posterum valiturae definitae, in Gallia autem per sanctionem pragmaticam, qua penitus abrogatae fuerunt. Hac ipsa abrogata in locum electionis in Gallia successit denominatio regia, cui jam pontifices magis favere coeperant, quam illi, quandoquidem haud raro indigni eligebantur. Sic jam Eugenius IV. a. 1447. electori Brandenburgico jus concessit, episcopos in terris suis Brandenburgensem, Havelbergensem et Lebusinum denominandi. Imperatores jus suum, in electionibus discordibus illum ex electis episcopum constituendi, qui sibi probatus esset, rarissime in hac periodo exercere poterant. In Anglia rex hanc partem electionis habebat, ut sine illius permissione suscipi non posset, electus autem ab eo confirmari deberet. — Reliqua munera et beneficia ecclesiastica regulariter quidem ab ordinariis collatoribus et patronis conferebantur, attamen horum quoque collatio per reservationes et expectativas pontificias admodum limitata erat. Imperatores quoque juri suo primarum precum strenue insistebant, illudque jam bis, nempe post regiam et iterum post imperatoriam coronationem exercebant. Verum et ipsis hoc jus expectativis

et reservationibus pontificiis multum impediebatur. Insuper Fridericus III., ut eo uti posset, speciali pontificis indulto et confirmatione egebat, quamquam Sigismundo ejusque successoribus a concilio Basileensi confirmatum fuisset. — Modus denique, ipsum Romanum pontificem eligendi, a Gregorio X. praescriptus, labente hac periodo saepius, v. g. in electione Joannis XXII., Joannis XXIII., Martini V. seponebatur.

De hac caeterisque materiis, de quibus libri nulli allegati sunt, vide libros superiori periodo de iisdem citatos.

§. 560. Bona ecclesiastica.

Non quidem desunt exempla, ecclesias et monasteria dotationibus aliisque modis hac quoque aetate nova bona acquisivisse; attamen hoc augmentum bonorum ecclesiasticorum, cum pristinis saeculis comparatum, satis exiguum erat. E contra nunc saepius ac antea divitiae et opes clericorum impugnabantur, partim ex invidia, partim propter malum usum, quem multi eorum de illis faciebant. Non tantum aperti ecclesiae Romanae adversarii, velut auctores defensoris pacis, Wicleffus, Hussius, eorumque asseclae bona clericis auferenda esse clamitabant, sed ipse etiam inferior ex ordinibus regni Anglicani, initio saeculi 15. regi Henrico IV., pecuniarum subsidia petenti proposuit, ut bona ecclesiis ac monasteriis adimeret, et comitibus equitibusque conferret. Ejusmodi molimina effectum quidem non sunt consecuta; interim tamen bona ecclesiastica crebris principum nobiliumque depraedationibus haud exiguum detrimentum passa sunt. Ecclesia autem Romana seu pontifices multiplicibus mediis, quibus ex omnibus regnis occidentalibus et septentrionalibus pecunias ad se derivabant, v. g. palliis, annatis, decimis, indulgentiis, censibus vasalliticis, denario S. Petri ingentes nonnunquam thesauros colligebant, quos saepius ad debellandos suos et ecclesiae hostes, nominatim

Turcas impendebant, saepius per adversarios suos amittebant.

B. *Liturgico.*

§. 561. Notatu digniora circa ritus sacros hujus periodi.

Res liturgica et ritualis hac periodo universim in eodem statu permansit, ad quem praecedentibus saeculis perducta fuerat. Mos, laicis calicem eucharisticum denegandi saeculo 14. fere universalis evasit, nisi quod multi in Bohemia et Moravia, invita etiam ecclesia, usque versus finem saeculi 15. eodem uti pergerent. Dierum festorum multiplicatio neque hac aetate cessavit, quamquam viri emendandae ecclesiae studiosi, velut Simon, altero saeculi 14. dimidio archiepiscopus Cantuariensis, Petrus de Alliaco, Gersonius, Nicolaus de Clemangiis, de eorum vilipensione, ex eorum multitudine orta, de tempore, laboribus pauperum per eorum multitudinem subtracto, et de crebris excessibus, quibus per eorum frequentiam ansa detur, conquererentur, eorumque numerum minutum optarent. Inter novos dies festos notamus festum sanctissimae Trinitatis, quod, postquam jam antea in pluribus locis celebrari consuevisset, Joannes XXII. pro universa ecclesia praescripsit. Innocentius VI. a. 1354. rogante Carolo IV. imperatore, festum lanceae et clavorum Christi, qui inter cimelia imperii esse credebantur, pro Germannia introduxit. Festum praesentationis B. Mariae, quod inter Graecos jam 12. saeculo solemne erat, inter Latinos, petente Petro rege Cypri, primum Gregorius XI. Aveniore celebravit, quo facto mox inter solemnes festivitates Gallorum et successive reliquorum quoque Occidentalium susceptum est. Festum, quod in memoriam B. Mariae Elisabetham visitantis jam antea Franciscani celebrabant, Urbanus VI. universae ec-

clesiae agendum proposuit, idemque concilium Basileense confirmavit. Sed non tantum novis festivitatibus, verum etiam variis devotionibus cultus sanctae Virginis augebatur, quas inter notari meretur trina salutationis angelicae recitatio, vespere, meridie et mane, primum in ducatu Cliviensi introducta, et per Joannem XXII. eo propagata, quod morem istum observaturis, simulque peccata sua defleturis indulgentiam 10 dierum concederet. Similiter cultus aliorum sanctorum, quibus identidem novi adscribebantur, sacrarum imaginum et reliquiarum, inter quas prorsus incredibiles habebantur, peregrinationes ad loca sacra, imaginibus gratiosis aut reliquiis celebribus instructa, continua fere incrementa ceperunt, ita ut plurimorum religio harum aliarumque rerum externarum observatione potissimum absolveretur.

C. *Disciplinari.*

§. 562. Media, peccatorum poenas delendi.

Quae de disciplina ecclesiastica hujus periodi notanda veniunt, poenitentiae disciplinam concernunt. Poenitentiae opera, quae pro gravioribus delictis peragi solebant, praeter orationem, jejunium, et eleemosynas, in sacris peregrinationibus, in flagellatione, in amplectendo statu monastico potissimum consistebant. Sed quamplurimi ab operibus poenitentiae liberabantur indulgentiis, quae nulla quam hac aetate facilius et frequentius concedebantur. Sic Franciscani per totam ecclesiam diffusi praeter alias, suas de Portiuncula indulgentias plenarias quotannis dispensabant. Pontifices in suis bellis cum imperantibus civilibus nonnunquam indulgentias plenarias illis offerebant, qui contra eorum adversarios aut pugnaturi, aut belli subsidia subministraturi essent. Annus jobilaeus, quo indulgentiae plenariae a summo pontifice concedebantur,

non tantum ad brevius breviusque temporis spatium reducebatur, sed etiam nonnunquam extra Romam celebrabatur. Sic Clemens VI. petentibus Romanis a. 1343. statuit, ut quoniam propter vitae brevitatem pauciores homines saeculi finem attingant, anno quovis quinquagesimo illi, qui vere contriti et peccata confessi, basilicas ss. Petri, Pauli, et Joannis in Laterano visitaturi essent, Romani quidem per 30, peregrini autem per 15 dies, plenissimam indulgentiam consequerentur. Effectus erat, ut a. 1350. ultra vicies centena hominum millia, inter quos non pauci principes, nominatim Ludovicus rex Hungariae erant, illum in finem Romam peregrinarentur. Urbanus VI. annum jobilaeum in memoriam aetatis Christi ad quemvis annum 33. fixit, quo facto ejus successor Bonifacius IX. non tantum annum novae determinationis, sed etiam annum 1400. ex veteri determinatione tanquam jobilaeum celebravit, et insuper praedicatores sufficienti potestate instructos in Germanniam et regna septentrionalia ablegavit, qui indulgentias anni jobilaei pro pretio, quod sumtibus itineris Romani par esset, concederent. Tandem Paulus II. eadem vitae humanae brevitate permotus, a. 1470. gratiam jubilaeam cuivis anno 25. attribuit, quae determinatio deinceps semper servata est. Ex ea illius successor Sixtus IV. non tantum annum 1375. qua jubilaeum celebravit, sed etiam, cum propter bella in Italia pauciores Romam proficisci possent, anno sequenti eandem gratiam ad universam ecclesiam extendit, imo aliis quoque temporibus diversis terris indulgentias plenarias per legatos suos obtulit. Alexander VI. in litteris quibus annum jubilaeum 1500. annuntiavit, secundum doctrinam scholasticorum decrevit, ut indulgentiae plenariae per modum suffragii etiam animabus in purgatorio in remissionem omnium poenarum prodessent, si quis cum mente eis subveniendi, eleemosynam a poenitentiario definiendam, et restaurando templo D. Petri destinatam largiretur.

Praeterea pontifex aliis quoque regnis, nominatim Poloniae et Hungariae gratiam anni jubilaei sub conditione eleemosynae a lucraturis dandae contulit. In Germanniam autem, Daniam, Sueciam et Borussiam, petentibus ipsis Germanniae ordinibus cardinalem ablegavit, quocum imperii rectores, imperatoris nomine de eo convenerunt, ut a. 1501. gratia jubilaea per integrum mensem concederetur, pecunia a lucraturis danda imperatori traderetur, et excepta tertia parte, legato concedenda, nonnisi in sumtus belli Turcici impenderetur. Similiter Julius II. a. 1505. illis, qui Emmanuelem Portugalliae regem, contra Mauros in Africa, a. 1504. in Germannia et in regnis septentrionalibus illis, qui ordinem Teutonicum contra Russos, Livoniam depopulantes pugnaturum, sive armis, sive aere adjuturi essent, anno denique 1506. illis, qui pro restaurando D. Petri templo pecuniam collaturi essent, indulgentias plenarias obtulit. Has posteriores, quae simul ad sumtus pro bello Turcico comparandos destinatae erant, Julii successor Leo X. annis 1514. 15. et 16. denuo promulgavit. Verum multa jam erant, quibus nationum, imprimis Germannorum indignatio et contemtus contra indulgentias pontificias excitabatur. Talia erant, quod posterioribus his temporibus tam frequenter promulgarentur, quod bellum contra Turcas nullum susciperetur, quod cum earum negotium per locationem et redemtionem aliis committeretur, sedi apostolicae nonnisi de pecunia conquirenda agi videretur. His accesserunt ingentes abusus, quos quaestores seu stationarii, quibus negotium, indulgentias commendandi et pecunias colligendi commissum erat, pontificibus nec scientibus, nec volentibus committebant. Hi enim virtutem indulgentiarum immanibus laudibus efferebant, eas fidelibus fere obtrudebant, debitamque pro eis pecuniam ab illis, qui statim solvere non potuerant, non multo post summa cum severitate exigebant. Praeterea easdem indulgentias in eam partem,

ı vivis, et in eam, quae mortuis prosit, nec non
ıinus et magis perfectas distinguebant, et pro quo-
genere certum pretium statuebant, easdem indul-
ias toties, quoties definita summa solvatur, impe-
posse docebant, et si promulgatae indulgentiae a
imis emtae fuerant, non multo post novas, priori-
multo validiores annuntiabant, aut priorum valo-
irritum declarabant, vel saltim suspendebant. Si-
vero in popinis pecunias pro indulgentiis collectas
ndo et ludendo insumentes cum maximo fidelium
ıdiculo deprehendebantur.

§. 563. Mores Christianorum.

Nimiae indulgentiae ad mores Christianorum emen-
los vix quidquam contulerint. Hi alioquin jam valde
upti, labente hac periodo magis magisque depra-
ıntur. De universali morum hujus aetatis corrupte-
raeter ipsam historiam testantur scriptores quam
imi, praecipue Nicolaus de Clemangiis in libro de
upto ecclesiae statu, peculiariter de hac materia
ɔto. Non tamén obliviscendum, auctorem ecclesiam
notam, ergo proxime Gallicanam in oculis habuis-
et rem hinc inde exaggerasse, aut casus speciales
ıniversitatem extendisse. In aliis extra Galliam et
am terris morum corruptio gradu et extensione
ɔr erat. Inter diversas societatis classes superiores
ioribus deteriores erant. Inter ipsos summos pon-
s Joannes XXIII., et Alexander VI. sceleratissimi
t, quamquam ille maxima et pleraque flagitia sua
pontificatum, iste per filium suum Caesarem com-
t. Ex reliquis nonnulli quidem integri vitae, plu-
variis vitiis, speciatim habendi et dominandi cupi-
ac luxuria inquinati erant. Cardinales in univer-
Nicolaus ab ingenti fastu, avaritia, et luxuria no-
Eorum avaritia praecipue in multitudine beneficio-
quae simul in diversis ecclesiis possidebant, con-
ebatur. Ex episcopis multi, imprimis in German-

nia, bellis potius gerendis et negotiis saecularibus administrandis, quam ecclesia regenda et animarum salute procuranda occupabantur, quamquam propter suam, qua simul principes saeculares erant, conditionem, a negotiis saecularibus abstinere non poterant. Haud pauci eorum litterarum theologicarum rudes erant, simoniae indulgebant, et homines aeque rudes pro pecunia ad presbyteratum promovebant. Canonicos Nicolaus superbos, avaros, ebrietati deditos, impudenter incontinentes, oblectationibus intentos, litigiosos, garrulos, otiosos, indoctos, ignorantes dixit. Ceteri denique clerici inferiores similis incontinentiae, ebrietatis, ludendi et rixandi cupidinis, pigritiae et ruditatis vitiis laborabant. Quanta fuerit clericorum universim indocta ignorantia inde licet intelligere, quod capitulum canonicorum Tigurensium in litteris ad episcopum Constantiensem a. 1335. datis ingenue fassum sit, ipsorum neminem scribere scire; et quod synodus a. 1473. Toleti habita statuerit, ne quis sacris ordinibus initiaretur, nisi sciat Latinaliter loqui. Quos laicos attinet, inter summos principes et inter nobilitatem majorem et minorem plurimi erant rerum alienarum cupidi, rapaces, violenti, legum divinarum et humanarum contemtores, jus fortioris tantum agnoscentes, proeliis privatis studentes. Rixarum autem, lusus, oblectamentorum et potationum usque ad ebrietatem amor, eis cum plebejis communis erat, quos posteriores, speciatim rusticos maxima adhuc ruditas depascebatur. Nec infrequens erat in omni hominum, praecipue cultiorum genere fornicatio, universalis autem errorum religiosorum multitudo et superstitio multiplex, qua fiebat, ut revelationes, prophetiae, apparitiones, miracula, falsa plerumque et conficta, magia, necromantia, astrologia apud plerosque fidem invenirent, et malis saepe artibus confingerentur. Difficile autem dictu est, communis hujus morum corruptelae culpa quibus major attribuenda sit, an clericis, an laicis, siquidem illi negle-

cta sana doctrina, sedulaque populi institutione et pravo suo exemplo ad ejus corruptionem non parum conferebant, isti vero, quae sibi nihilominus suppeditabantur, virtutis adminicula aut spernebant, aut in malum usum convertebant, et praeterea ii erant, qui clero nonnisi corruptos candidatos suppeditabant.

§. 564. Continuatio.

De causis status illius corrupti non est, quod multum quaeramus, siquidem non hac primum aetate exortus, sed ex praecedente ad eam derivatus est, et causae, quae eum pridem produxerant, etiamnum perdurabant, quibus hac periodo accessit funestum illud ecclesiae schisma, tam diuturnum, tamque omnis generis abusibus et excessibus augendis opportunum. Attamen in pluribus causarum illarum, labente vel ad exitum properante hac aetate, per urbium incrementum, per quamdam morum emollitionem, per auctam quorumdam summorum principum potestatem, abrogatum jus gladii et statutam pacem internam, per scientiarum augmentum et propagationem mutationes in melius acciderunt, et fundamenta aliqua posita sunt, ex quibus melior morum status sequentibus saeculis exsurgere potuit. Nec conamina omittebantur, statum morum depravatum emendandi, quo in negotio concilia Constantiense et Basileense multum laborarunt, quibus synodorum particularium et pontificum decreta, nec non principum leges haud paucae, eundem in finem tendentes accedebant. Sed nimis inveteratum erat malum, quam ut tolli potuisset legibus, quibus plerumque deerant executores aut sufficienti potentia aut bona voluntate praediti, qua propriis commodis per easdem leges impetitis renuntiassent. Interim eadem reformationis conamina satis ostendunt, morum corruptelam non eo sensu fuisse universalem, ac si in omnibus aut in plerisque Christianis virtutis ac pietatis studium omne extinctum fuisset. Non deerant, praecipue in civium

ordine virtutes, quibus vitiorum aestus aliquantulum temperabatur, nominatim sinceritas et probitas. Sensus religiosus et fides in Christum, qua vitiosi et scelerati e servitute diaboli per veram poenitentiam in viam salutis frequenter reducebantur, in nullo hominum genere deerat, nisi forte in quibusdam litteratis, qui scientiis, ex antiquorum scriptorum Ethnicorum lectione haustis inflati, aut singulas religionis Christianae doctrinas explodebant, aut omnem religionem revelatam abjiciebant, quin mores meliores exhibuissent. Non deerant denique sive inter laicos sive clericos, sive inter nobiles, sive ignobiles, sive inter mares, sive foeminas, qui in studio perfectionis evangelicae adeo proficerent, ut solemni ritu sanctis adscribi mererentur. Tales praeter jam commemoratos aut aliis locis adhuc commemorandos erant saeculo 14: Andreas Corsinus, Florentinus, episcopus Faesulanus; Joannes Nepomucenus, canonicus Pragensis; Peregrinus e Foro Livii, ordinis servorum B. Mariae; Conradus Placentinus, eremita, tertio ordini S. Francisci adscriptus; Rochus, natione Gallus, sacris peregrinationibus devotus; Catharina, filia S. Birgittae, abbatissa; Catharina Senensis, e tertio ordine S. Dominici; Juliana Falconeria, Florentina, e tertio ordine Servitarum; Elisabetha, Portugalliae regina; Elzearius comes et Delphina uxor ejus, ambo tertio S. Francisci ordini adscripti. Saeculo 15: Joannes Cantianus, presbyter saecularis Cracoviae; Joannes a S. Facundo Augustinianus Salmanticensis; Didacus Franciscanus, frater laicus; Nicolaus, rusticus Helvetius, postea eremita; Casimirus e familia regum Poloniae; Ferdinandus, e familia regia Portugallorum; Catharina Bononiensis, Clarissa; Veronica soror laica in Italia; Coletta virgo in Gallia, tertii ordinis S. Francisci; Ledwina virgo in Hollandia; Francisca, matrona Romana, sancta vidua.

§. 565.

§. 565. Mores monachorum.

Quamquam permulti eorum, qui hac periodo sanctitatis compotes facti sunt, ad monachos pertinebant, ordines tamen religiosi hominum, perfectionis moralis studiosorum, nunc non amplius ita feraces erant, ac saeculis praecedentibus fuerant. Quinimo majorem monachorum partem cum caeteris societatis classibus in morum corruptela pari passu progressos fuisse, indubia historiae monumenta testantur. Sed id minime est mirandum, cum propter perversa animi sensa, in saeculo regnantia, illi, qui statum monasticum eligebant, numero sane plurimi, id non ex studio perfectionis moralis, sed vitae commodioris gratia facerent. Igitur monachi in universum, speciatim vero, qui S. Benedictum ceu patriarcham suum venerabantur, regulam passim negligebant, vota frequenter violabant, singuli peculium sibi colligebant, in vestitu luxum et pompam, in victu lautitias et gulam, praeterea lusum et saltum sectabantur. Commoratio in monasterio eis exosa erat, litteras negligebant, nihil minus, quam preces et lectiones sacras amabant; generatim in adhibendis pietatis exercitiis et salutis adminiculis adeo segnes erant, ut concilium Viennense eis praescribendum duceret, ut singulis mensibus semel peccata sua confiterentur, et eucharistiam perciperent. Monachi mendicantes admodum litigiosi erant, de perfectione sua superbiebant et vane gloriabantur, cum tamen haud raro nonnisi speciem pietatis prae se ferrent, clam autem luxuriae indulgerent. Ex eis quoque jam plurimi singillatim et mendicantes per loca vagabantur, quod terminare dicebant, malisque artibus in pecunia colligenda utebantur. Dominicani et Franciscani jura parochorum et episcoporum violabant. Ex decreto Bonifacii VIII., a Clemente V. confirmato, licitum eis erat, in suis ecclesiis extra tempus concionis parochialis, in ecclesia autem parochiali concedente parocho

et episcopo, verbum Dei praedicare, et obtenta ab episcopo approbatione et licentia peccatorum confessiones excipere. Verum illi de praesidio pontificio certi non tantum limites sibi positos frequentissime transiliebant, sed etiam eo usque progrediebantur, ut ab episcopis excommunicatos suis in ecclesiis ad sacra admitterent.

§. 566. Dissidia inter Franciscanos.

Dominicani et Franciscani etiam originariam regulae suae severitatem jam multum relaxarant. Ex variis conaminibus, pristinum rigorem reducendi, quae inter Dominicanos instituebantur, labente hac periodo plures inter eos congregationes exortae sunt, quae tamen in arcta cum toto ordine conjunctione semper manebant. Quamquam autem effectu non carerent, id tamen ex illa relaxatione Dominicanis abhinc semper adhaesit, ut bona interea acquisita retinerent, nec amplius ad mendicandum reverterentur. Inter Franciscanos dissidia, quae regulae laxatio jam elapsa periodo produxerat, primis hujus aetatis temporibus magna cum vehementia continuabantur. Rigidiores, etiam zelatores vel spirituales dicti, non tantum a laxioribus, qui eis numero longe praevalebant, diversimode affligebantur, sed etiam, cum propterea proprium praepositum generalem sibi elegissent, et violentias, ubi poterant, in laxiores committerent, pontifices adversarios nacti sunt, speciatim Joannem XXII., qui quos monitis et jussis ad ordinem redigere non potuit, inquisitoribus tradidit, a quibus contra eos non secus ac contra haereticos animadvertebatur. Idem Joannes postea cum universo Franciscanorum ordine collisus est. Huic collisioni a. 1321. ansam dedit assertio Berengarii Talonis, theologiae inter Franciscanos Narbonnenses professoris, Christo nempe et apostolis nec singulis, nec universis aliquod peculium fuisse. Cum propterea ab inquisitore Dominicano revocare jussus, ab ejus minis ad pontificem

provocasset, hic autem custodiae monasticae eum tradidisset, Franciscani jam universi ejus causam tanquam suam agere coeperunt, et sententiam contrariam, quam Dominicani propugnabant, haereticam declarabant, adversariis haeresis criminationem eis reddentibus. Joannes pontifex in sententiam Dominicanorum propendebat; quam ob rem cum Franciscani suam ex sacris quoque suggestibus magno animi fervore propugnarent, ille ad eos dejiciendos a. 1322. duas bullas in lucem emisit, in quarum altera doctrinam Franciscanorum haereticam pronuntiavit, in altera, discrimine inter rei proprietatem et ejus possessionem ad merum usum negato, omni rerum a Franciscanis possessarum proprietati renuntiavit, eisque procuratores, qui nomine sedis apostolicae eorum proventus administrarent, constituere vetuit. Inde autem maxime offensi sunt Franciscani; Bonagratia, unus e praecipuis sententiae eorum defensoribus, coram consistorio pontificio ab altera Joannis bulla appellavit, eique libellum tradidit, qua dura, juri adversa, et irrita esse ostendebatur, quapropter in carcerem conjectus est. Pontifex, ordini caeterum non infensus, in nova bulla, a. 1323. edita, in qua suas decisiones contra exceptiones adversariorum propugnabat, hos partim haereticos, partim in ecclesiam seditiosos pronuntiavit. Anno 1327. Michaelem de Caesena, ministrum ordinis generalem Avenionem evocavit, eique, quod doctrinam a se proscriptam pertinaciter defenderet, haeresin exprobravit, appellantem et ad Ludovicum Bavarum in Italiam fugientem a. 1328. deposuit, omniumque munerum et dignitatum ecclesiasticarum incapacem pronuntiavit. At ille iterato ecclesiam Catholicam et futurum concilium generale appellavit, constitutoque sibi in Italia vicario, in Bavariam ad Ludovicum imperatorem concessit, in cujus terris universi Joannis adversarii, B. Francisci institutum profitentes, etiam Fratricelli, refugium inveniebant. Quamquam autem Michaeli plures ex confratri-

bus suis, eruditione clari adhaererent, ordo tamen ipse minime una cum eo a pontifice defecit, sed potius in capitulo generali, a. 1329. Parisiis habito, ut a nemine ceu caput agnosceretur, statuit, et Gerardum Oddonis, Joanni carum sibi praefecit. Tunc etiam lis de Christi paupertate per explicationem consensus inter decreta Joannis et inter declarationes Franciscanorum composita est. Ab hoc tempore non tantum renitentia Franciscanorum, etiam rigidiorum, contra pontifices, qui jam mitius cum eis agebant, sed etiam pugnae internae inter partes dissentientes, quae nunc, non obstante morum diversitate, communes suos aemulos, Fratricellos, conjunctis viribus debellabant, paulatim cessarunt.

§. 567. Franciscanorum in observantes et conventuales separatio.

Perdurans illa morum inter Franciscanos diversitas effecit, ut tandem totus ordo in duas partes separaretur. Ab initio illi, qui strictiori regulae observationi insistebant, singulares congregationes efformabant. Harum maximam fundavit Pauluccius seu Paulinus, frater quidem laicus, sed vir, humilitate et devotione nulli secundus, qui a. 1368. permittente ipso ordinis generali, cum confratribus, similiter sentientibus, Bruliani inter Camerinum et Fulginium consedit. Haec congregatio brevi tempore ita aucta est, ut generalis sex monasteria ei traderet. Cumque Pauluccianorum vitae ratio etiam sequentibus ordinis generalibus maxime probaretur, ab eis licentiam, ubique monasteria erigendi acceperunt. Itaque jam latissime diffundebantur, verum subinde etiam a Franciscanis laxioribus, qui passim conventuales audiebant, diversimode vexabantur. Speciatim tempore schismatis, ministri provinciales in Gallia saepius monasteria et jura seu privilegia eis eripiebant. Concilium Constantiense, ad quod Pauluccìani querelas suas detulerant, Franciscanis rigidioribus universim adeo favit,

ut eis facultatem concederet, propria capitula generalia habendi, et in eis statuta sibi praescribendi, atque pro provinciis eorum Gallicanis vicarium generalem constitueret. Cumque etiam Martinus V. pontifex istud concilii Constantiensis decretum, conventualibus frustra reclamantibus, a. 1420. confirmasset, jam rigidiores his numero et auctoritate continuo praevalebant. Tandem Leo X. in generali totius ordinis capitulo, a. 1517. Romae habito, conventuales ob motus, quos contra spirituales excitare non desistebant, ab electione ministri generalis penitus exclusit, et facultatem, hunc eligendi, rigidioribus solis contulit, quos diversa congregationum nomina deponere, et unicum nomen fratrum minorum regularis observantiae seu breviter observantium gerere jussit. Conventuales quidem huic pontificis decreto morem gerere detrectabant, propriumque ministrum generalem sibi elegerunt, quem vero Leo non agnovit, sed statuit, ut, sicut ejus successores nonnisi magister generalis appellaretur, et a ministro generali confirmaretur. Ita factum, ut, cum quaevis ordinis pars proprium praepositum generalem haberet, separatio in observantes et conventuales formalis redderetur, quorum isti Minoritae, illi Franciscani apud nos dici consueverunt.

Wadding annales Minor. Helyot histoire des ordres monastiques.

§. 568. Olivetani. Jesuatae. Hieronymitani.

Quemadmodum ex eo, quod Franciscani rigidiores laxioribus tandem praevaluerunt, ita etiam ex novis ordinibus religiosis, labente hac periodo exortis, et regularem observantiam sedulo colentibus intelligitur, inter tantas horum saeculorum corruptelas non exiguum hominum numerum extitisse, serio perfectionis moralis studio animatorum. Inter novos istos ordines pertinet ordo Olivetanorum, auctore Joanne Tolomei, nobili Senensi, antea philosophiae in urbe pa-

tria professore a. 1313. fundatus, cui Joannes XXII. regulam S. Benedicti praescripsit, quam Olivetani primis temporibus maxima cum severitate observabant, quapropter saepius in monasteria Benedictinorum reformanda transferebantur, progressu autem temporis aliquantulum mitigarunt. Iidem continua incrementa ceperunt, atque per totam Italiam propagati sunt. Dicti sunt fratres eremitae de monte oliveti, vel fratres congregationis Dominae nostrae de monte oliveti. — Non multo post medium saeculum 14. novum ordinem Jesuatorum fundavit Joannes Columbino, pariter ex Senensibus nobilissimis et ditissimis, et qui supremo in patria munere fungebatur. Hunc avaritiae deditum et animo immiti praeditum lectio vitae Mariae Aegyptiacae adeo commovit, ut non tantum corpus suum abhinc maxime affligeret, et liberalissimus in pauperes fieret, sed etiam egenos, peregrinos, et aegrotos in domum suam receptos ipse curaret, quae misericordiae opera progressu temporis alii, secundum Joannis exemplum omnia relinquentes eique se aggregantes participabant. Urbanus papa V. qui eo tempore, anno scilicet 1367. Avenione Romam venit, eorum societatem tanquam novum ordinem religiosum approbavit. Observabant jam regulam S. Augustini. Caeterum, per totam hanc periodum omnes laici erant, quamquam clerici apostolici nominabantur. Serius eorum ordo congregatio Jesuatarum s. Hieronymi dictus est, illud quidem a frequenti usu nominis Jesu, istud autem, quia s. Hieronymum tanquam patronum suum venerabantur. Cum laici essent, s. officium non recitabant, sed ter quotidie 50 pater et ave in oratorio congregati pronuntiabant. Singulis diebus mane et vespere se flagellabant. Frequentabant hospitalia, ut aegrotis ibidem ministrarent. Artem quoque pharmaceuticam exercebant, confecta a se medicamenta gratis inter pauperes infirmos distribuentes. — Praeter hos ordines hac aetate plures monachorum congregationes exortae sunt, a S. Hierony-

mo compellatae. Ex his duae notatu digniores sunt; prima, quam fundarunt quidam ex tertio ordine S. Francisci, qui ex Italia in Hispaniam profecti, eremitarum in morem ibi vivebant. Iidem brevi tempore plures imitatores nacti sunt, inter quos praeter alios nobiles praecipuus erat Petrus Ferdinandus Pecha, Petri Crudelis, regis Castellae cubicularius. Hic postquam eis se adsociasset, ab urbe patria Ferdinandus de Guadalaxara dictus, confratres suos ad vitam ereniticam coenobitica mutandam permovit, atque sub hac conditione a. 1373. congregationis approbationem a Gregrio XI. obtinuit, qui eis etiam regulam S. Augustini observandam praescripsit, et S. Hieronymum patronum dedit, unde eremitae S. Hieronymi dicti sunt. Quo facto novus hic ordo ex Valentia et Castella, ubi primum fundatus fuit, per universam Hispaniam et Portugalliam paulatim propagatus est. Alterius Hieronymitarum congregationis auctor erat Petrus Gambacorti a loco natali etiam Petrus de Pisis dictus, filius supremi reipublicae Pisanae et Luccensis rectoris. Is 25. aetatis anno omnibus saeculi deliciis, bonis, et honoribus nuntium misit, et circa annum 1377. in montem bellum in Umbria, haud procul a Cessana secessit, vitam eremiticam ibi acturus. Eleemosynas, quas in pagis circumjacentibus mendicando colligebat, tantae erant, ut a. 1380. etiam sacellum et habitacula pro discipulis et imitatoribus, qui ei paulatim aggregabantur, extruere posset. Numero aucti in monasteria transierunt, et per totam Italiam propagati sunt, praesertim cum aliae quoque congregationes ejusmodi eremitarum, in monasteriis viventium, eis se adsociarent, propriumque cum eis ordinem efficerent, qui vero nullam ex pristinis regulis monasticis observabat, sed proprias sibi leges praescripsit, perfectam paupertatem, orationis frequentiam, victum parcum, crebrum jejunium, imo flagellationem praecipientes. Nec vota monastica hac periodo solemniter emittebant. Ab initio dicebantur

pauperes eremitae fratris Petri de Pisis; quoniam vero S. Hieronymum patronum sibi elegerant, postea eremitae S. Hieronymi, vel breviter Hieronymitani appellati sunt.

Helyot. l. c. Istoria della vita e miracoli del B. Pietro Gambacorti etc. Rom. 1716.

§. 569. Lollhardi.

Ad sepulturam mortuorum curandam, deinde etiam aegrotos sublevandos, initio saeculi 14. Antverpiae nonnulli pii laici conjunctionem inierunt, et societatem spiritualem efformarunt. Dicti sunt Lollhardi a vocabulo Germannico lollen, quod cantum submissum denotabat, quo in funeribus efferendis utebantur, fratres Cellitae, a cellis, in quibus habitabant, et Alexiani a S. Alexio, quem sibi patronum elegerant. Cum mendicando et rigida vivendi ratione Beghardis, in ecclesiam seditiosis, similes essent, et fortasse turbulenta quoque inter se ingenia haberent, aliquamdiu cum eis permiscebantur, et persecutionibus obnoxii erant. Sed ob utilitatem suam in multas Belgii et Germanniae urbes recepti, et a principibus ac magistratibus protecti, ab ipsis summis pontificibus innocentes judicati, approbati, ab inquisitorum jurisdictione exemti, episcopis et postea sedi apostolicae immediate subjecti sunt.

Mosheim instit. hist. eccles. antiq. et recent. Ejusdem commentarius de Beghardis et Beguinabus.

§. 570. Minimi.

Saeculo 15. novus ordo, caeteris severior, quasi ex Franciscanorum ordine prodiit. Ejus auctor erat Franciscus, dictus de Paula, loco natali in regno Neapolitano. Hunc parentes, quoniam eum intercessione B. Francisci Assisiensis impetrasse credebant, huic sancto devoverunt, et propterea tredecim annos natum in monasterium Franciscanorum ad S. Marcum in Calabria miserunt, ubi mox zelosissimos monachos rigore in

observanda regula superabat. Ita probatus celeberrima ordinis monasteria visitavit, et tandem anno aetatis 15. cavernam in quadam Calabriae eremo incolere coepit, ubi duro saxo incubans nonnisi herbis et radicibus victitabat. Qua re non solum omnes in sui admirationem, sed etiam plures ad imitationem traxit, ita ut jam a. 1435. haud procul ab urbe Paula plures cellas cum sacello pro discipulis, anno autem 1444. primum monasterium Paterni, incolis flagitantibus erigeret, post quod brevi tempore complura alia condebantur. Non multo post etiam inter Siculos, qui eum ad se vocaverant, Franciscus institutum suum introduxit. Hoc postquam pontifices examinassent, Sixtus IV. a. 1474. Francisci Paulani societatem tanquam novum ordinem monasticum sub nomine congregationis eremitarum S. Francisci (Assisiensis) publice approbavit, ejus fundatorem superiorem generalem constituit, eamque a jurisdictione episcoporum exemit. Anno 1482. Ludovicus XI. rex Galliae, ejus fama commotus, Franciscum ad se vocavit, sperans fore, ut per eum valetudinis restitutionem et vitae prolongationem a Deo impetret. Verum Franciscus nonnisi jubente pontifice in Galliam profectus est, ubi regem non quidem in vita servavit, attamen ad mortem cum reverentia voluntatis divinae expectandam paratum reddidit. Ludovici filius et successor, Carolus VIII. maxima reverentia Franciscum prosequens, ejus consilium non tantum in conscientiae sed etiam in reipublicae causis exquisivit, duoque pro ejus ordine monasteria in Gallia, ubi Franciscus usque ad vitae finem permansit († 1507.) aedificavit. Etiam per Hispaniam et Germanniam ejus ordo, ipso adhuc vivente propagatus est. Regula ab auctore tradita cum caeteris regulis monasticis in plurimis quidem conveniebat, eas tamen severitate praestabat, cum frequentissimas preces, perpetuum silentium, perpetuam abstinentiam a carne omnibusque esculentis e regno animali descendentibus praescriberet, et vestimenta nun-

quam deponi permitteret. Alexander VI. qui Francisci regulam solemniter approbavit, ejus discipulos minimos fratres eremitas Francisci de Paula nominari voluit, unde breviter Minimi, nonnunquam etiam Paulani vocati sunt. Monachis progressu temporis etiam moniales, eandem regulam observantes per Italiam, Galliam et Hispaniam, nec non laici, certa praescripta et pietatis exercitia observantes, et funiculum gestantes, nomine tertiariorum accesserunt.

Helyot l. c.

§. 571. Moniales. Ordo S. Birgittae.

Moniales hujus aetatis regularem observantiam et vitae integritatem generatim non minus violabant, quam monachi. Duo sunt, quae in eis praecipue reprehendebantur, quod nempe voluptatibus carnalibus indulgerent, et quod extra sua claustra passim versarentur. Caeterum nullus erat inter ordines noviter fundatos, cujus instituta non faeminae quoque imitatae fuissent. At singularem pro eis ordinem fundavit S. Birgitta, a 1302. nobilibus et piis parentibus in Suecia nata. Postquam jam in matrimonio tertio S. Francisci ordini adscripta, animam pietate, corpus asperitate multum exercuisset, defuncto marito ad summam vitae asceticae perfectionem enisa est, ita ut etiam revelationes coelestes sibi habere videretur, quas scripto consignatas Gregorius XI. et Urbanus VI. pontifices, et concilia Constantiense ac Basileense approbarunt. Jubilaei causa a. 1349. Romam profecta reliquum vitae tempus, in hac urbe transegit, et non multo post reditum e terra sancta, quo devotionis causa profecta fuerat, a. 1373. ibidem mortua est, a Bonifacio IX. sanctorum fastis adscripta, quod ipsum concilium Constantiense confirmavit. Cum adhuc in Suecia degeret, Wadstenae monasterium condidit, et in eo propria instituta, caetera hujus generis pluribus in rebus praestantia introduxit.

ecundum exemplum ordinis de fonte Ebrardi faeminis, ro quibus monasterium proprie erectum est, viros ddidit, clericos et laicos, quorum illi indigentiis spi- tualibus monialium subvenirent, et speciatim singulis iebus Dominicis praescriptam evangelii pericopen in ngua vernacula coram toto conventu exponerent. Iis- em omnia negotia aliena interdixit; non minus ac cae- eris praeter preces et lectiones sacras etiam manuum aborem praescripsit, et abbatissam tanquam supremam irectricem praefecit. In vestitu, ex panno cano con- ecto hoc singulare instituit, ut moniales mitram quam- am lineam albi coloris, quinque rubris guttulis con- persam, sacerdotes autem crucem ejusdem coloris in allio gestarent, idque in jugem passionis Jesu Chri- ti memoriam, quemadmodum ad propriam cujusque nortem in recenti memoria conservandam fossa sepul- hri instar semper aperta relinquenda erat, ad quam bbatissa quotidie cum monialibus pergere et oratio- em recitare debebat. Paupertati regulari conservandae o operam dabat, quod non plus pecuniae et annonae n monasterio haberi permitteret, ac pro uno anno ab- olute necessarium esset. Sexuum separationem tantam sse voluit, ut moniales, peccata confitentes confessa- ium ne videre quidem possent. Exemtione prorsus re- ecta ordinem suum episcopis subjecit, qui regulae ob- ervationi invigilarent, et lites in eo oriundas auctori- ate sua dirimerent. Caeterum regula S. Augustini fun- lamentalis erat hujus ordinis, qui a Birgitta honoribus B. Mariae dedicatus, et ordo Salvatoris dictus est. A pontificibus approbatus brevi tempore non tantum per regna septentrionalia, sed etiam per Germanniam, An- gliam, Galliam et Italiam propagatus est.

I. Vastovii Viti Aquilonia, seu vitae Sanctorum in Scandinia magna etc. Ordinis S. Birgittae fundatio praemissa ejus re- velationibus. Nettelbla kurzgefaſste Nachricht von einigen Klöstern der h. Birgitta. Helyot. l. c.

§. 572. Clerici et fratres de vita communi.

Clericorum, speciatim canonicorum regularium vitae rationi in quibusdam regionibus reformatio illata est per institutum Gerardi Grotii seu Magni, Daventriae a. 1340. nati. Is postquam Parisiis litteras philosophicas et theologicas didicisset, easdem Coloniae magna cum laude tradidit, pluraque beneficia adeptus est. Licentiori vitae indulgentem prior Cartusiani cujusdam monasterii prope Arnhemium, olim ejus condiscipulus, monitis suis religiosis permovit, ut saeculo renuntiaret, dimissisque suis beneficiis pauperem et despectam vitam primum Ultrajecti ageret, dein in eodem monasterio Cartusiano tres annos orationi, librorum piorum lectioni, aliisque pietatis exercitiis, corpus simul diversimode graviter affligens vacaret, quibus elapsis in multis per Bataviam locis, rure et in urbibus, verbum divinum e sacro suggestu maximo cum plausu et salutifero auditorum fructu annuntiavit. Orationi nunc quoque maximo cum fervore et sine intermissione vacabat. Contemplationis gratiam eo gradu adeptus est, ut etiam res absconditae et futurae ei divinitus revelari crederentur. In legenda et meditanda scriptura assiduus erat, librorum utilium collectionem instituit, aliosque epistolis et aliis scriptis ad pietatem informavit. Praeterea amplum patrimonium consecutus, Daventriae pueros bonae indolis et pauperes clericos apud se congregatos instituebat, eosque, qui una cum ipso vitam asceticam vivere cupiebant, in domum suam exceptos etiam sustentabat. Sic condidit societatem vel congregationem virorum piorum, tam clericorum, quam laicorum, in communi, et sub regulari quadam disciplina viventium, quos nullo modo mendicare permisit, sed labore manuum necessarium victum sibi comparare instituit. Quod ipse, morte a. 1384. praeventus efficere non potuit, monasterium nempe condere, in quo clerici a se instituti, tanquam canonici regulares viven-

es, caeteris ejusmodi canonicorum societatibus imitaionis exemplum praeberent, eorumque reformationem aulatim efficerent, saltim ejus discipuli, duobus ejusnodi monasteriis extructis, praestiterunt. Societatem b eo Daventriae erectam, post ejus mortem Florenius Radevinus rexit, Leiderdami in Hollandia nobili enere natus, et ex canonico Ultrajectensi Gerardi dicipulus. Illa ex clericis et laicis constabat, vitam comnunem, concordia, modestia, utili labore, castitate, mnique peculii repudiatione insignem viventibus. Lai et clerici illiterati manuum labore occupabantur; aeteri, inter quos nonnulli ad presbyteratum pro soietate promovebantur, aut libros describebant, aut ueros in litteris instituebant. His omnibus Gerardi institutum quam maxime commendatum, et non tantum er universum Belgium, sed etiam per adjacentem Geranniam propagatum est. Ex ejus membris complures lentidem canonici regulares fiebant. Quamquam alioım invidiam et calumnias non evitarent, tamen a ponficibus approbati, et ab Eugenio IV. ac Paulo II. vais privilegiis ornati sunt. Faeminae quoque in similes cietates coibant, et tempus suum orationi, sacrae leioni, manuum labori, et puellarum institutioni imendebant.

Thomae a Kempis vita Gerardi Magni. Ejusdem vita Florentii. Ejusdem vita discipulorum Florentii. Henric. Sommalii vita Thomae a Kempis, praefixa ejus operibus. Helyot l. c.

§. 573. Caelibatus clericorum.

Decretis pontificum et conciliorum saepe repetitis, severis poenis contra transgressores statutis, res apsa periodo eo deducta fuerat, ut jam nullus clerirum matrimonium contraheret, praesertim cum ejusodi jam tanquam in se nullum et irritum consideratur. Pro eo in universa fere ecclesia Latina concubitus clericorum invaluit, atque ex ipsis episcopis haud

pauci concubinas clericorum suorum pro certo pretio, quotannis solvendo tolerabant. Malum adeo inveteratum erat, ut nullae, nec severiores poenae, quae a conciliis provincialibus frequenter contra incontinentes statuebantur, illud extirpare possent. Quapropter jam aliqui ex viris eruditis, ad ipsum clerum Catholicum pertinentibus melius fore censebant, si clericis matrimonium iterum concederetur. Sed praesules ecclesiastici non desperarunt, eos futuro saltim tempore ad majorem continentiam perducendos esse.

Periodus septima.

A scissione ecclesiae Occidentalis per Lutherum aliosque, usque ad initium saeculi decimi octavi.
1517 — 1701.

Caput primum.

De incremento et decremento ecclesiae.

§. 574. Propagatio religionis Christianae per Franciscum Xaverium.

Hac periodo, qua ineunte, exceptis Turcis in imerio olim Constantinopolitano, et paucis gentibus boealibus, tota jam Europa Christum colebat, hujus regio per reliquas tres orbis partes late propagata est. ccasionem dederunt possessiones, quas Europaei in is jam acquisiverant, et adhuc acquirebant. His enim ctum, ut, cum multi eorum ibi considerent, jam hoc so coetus Christianorum simul orirentur. Id nominam valet de illa Indiae parte, quam Portugalli jam lapsa periodo occupaverant; de nonnullis insulis Asiacis, velut Moluccensibus et Philippinis, in quibus iiem et Hispani consederant; de regnis Americanis, Mexi-, quod a. 1521., Peruvia, quam a. 1535. Hispani penitus sii subjecerunt, de novaGranata, in qua mox initio hujus peodi, de Chili et Paraquaria, in qua non multo post occuatam Peruviam iidem Hispani, et de Brasilia, in qua Porgalli pedem fixerunt. Praeterea reges Hispaniae et usitaniae pristinos quoque terrarum illarum incolas, unc sibi subditos, ab idololatria ad Christum perdulos cupiebant, clero, praesertim regulari, ecclesiae

Christianae dilatandae studiosissimo, eorum votis libenter respondente. Sic Joannes III., rex Lusitanorum ab Ignatio, societatis Jesu fundatore, fidei praecones pro subditis suis Ethnicis in India petiit, et Franciscum Xaverium impetravit, qui a Paulo papa III. consentiente, legati apostolici dignitate auctus, cum duobus ordinis sui sociis reapse illo navigavit, et a. 1542. Goae, Indiae Lusitanicae metropoli advenit. Hic jam ab eo tempore, quo Lusitani pedem fixerunt, Franciscani Ethnicis et Muhamedanis evangelium eo eventu annuntiaverant, ut episcopi quoque constituendi fuissent; imo paulo ante adventum Francisci, Goae seminarium erectum fuerat, in quo juvenes ex diversis gentibus Indicis in fide Christiana instruerentur, et pro munere apostolico ac sacerdotali inter suos obeundo informarentur. Praeterea ex gente Paravorum in littore piscatorio ad orientalem plagam promontorii Commorini, per Lusitanos a tyrannide principis cujusdam Muhamedani liberata, viginti circiter hominum millia baptismum susceperant. Denique etiam Malaccae et in aliis quibusdam locis peninsulae cognominis, in qua pariter Portugalli consederant, complures indigenarum ad sacra Christiana transgressi fuerant. Franciscus primo Goae indigenis convertendis aliquamdiu operam dedit, deinde eodem adhuc anno 1542. ad Paravos migravit, et integram inter eos stirpem, quae hactenus pertinaciter avitae religioni inhaeserat, ab idolis ad verum Deum perduxit. Post haec praedicationem evangelii inter Punicalenos, iisdem in plagis Indiae meridionalis felici cum successu continuavit, anno autem sequenti 1543. in promontorio Commorino ingentem multitudinem ad Christum convertit. Non minorem laborum suorum successum in regno Travancorensi habuit, quippe ubi rege evangelii praedicationem permittente, a. 1544. unico mense decem circiter hominum millia ad baptismum admittendum permovit. Anno 1545. Malaccam trajecit, et Christianos hujus regionis satis degeneres ad meliorem frugem reduxit

novisque

novisque auxit. Anno sequenti in insulis Moluccensibus, Amboina et Ternate, evangelium praedicavit, ac integram ibidem gentem admodum barbaram emollivit et ad Christum perduxit. Similiter a. 1548. regem Candyensem in Ceylana insula religioni Christianae conciliavit.

§. 575. Religio Christiana in Japoniam introducta.

Anno 1549. Franciscus in Japoniam navigavit, ansam præbente quodam hujus regni incola, e patria profugo, a Francisco ad fidem in Christum converso, eandemque inter populares suos admissum iri spem faciente. Franciscus primum in provincia Saxumensi, permittente regulo, evangelium eo eventu annuntiavit, ut intra paucos menses, ultra 200 Japonenses Christo nomen darent, et inter hos etiam duo sacerdotes seu Bonzi, quos, ut genti suae in religione Christiana amplius instituendae habiles redderentur, in seminarium Goanum misit. Cum vero post aliquod tempus, populus a Bonzis concitatus, evangelii praedicatoribus violentas manus injiceret, et regulus, eo offensus, quod Lusitani naves suas, mercibus Europaeis, quas ipse desiderabat, plenas in vicinam provinciam Firando deduxerint, evangelii praedicationem sub poena capitis interdixisset, Xaverius cum suis sociis in provinciam modo nominatam se contulit, ibique majori adhuc successu Christum annuntiavit. Postquam deinde a. 1551. Meacum, totius Japoniae metropolim petiisset, sed nihil ibi efficere potuisset, in urbem Amanguchi, ubi prius jam fuerat, reversus, a rege, cui a Lusitanico in India gubernatore donis et litteris commendabatur, facultatem, evangelium annuntiandi, solemniter accepit, qua eo effectu usus est, ut, quamquam sacerdotes et cultiores laici multas objectiones et difficiles quaestiones in doctrinam Christianam moverent, intra duos menses 500 Japonenses baptismum admitterent. Minorem et fere

nullum successum in regno Bungo habuit, quamquam ipse rex, qui eum invitaverat, in religionem Christianam propendere videbatur; at Bonzi Francisci conatus eo potissimum irritabant, quod, si religio Christiana praestantior esset, eam a sapientibus Sinensibus prius amplectendam esse dicerent. Inde in mente Francisci consilium enatum est, Sinensium conversionem tentandi, ad quod exequendum, a. 1552. ex India, quo prius reversus est, Sinam navigio petiit; sed antequam eam attingeret, in vicina quadam insula morbo correptus, spiritum Deo reddidit, postquam 10 annos regno Christi inter nationes Asiaticas dilatando operam dedisset, et aerumnas plurimas sustinuisset. In hoc opere non quidem solus erat, sed partim sociis, quos secum ex Europa adduxerat, seminarii Goani alumnos aliosque ex conversis habiliores addidit, partim non exiguo numero Jesuitarum, ad ejus auxilium ex Europa transmissorum auctus est. Ipse tamen semper primarias partes egit, et reliquorum labores direxit, quibus potissimum ulteriorem ecclesiarum a se fundatarum institutionem commisit, juxta exemplum primorum apostolorum ad novam continuo sementem pergens. Ipsius et cooperatorum ejus laboribus ecclesia Christiana praesertim in India ita aucta est, ut jam in pluribus urbibus, velut Cochinii et Meliapuri sedes episcopales, Goae vero metropolitica erigeretur. Media, quibus Franciscus finem suum apostolicum promovere studuit, praeter institutionem oralem, erant opera misericordiae, quae aegrotis, captivis, aliisque indigentibus et afflictis exhibebat, sapiens ad mores convertendorum innocuos accommodatio, vitae sanctitas, et externa quoque morum severitas, decretum regis Lusitanici, de idolis, in ditione Goana auferendis, et festis Ethnicis abrogandis, denique miraculosae morborum sanationes, imo mortuorum resuscitationes. Sed his omnibus tanta efficere non potuisset, seu potius haec ei non adfuissent, nisi ardenti religionis zelo, fervida in proximum charitate, indefessa industria,

animo imperterrito, et laborum ac difficultatum patientissimo praeditus fuisset. Merito inter sanctos relatus tanquam Indorum apostolus colitur.

Francisci Xaver. epistolarum libri quinque. Horatii Turselini de vita Francisci Xaverii. J. Petr. Maffei historiarum Indicar. libri XII. Orlandini historia societatis Jesu. P. I.

§. 576. Religio Christiana in America propagata.

Dum Franciscus Xaverius evangelium in Asia praedicabat, idem etiam in America propagabatur. Postquam enim Hispani suam terrarum, a se occupatarum, velut Mexici, novae Granatae, quae tunc nomine terrae firmae plures provincias comprehendebat, Peruviae, Chiles, Paraquariae, possessionem firmassent, etiam indigenae, quorum conversio mox ab initio diversis modis, sed plerumque frustra tentata fuerat, partim institutione, partim vi ad sacra Christiana perducti sunt. Etiam Lusitani de indigenis Brasiliae, a se occupatae convertendis cogitabant, quem in finem cum colonis, quos a. 1549. rex Joannes III. ad novam urbem, a Salvatore compellatam condendam, in Brasiliam misit, etiam sex Jesuitae eodem navigarunt. His quidem barbaries incolarum, humana carne vescentium, de loco ad locum migrantium, et a Portugallis propter violentias in se commissas aliunde aversorum, nec non linguae ignorantia, magnas difficultates objiciebat, ob quas ab initio nonnisi captivos, qui ad manducandum nutriebantur, et parvulos, quos parentes eis educandos committebant, baptizare poterant. Progressu tamen temporis etiam complures adultorum ad sacra Christiana amplectenda permovebant, per quos alii ad sedes stabiles eligendas, magistratum et baptismum admittendum eo numero perducebantur, ut a. 1551. episcopatus in nova Salvatoris urbe erigi posset, quo facto numerus conversorum magis magisque auctus est.

Orlandini lib. cit.

§. 577. In Japonia.

In Japonia post Xaverii discessum religio Christiana per Jesuitas ab eo relictos, novosque his accedentes eo successu propagata est, ut in ipsa imperii metropoli Meaco ecclesiae et scholae Christianae erigerentur, et numerus Christicolarum 40 annis nondum elapsis, 200,000 excederet, inter quos reges, belliduces, aulici, et alii ex nobilissimis familiis erant. Ipsi imperatores Nobunanga et Cambacundo Bonzis eorumque religioni jam irridebant, et idola eorumque templa destrui permittebant. Posterior Jesuitarum consuetudine utebatur, atque urbem, a se recens conditam a solis Christianis incoli voluit. Verum post aliquod tempus numerus Christianorum, continuo crescens, metum, a Bonzis nutritum, in eo excitavit, ne aliquando Europaei illorum ope imperio potirentur. Igitur jam a. 1587. Jesuitas Japonia excedere, et templa Christianorum destrui jussit. Illi quidem plerique sub protectione magnatum in imperio manebant; at ex 150 ecclesiis 70 concrematae, imo Christiani ipsi occisi, et, cum persecutio pluribus annis duraret, magno numero sublati sunt. Ei a. 1596. renovandae ansam dedit incautus sermo ducis navis alicujus Hispanicae, administro cuidam imperii Japonici dicentis, regem suum tot ac tantas terras non minus praedicatorum quam militum ope sibi subjecisse. Nunc igitur imperator omnes missionarios comprehendi, pluresque eorum interfici, reliquos vero ex imperio ejici jussit. Ex indigenis quoque Christianis haud pauci per plures annos martyrio coronati sunt.

De rebus Japonicis epistolae, post Maffei historias Indicas. Charlevoix histoire et description general du Japon. 8 tomi 12. Possini historia societatis Jesu. P. 5.

§. 578. Religio Christiana in Sinam introducta.

Eo tempore, quo novella ecclesia Japonica sanguine suo tingi coepit, religio Christiana in Sinam in-

ıcta est, auctore Matthaeo Ricci, ex societate Je-
Iaceratae in marca Anconitana nato, viro acris in-
, eruditionis non vulgaris, imprimis in scientiis
ematicis versato, ad haec morum suavitate, mo-
ı, et patientia singulari praedito. Is, postquam a.
occasione legationis, ad gubernatorem quemdam
ısem a Lusitanis missae, in Sinam venisset, pri-
omplures annos lingua, litteris, et caeremoniis
ısium addiscendis transegit; deinde catechismum
a Sinensi conscripsit, eoque non minus, quam
bus et scientiis suis mathematicis, quas Sinenses
caeteris aestimabant, effecit, ut plures eorum re-
ıem Christianam amplecterentur, et ecclesiam con-
:rent. Post 20 a suo in Sinam adventu annos, Ric-
aditum ad imperatorem ipsum impetravit, eum-
oblata Christi et Mariae effigie ac horologio sibi
iliavit, quo facto multo plures adhuc ex omnibus
rii ordinibus ad Christum convertebantur, et in
bus provinciis ecclesiae erigebantur. Ex conversis
ısibus ipsis nonnulli religionem Christianam inter
lares suos propagare studebant, quo in negotio
bus palmam praeripuit nobilis quaedam faemina,
ıptismo Candida nominata. Haec enim non tantum
tum suum ad Christum perduxit, sed etiam in pro-
a, in qua vivebat, 30 ecclesias aedificavit, et mis-
ırios pecunia et commendatione eo usque adjuvit,
alia provincia 90 ecclesias, et 45 oratoria extru-
possent. Praeterea multa scripta religiosa, inter
erat summa Thomae Aquinatis, in linguam Si-
em translata, suis sumtibus prelo mandari curavit,
mosque parvulos a pauperibus parentibus pro mo-
ı Sina vigente expositos servabat, et in religi-
Christiana educabat. Cumque etiam Riccio a. 1610.
ıcto, Jesuitae moribus et scientiis mathematicis im-
toris favorem sibi conservarent, ecclesia Christiana
na eorum aliorumque missionariorum opera, de-
nte saeculo 17. ampliora continuo incrementa cepit.

Possini lib. cit. Du Halde ausführliche Beschreibung des Chinesischen Reichs und der grossen Tartarei.

§. 579. Ecclesia Paraquariensis.

Non minori cum successu Jesuitae, quibus nemo melius convertendos tractare callebat, eodem fere tempore religionem Christianam in Paraquaria propagabant, ubi non tantum ecclesiae, sed etiam reipublicae civilis auctores et rectores extiterunt. In ista terra, quam Hispani inde ab anno potissimum 1536. successive occuparunt, missionarii in convertendis aboriginibus ab initio fere nullos progressus faciebant, partim propter feritatem illorum, qui plerumque sine stabili sede per sylvas vagabantur, partim propter animum eorum, injuriis et violentiis sibi illatis, ab Hispanis aversum, partim propter simultates inter hos ipsos, qui insuper indigenarum conversioni renitebantur propterea, quod cum conversis non amplius pro lubitu agere sibi liceret. Anno circiter 1581. duo Franciscani complures indigenarum in ecclesiam Christianam collegerunt. His a. 1586. Jesuitae ex vicina Brasilia et Peruvia successerunt, qui in convertendo longe feliciores, inter feros incolas digressi, brevi tempore ultra 600 eorum ad Christum perduxerunt. Quoniam vero hae conversiones firmitate carebant, incolas ad sedes stabiles eligendas permovere conabantur, atque reapse effecerunt, ut conversi in quatuor pagos, quos reductiones vocabant, coirent. Amplioribus conversionis progressibus secundum judicium Jesuitarum duo potissimum obstabant, injuriae, quibus conversi ab Hispanis afficiebantur, et prava exempla, quae hi corruptis suis moribus praebebant. Ad haec impedimenta removenda Jesuitae circa annum 1610. a Philippo III. Hispaniarum rege impetrarunt, ut omnes Europaei laici e Paraquaria excluderentur. Quo facto Jesuitae missionarii jam longe feliciori successu incolas ad sylvas deserendas, domicilia figenda, et sacra Christiana am-

plectenda permoverunt, ita ut numerus reductionum paulatim ad 30 incresceret. Novi hi Christiani a Jesuitis non tantum in rebus ecclesiasticis, sed etiam in civilibus regebantur, ad terram suam ejusque producta excolenda, et ad opificia nonnullasque, quarum capaces erant, artes instituebantur, imo in re militari, Hispaniae rege contra feros hostes vicinos arma eis concedente, exercebantur. Iidem supremam inspectionem gerebant eorum, quae Paraquarienses ex laboribus suis et mercatura lucrabantur. A supremo regimine ecclesiastico episcopi exclusi non erant, utpote, qui nonnunquam reductiones visitabant, quod idem et gubernator civilis faciebat; reliquis autem Hispanis nonnisi gubernatorem aut episcopum comitantibus aditus concedebatur. Hac exclusione et sapiente Jesuitarum regimine effectum est, ut ecclesia Paraquariensis laete floreret, cum vitiis simul mala, ex eis enasci solita abessent, concordia summa inter ejus membra vigeret, et plura eorum etiam ad sanctitatis fastigium pervenirent.

Charlevoix histoire du Paraguay. Muratori il Christianesimo felice nelli missioni di padri della compagnia di Giesu nel Paraguay.

§. 580. Ecclesiae Japonicae interitus.

Persecutio, quae sub finem saeculi 16. contra ecclesiam Japonicam exarserat, impedire non potuit, quo minus paulo post iterum incrementa caperet, quae tanta erant, ut a. 1603. centum viginti Jesuitae, plerumque presbyteri, in Japonia numerarentur. Nova persecutio a. 1612. excitata est calumniis ducis navis alicujus Batavicae, pristinam Ethnicorum Japonensium suspicionem de imperio, ope missionariorum et Christianorum ad Hispanos transferendo nutrientis. Nihilominus inter ipsas calamitates, Christianis inde enatas, eorum numerus continuo augebatur, non tantum inter plebem, sed etiam inter aulicos et belliduces; imo

ipse imperator Fidejori, sed adhuc minorennis, clandestinus Christianus existimabatur. Hunc a. 1616. interfecit ejus tutor Ijejas, Christianis eo magis infensus, quod eorum animi a se, qui imperium facinore usurpavit, aversi essent. Igitur primo praecepit, ne religio Christiana amplius praedicaretur, ne novi presbyteri et monachi admitterentur, atque Japonenses, illi addicti, si non sponte ad cultum patrium redirent, vi ad eum reducerentur. Hujus praecepti executio ab initio non admodum urgebatur; verum, cum post aliquod tempus nonnulli Franciscani, quos Hispanicus insularum Philippinarum gubernator legatos ad imperatorem Japonicum miserat, indiscreto religionis zelo, et martyrii desiderio abrepti in plateis ipsius metropolis Meaco Christum praedicare auderent, imo novam ecclesiam extruere coepissent; jam omnium vehementissima et nonnisi extirpatione Christianorum terminata persecutio excitata est. In ea Christiani horrendis tormentis subjiciebantur, quae multa millia omnis generis, sexus et aetatis, sicut primis ecclesiae saeculis in imperio Romano, summa cum fortitudine usque ad mortem sustinebant. In sola provincia Nangasaki a. 1622. ultra 40,000 Christianorum deleta sunt. Ut imperator non prius quiesceret, quam nemo Christianorum in Japonia superesset, Batavi potissimum effecerunt, qui Hispanis et Lusitanis amplum commercii Japonici questum invidentes, odioque in eosdem, quorum dominium in Europa cum religione Catholica abjecerant, flagrantes, aulae Japonicae a. 1637. litteras a se confictas exhibuere, quasi a centurione quodam Lusitano, nato Japonensi scriptas, in quibus de conjuratione contra imperatorem a Christianis ope Lusitanorum facienda sermo erat. Batavi finem suum reapse consecuti sunt; imperator enim eodem adhuc anno edictum promulgavit, vi cujus omnibus alienigenis aditus in Japoniam in perpetuum sub poena capitis interdictus est, Lusitani cuncti ex imperio ejecti, Batavis tamen in quo-

dam ejus loco mercaturam cum Japonensibus facere concessum, quam concessionem, ut deinceps quoque sibi conservarent, vilissimae Japonensium erga se agendi rationi se submiserunt. Iidem Batavi arcem, quam Christiani adhuc residui, in desperationem acti occupaverant, volente imperatore tormentis bellicis oppugnarunt. Isti tandem fame compulsi ex arce proruperunt, sed numero longe inferiores ab obsessoribus omnes trucidati sunt. Ita ecclesia Japonica anno circiter 1640. penitus extincta est.

Charlevoix histoire de l' etablissement, des progrés, et de la decadence du Christianisme dans l' empire du Japon. Relation du Japon et la cause de la persecution des Chretiens dans ses isles; in recueil des plusieurs relations et traités singuliers et curieux de Tavernier. P. III. Crasset histoire de l'eglise du Japon. Cordara historia societatis Jesu. P. VI.

§. 581. Ecclesia Madaurana.

In regno Madaurano, in angulo meridionali anterioris peninsulae Indicae sito, jam Franciscus Xaverius et alii missionarii, tum e societate Jesu, tum ex ordinibus mendicantibus evangelium quidem annuntiaverant; quoniam vero discrimine inter diversas hominum classes, Indis inviolabili, non observato, Parreas quoque, infimam et caeteris despectissimam classem constituentes, ad sacra Christiana admiserant, et cum iisdem conversabantur, non tantum superiores classes religionem Christianam refugiebant, sed etiam missionarii cunctique Europaei contemtum Indorum incurrerunt, unde factum, ut evangelium in illis regionibus progressus admodum exiguos faceret, et Franciscani nonnisi ignobilem ecclesiam ex inferioribus incolis in urbe Madaura collectam haberent. Ad istud igitur impedimentum removendum a. 1606. Robertus Nobili, seu de Nobilibus, Jesuita, nobilissimo genere Romano natus, ea accommodationis methodo uti coepit, ut Braminorum vestitu indutus, et secundum morem Indorum, poenitentiae vacantium,

vitam rigidam vivens, atque omnem cum Parreis et Europaeis conversationem fugiens, primo diversas Indorum linguas, scientias, et ritus disceret, dein illis instructus, et hos observans tanquam Braminus extraneus prodiret, nobilissimam suam prosapiam Indis nobilibus comprobaret, et ignobilium ac Europaeorum consuetudine porro abstinens, illos ad novam suam theologiam cognoscendam invitaret. Eloquentia et eruditione sua effecit, ut brevi tempore 70 Bramini, et ipse eorum praepositus Christo nomen daret, quorum exemplum progressu temporis quam plurimi ex reliquis quoque classibus secuti sunt. Conversis Robertus usum rituum Indicorum, quos et ipse observabat, concessit, e quibus praecipui erant: separatio diversarum classium, gestatio fasciae rubrae in collo et pectore, unctio frontis cum cinere, e fimo vaccino et ligno santalo parato, crebrae corporis lotiones et balnea. Verum cum hi ritus in quodam cum religione Indorum nexu positi sint, alii missionarii, et inter hos nonnulli etiam Jesuitae eorum concessionem, sicut et conversionis methodum, qua Robertus utebatur, improbarunt, et litem desuper ortam Romam detulerunt, ubi non minus vehementer in scriptis agitata est, eo quidem eventu, ut primo generalis praepositus societatis Jesu Roberto summam cautionem commendaret, dein a. 1623. Gregorius papa XV. ritus illos, qui Malabarici vocari consueverunt, magnis cum restrictionibus, et nonnisi provisorio modo, conversis Indis indulgeret. Hinc Robertus qui a. 1656. Meliapuri mortuus est, aliique Jesuitae conversionis opus consueta methodo per saeculi 17. decursum, eo successu continuarunt, ut illo exeunte ecclesia Madaurana ultra 150000 Christianorum complecteretur, inter quos plurimi vitam praeceptis evangelicis plane conformem gerebant.

Cordara lib. cit. Jouvency historia societatis Jesu. P. V.

§. 582. Instituta ad religionem Christianam propagandam.

Quum religio Christiana tantos inter Gentiles progressus faceret, et ampliorum spes adesset, ad eos promovendos Gregorius XV. a. 1622. congregationem de propaganda fide constituit, i. e. consociationem, e tredecim cardinalibus, tribus praelatis et uno secretario compositam, cujus esset, omnia, ad fidem Catholicam ubique propagandam et conservandam pertinentia curare. Urbanus VIII. Gregorii successor non tantum congregationem istam redditibus, quos etiam nonnulli cardinales aliique suppeditabant, plurimum auxit, et magnis privilegiis instruxit, sed etiam a. 1627. collegium de propaganda fide ei addidit ac subjecit, i. e. seminarium, in quo diversarum nationum Asiaticarum et Africanarum heterodoxarum, velut Georgianorum, Nestorianorum, Armenorum, Coptorum, Aethiopum juvenes in linguis Orientalibus et in universa theologia instituuntur, eum quidem in finem, ut finitis his litterarum studiis in patriam suam, aut in aliam terram a congregatione de propaganda sibi assignandam revertantur, et religioni Romano-Catholicae ibi propagandae operam impendant. Huic seminario erigendo ansam dedit Joannes Vives, praelatus Romanus, natione Hispanus, qui in testamento omnes suas facultates una cum palatio decem juvenibus diversarum nationum commemorato modo instituendis dedicavit. Urbani pontificis frater, Antonius Barberini, cardinalis a S. Onuphrio, tot redditus eundem in finem suppeditavit, quot 30 juvenibus sustentandis sufficerent. Apud idem collegium typographia erecta est, in qua non tantum libri, ad linguas Orientales plerasque addiscendas necessarii, sed etiam catechismi, aliique libri religiosi in iisdem linguis in usum missionariorum typis excuduntur. Ad horum institutorum exemplum etiam in Gallia a. 1662. congregatio sacerdotum pro missionibus exteris regia

auctoritate fundata est, cui sub episcoporum et theologorum quorumdam auspiciis accessit seminarium Parisiense pro missionibus ad gentes, in quo ex omnibus fere ordinibus, Jesuitarum, Dominicanorum, Franciscanorum, Capucinorum, Augustinianorum futuri fidei inter Ethnicos praecones instituebantur, et magno numero saeculo 17. et 18. inde prodierunt.

Urbano Cerri etat present de l' eglise Romain dans toutes les parties du moude. Aymon, prelat domestique du Pape Innocent XI. tableau de la cour de Rome.

§. 583. Religio Christiana in Africa.

Sicut in Asia et America, ita in Africa missionarii in terris, quas Europaei vel occupaverant, vel mercaturae causa adibant, evangelium hac periodo annuntiarunt; sed conversiones breviter duraturas potius effecerunt, quam ecclesias stabiles condiderunt. Equidem in Congo et adjacente Angola, ubi Lusitani dominium quoddam supremum exercebant, Capucini conversiones superiori periodo coeptas continuare satagebant; sed feros incolas plerosque nonnisi ad recitandos quosdam fidei articulos, et ad ritus sacros peragendos perducere, minime vero ab idolorum cultu abstrahere valuerunt. Medio saeculo 17. ipsa quidem regina Zenghi religionem Christianam amplexa est, sed successores ejus idololatriae omnes inhaeserunt. Praeterea evangelium a missionariis praedicatum est ad promontorium viride, ad fluvium Senegal, ad montes Leoninos, in promontorio bonae spei, quod tunc Lusitani possidebant, in Monomotapa, cujus rex a. 1652. baptismum admisit, in littore Zanguebarico, in insula Madagascar. Verum partim incolarum ruditas, partim Europaeorum conatus, eorum terras sibi subjiciendi impedierunt, quo minus praeter singulorum conversiones integrae ecclesiae, longiori tempore durantes fundari possent.

Labat (Cavazzi) relation historique de l' Afrique occidentale. Cerri l. c.

§. 584. In America septentrionali.

Americae septentrionali religio Christiana potissimum per colonos Europaeos illata est, quibus progressu temporis etiam labores missionariorum, feris incolis evangelizantium accesserunt. In Florida et Canada Hispani jam saeculo 16. pedes fixerunt; posteriorem terram medio circiter eodem saeculo Galli occuparunt, et reliquo hujus periodi tempore tenuerunt, a quibus etiam nova Francia dicta est. Ibi Franciscani ab anno 1615. evangelium eo profectu praedicarunt, ut post 60 annos Quebeccae, terrae metropoli, episcopatus erigeretur. Neque postea labores missionariorum Gallicorum ibidem cessarunt.¹) — Coloniae, e quibus hodiernae liberae civitates confoederatae in America septentrionali enatae sunt, saeculo potissimum 17. decurrente ab Anglis condebantur; et quidem priores anno jam 1583. in Virginia, et in terra novae inventionis (New-foundland), quae vero ab anno demum 1603. sub rege Jacobo I. stabilitatem nactae sunt, a quo tempore praecipue in Virginia multi Angli consederunt. Deinde sub Carolo I. versus medium saeculum 17. multi ex sic dictis Puritanis aliique, de praelata religione Episcopalium, et de aucta potestate regia indignantes, relicta patria in regionibus maritimis Canadae vicinioribus, quae nomine novae Angliae comprehendebantur, sedes fixerunt, aliam praeter suam religionem non tolerantes. Anno 1632. coloni in terram a Maria compellatam migrarunt, omnis generis Christianos inter se tolerantes. Post 30. abhinc annos colonia, in honorem regis Caroli II. Carolina dicta, condita, et ob similem religionum tolerantiam brevi tempore incolis plurimum aucta est. Eodem circiter tempore Angli aliam in istis orbis partibus provinciam, in qua praeter ipsos longe plures Batavi, atque etiam haud pauci Germannici Protestantes, praecipue ex Palatinatu consederant, sibi subjecerunt, et novum Eboracum nominarunt. Anno

1681. Guilielmus Pen, 2000 Quakerorum in terram ab eo Pensylvaniam dictam duxit, quibus postea multi ex aliis nationibus et religionibus, ex Batavis, Gallis, Germannis, Suecis accesserunt. In his suis coloniis Angli jam mature de evangelio etiam inter feros aborigines propagando cogitarunt; quem in finem non tantum Joannes Eliot, qui a suis apostolus Indianorum vocari consuevit, a. 1646. in novam Angliam abiit, ubi non sine successu laboravit, sed etiam a. 1649. societas ad evangelium in nova Anglia propagandum auctoritate publica erecta, et a. 1661. a Carolo II. rege confirmata, atque ad reliquas quoque colonias Anglicanas extensa est, quae collecto aere, ablegatis missionariis, erectis ecclesiis et scholis rem Christianam inter pristinos incolas non parum promovit. Similia in insulis, Anglis subjectis fiebant, ubi hi non minus, quam Catholici in suis possessionibus, praecipue nigros servos ex Africa adductos ad Christi religionem convertere conabantur.[2])

[1]) Cerri lib. cit.

[2]) Biblioth. Britanniq. t. XXIII. Bentheim (neu eröffneter englischer Kirchen- und Schulenstaat. Acta hist. eccles. 2. Bd.

§. 585. Status ecclesiae Christianae in Sina.

In Sina ecclesia Christiana per decursum saeculi 17. continua incrementa cepit. Medio circiter hoc saeculo ipsa imperatoris Yung-lie mater, primaria ejusdem uxor, nec non unus ex ejus filiis, et 50 faeminae aulicae baptismum susceperunt. Imperator Chun-tschi, qui non multo post in solium evectus est, Adamo Schall, Jesuitarum in Sina tunc doctissimo, admodum favebat, praesidium tribunalis mathematici, quo hactenus eruditi Muhamedani gavisi fuerant, ei demandavit, atque etiam religionem Christianam plurimum venerabatur, duasque ecclesias Pekingi aedificari permisit. At eo post breve tempus mortuo gravis contra Christianos persecutio excitata est. Tutores enim filii ejus octennis, quibus eruditus quidam Sinensis persuaserat, Christianos

proditores esse in seditionem pronos, Mandarinos quosdam Christianos, omnesque missionarios, et in his ipsum Adamum Schall a. 1664. vinculis onerarunt, postea in urbem Canton relegarunt, anno autem sequenti decreverunt, religionem Christianam erroneam et noxiam esse, cujus doctores morte afficiendi sint, quod tamen executioni datum non est. Cum a. 1669. juvenis imperator Cang-hi ipse regimen suscepisset, religioni Christianae in Sina laetiora ac unquam affulsere tempora. Hic enim eximius cultor scientiarum, adeoque etiam Jesuitarum, in locum Schallii, interea mortui, alium Jesuitam, Ferdinandum Verbiest, praesidem tribunalis mathematici constituit, missionarios ad ecclesias suas redire permisit, Mandarinis munera ademta restituit. Collegium tamen supremum caeremoniarum, a quo ipse imperator quodammodo dependet, a. 1671. expresse vetuit, ne quis Sinensium religionem Christianam amplecteretur. Haec lex tam parum quidem observabatur, ut eodem anno ultra 20,000. Sinensium, et sequenti etiam princeps quidam, imperatoris consanguineus, et unus ex supremis belliducibus Christo nomen darent. Interim tamen gubernator cujusdam provinciae, Christiani nominis inimicus, ea lege usus est, ad gravem contra Christianos persecutionem excitandam, quin imperator id impedire posset. Attamen Jesuitis supplicantibus, et imperatore ac principe ejus consanguineo intercedente, collegium caeremoniarum a. 1692. commemoratam legem revocavit, et Christianis plenam religionis libertatem concessit. Nunc Jesuitae novos e Gallia socios adduxerunt; imperator autem, quem usu corticis Peruviani a febri liberarunt, intra palatii sui moenia amplissimam eis domum donavit, et ecclesiam magnificam extruxit.

§. 586. Lites de ritibus Sinensibus.

Interea non modicae lites de ritibus quibusdam Sinensium inter missionarios ortae sunt, quae sequenti

potissimum periodo ad ecclesiam Christianam in Sina diminuendam quam plurimum contulerunt. Sinenses nempe in propriis aedium suarum cubiculis tabulas in honorem majorum suorum defunctorum appensas habebant cum inscriptione: Sedes animae hujus aut illius defuncti. Coram his tabulis certo tempore prosternebantur, luminaria accendebant, thus concremabant, in mensis appositis flores, fructus, panificia etc. offerebant, imo animalia mactabant. Eosdem honores eruditi etiam Confucio exhibere solebant. Similiter omnes Sinenses coram cadaveribus consanguineorum prosterni, luminaria ac thus accendere, et commemoratas res offerre in more habebant. Hos ritus Jesuitae, eo maxime moti, quod ipsi Muhamedani in Sina eos observabant, quod jam ante introductam idololatriam ibidem viguerunt, et quod Confucius ac defuncti neque dii, neque sancti a Sinensibus existimantur, ut mere politicos vel civiles considerabant, ac propterea Christianis quoque concedebant. At Dominicani, aliique monachi, qui inde ab anno 1631. evangelii propagandi causa in Sinam venerunt, eos religiosos, adeoque quod superstitionem Ethnicam saperent, a Christianis omittendos censebant. Lite ab eis Romam delata primo quidem congregatio de propaganda secundum eorumdem relationem ritus illos Christianis Sinensibus absolute interdixit, quod interdictum Innocentius papa X. a. 1645. solemniter confirmavit. At Jesuitae, qui post aliquot annos rem controversam secundum suos conceptus Alexandro VII. proponebant, ab hoc a. 1656. declarationem impetrarunt, ritus Sinenses mere civiles, adeoque Christianis concedendos esse. Hac decisione concordia inter missionarios in Sina restituta est, et usque ad annum 1693. perduravit, quo Carolus Maigrot, ex congregatione Lazaristarum in Gallia, vicarius apostolicus in Sinensi provincia Fo-kien decretum edidit, quo commemorati ritus, quasi ad idololatriam pertinentes, nec non usus vocabulorum Tien et Chang-ti de Deo, ut pote

quae

quae coelum materiale designent, adeoque pantheismo faveant, Christianis Sinensibus interdicebatur. Innocentius XII., a quo Carolus Maigrot sententiae suae confirmationem petiit, a. 1699. novum rei controversae examen selectis quibusdam inquisitionis Romanae seu sic dicti sacri officii membris commisit, a quibus vero hac periodo nondum sententia lata est.

Du Halde lib. cit. Leibnitii novissima Sinica. Daniel histoire apologetique de la conduite des Jesuites dans la Chine, in ejusdem recueils des divers ouvrages etc. Histoire des differands entre les missionaires, touchant le culte, que les Chinois rendent a leurs encetres et a l' idole Chin-hoan.

§. 587. Religio Christiana in India posteriori.

Etiam Indiae posterioris regnis quibusdam evangelium saeculo 17. missionariorum studio illatum est. Equidem in Tunkingum, cujus reges supremum Sinensium dominium tum agnoscebant, anno primum 1626. Jesuitae, Christum praedicaturi venerunt. Horum praecipuus erat Alexander de Rhodes, qui velut auctor ecclesiae Tunkingensis consideratur. Ipse ejusque socii, et qui post horum a. 1630. discessum ex eadem societate Jesu in Tunkingum venerunt, tam prosperum laborum suorum successum habuerunt, ut a. 1639. jam ultra 80,000 Christianorum in isto regno numerarentur. Saepius quidem persecutiones aut vexationes contra eos excitabantur; speciatim a. 1666. Christi religionem amplecti sub gravi poena interdictum est. His non obstantibus ea ulteriores continuo progressus fecit, ita ut posterioribus saeculi 17. annis major regni pars sacris Christianis addicta esset. — In Cochinchinam religio Christiana anno demum 1664., pariter Jesuitis auctoribus introducta, brevique tempore a multis incolis adoptata est.— In regnum Siamense Dominicani quidem jam 16. saeculo fidem Christianam introducere conati sunt, sed resistentibus Muhamedanis, quorum ibi magnus est numerus,

parum effecerunt. Elapsis abhinc ultra centum annis, Constantio quodam Graeco, qui olim in Gallia fuerat, et postea in Siam delatus primarius hujus regni administer evaserat, foederis spem faciente, Ludovicus XIV. rex Galliae a. 1685. legationem in Siam misit, regemque ad foedus et evangelium invitavit. Is quidem missionariis, qui cum legato advenerant, et scientiis mathematicis commendabantur, evangelii praedicationem permisit, ipse vero avitae religioni inhaesit. Missionarii non quidem fructibus praedicationis caruerunt; cum vero Galli, adductis post tres annos militibus et tormentis bellicis pedem in regno figere conarentur, proceres facta conjuratione Constantium administrum, ipsumque regem interfecerunt, Gallos autem una cum missionariis e regno ejecerunt. Nihilominus etiam post haec evangelium in Siam non sine fructu praedicatum est. Sic religio Catholica in omnibus, quibus justo modo praedicabatur, populis, utut moribus, ingenio, animo diversissimis, numerosos asseclas nacta, eoque vere Catholica, i. e. omnium cujusvis aetatis ac regionis hominum indigentiis conveniens comprobata est.

Cerri lib. cit. Tachard voyages de Siam. Deslandes histoire de M. Constance, premier ministre du roi de Siam.

§. 588. Religionis hostes inter ipsos Christianos.

Dum Christiani religioni suae inter populos Ethnicos in terris remotissimis propagandae operam dabant, inter eos ipsos haud pauci emergebant, qui Christianam, imo omnem religionem ore et calamo diversimode impugnarent, multosque ex sic dictis cultioribus et litteratis hominibus ad eam abjiciendam seducerent. Ejusmodi primo inter Italos erant, idque jam superiori perido a medio circiter saeculo 15. Seductionis fomentum subministravit philosophia Aristotelica, cujus existimatione et amore multi ultra modum capti, eorum, quae Christianae, imo omni religioni adversa continet, approbatio-

m, facta distinctione inter veritatem philosophicam et
ologicam, cum professione religionis Christianae
mbinare conabantur. Quemadmodum autem schola-
ci distinctione illa utentes, pro firma sua ad religio-
m Christianam adhaesione, sincere agebant, ita hu-
anistae, quorum nonnulli philosophiam Aristotelicam,
ipso fonte haustam, velut oraculum divinum cole-
nt, eadem distinctione nonnisi suam doctrinarum
ristianarum abjectionem velabant, et contra potesta-
ecclesiasticae animadversionem se tutos praestabant.
ejusmodi philosophis Aristotelicis praecipuus erat
trus Pomponatius, Italus, qui Patavii et in aliis Ita-
e urbibus philosophiam summa cum laude docuit, et
scriptis suis de animi immortalitate, de fato, libero
bitrio, praedestinatione et providentia divina, Dei exi-
ntiam et providentiam, animi immortalitatem et vo-
ntatis humanae libertatem incertam reddidit, ecclesiae
uper illudens, cum assertiones suas ejus judicio se
jicere profiteretur. Caeterum a. 1525. moriens ad ve-
religionem rediisse creditur. — Quemadmodum phi-
phiae, ita universae antiquorum Graecorum et Ro-
orum litteraturae, quae tunc restaurabatur, et in-
torum istis populis propriorum amor nonnullos, qui-
rerum novitas, et dictorum elegantia super omnia
ad venustatem et sapientiam Ethnicam Christianae
erendam traduxit. Hujus rei exemplum praebet
onius Laetus, qui Romulo aram extruxit, et reli-
n Christianam Barbaris convenire dixit. — Morum
tela, tunc temporis longe maxima, et in hac im-
s luxus, religioni nunquam amicus, animos per-
i irreligiosae facile aperiebat, quemadmodum ab-
ecclesiasticorum multitudo et magnitudo, super-
rassa et frequens late propagata, opinionum
carum magnus numerus ac deformitas, praetex-
iosum, religionem Christianam totam abjicien-
litabant. — Lutherus aliique eam quidem non-
andam suscipiebant; at audacia, qua spreto

ecclesiae universalis magisterio ac judicio, doctrinas et instituta, omnibus retro saeculis sacra abjiciebant, et ea sola, quae sibi veriora videbantur, retinebant, imo cuivis spiritui privato potestatem, fidei morumque doctrinas definiendi adjudicabant, sane multum contulit, ut alii ulterius progrederentur, et vel alterum adhuc religionis Christianae fontem, s. scripturam, quae et ipsa ab ecclesia tradita erat, rejicerent, vel plures adhuc doctrinas, quas sic dicti reformatores inter essentiales retulerant, expungerent. Inde erat, quod non multo post novationum religiosarum initia diversis in locis antitrinitarii surgerent, et circa annum 1546. Vincentiae societas litteratorum eum in finem coalesceret, ut s. scripturae effatis ad trutinam rationis humanae vocatis, characteristicas religionis Christianae doctrinas intellectui impervias eliminaret.

§. 589. Ex Italis.

Societate Vincentina detecta et dissipata, ii qui potestatis publicae manus evaserant, per diversas Europae partes dilapsi, aliis in regionibus, praesertim in Polonia principia sua antichristiana propagabant. Nihilominus per reliquam saeculi 16. et priorem 17. partem complures religionis Christianae hostes in Italia perseverabant, et virus suum in occulto diffundere conabantur. Tales erant: Jordanus Brunus, Nolanus, qui deserto Praedicatorum ordine per Galliam, Helvetiam, Germaniam, et Angliam vagans, modo Calvini, modo Lutheri placita profitebatur, re vera autem pantheismo, quem cum emanationis aeternae systemate conjunxit, addictus erat. In Italiam reversus Venetiis comprehensus, et Romae a. 1600., cum retractare nollet, concrematus est. Cosmus Ruggierus, Florentinus, quem Catharina Medicaea, Galliae regina qua astrologum ad aulam suam vocavit, et abbatia donavit, propter atheismum, quem adhuc in mortis articulo professus est, sepultura ecclesiastica privatus. († 1615.) Julius Caesar, proprie La-

cilius Vanini, Taurisani in regno Neapolitano natus, qui, postquam varias terras oberrasset, tandem Tolosae in Gallia, ubi artem medicam, philosophiam, et theologiam docebat, propter dispersas a se doctrinas, Catholicae, imo omni religioni adversas, a. 1619. concrematus est. Ex scriptis ejus tales doctrinas praecipue continent 4 libri de admirandis naturae reginae, deaeque mortalium arcanis, in quibus maximum de religione non tantum revelata, sed etiam naturali incertitudinem et indifferentiam prodit, Christianam a concursu Jovis et solis derivat, omniaque miracula sive ex magia, sive ex phantasia vividiori explicari posse dicit. Idem ad mortem condemnatus coram senatu Tolosano confessus est, se inter et alios viros litteratos Neapoli convenisse, ut diversas terras peragrantes principia atheistica per totam Europam disseminarent. Horum plerique quemadmodum ea, quae non intelligebant, religionis mysteria rejicientes altiorem sapientiam et mentem a superstitione liberam jactabant, caeterisque sibi non assentientibus ignorantiam et stultitiam impingebant; ita ab altera parte, ut de perversis eorum moribus nihil dicatur, magiae et astrologiae somniis superstitiosissimis indulgebant.

§. 590. Ex Gallis.

Majori numero religionis adversarii in Gallia pullularunt, quo complures Italicorum fugiebant, et satis mature proselytos multos nanciscebantur. Hi religionem variis armis impetebant. Alii in operibus, diversa tractantibus, dum in superstitionem, abusus, monachos, sacerdotes irrisionibus et cavillationibus invehi videbantur, reapse religionem ipsam contemtui exponebant. Ex his erant: Stephanus Doletus, typographus, simulque rhetor ac poeta, a. 1546. tanquam atheista concrematus; Franciscus Rabelais († 1553.) cujus scripta etiam nugis obscoenis scatent; Henricus Etienne seu Stephanus, pariter typographus († 1598.) qui irrisiones

suas contra religionem Christianam sub forma apologiae fabularum Herodoti proposuit. Imo exeunte saeculo 16. multi humanistae in Gallia atheismum vel deismum foventes in societatem coaluerunt, ut junctis consiliis eo magis eundem propagarent; quos inter notatu dignior est poeta Viaudus, Theophilus inter socios dictus, cujus parnassus satyricus per carnificem concrematus, ipse vero e Gallia relegatus est. — Alii religionem Christianam impugnantes philosophorum in morem agebant. Ex his erat Joannes Bodinus, juris consultus († 1596.) qui praecipue in suo colloquio heptaplomeri de abditis rerum sublimium arcanis, indifferentiam in religionis negotio, et vilipensionem Christianismi manifestavit. In eo enim inter alia dixit, nihil obstare, quo minus plures dii colantur, solem adorantes à Deo praemiis afficiendos esse, antiquissimam religionem esse optimam, eam scilicet, quam Deus cum sana ratione animo humano indiderit, omnes religiones Deo gratas esse; quas cum inter se confert, Christianam ceu vilissimam sistit. Historiam Jesu Christi incertam pronuntiat, ipsique diversimode irridet, conjunctionem naturae humanae cum divina fieri posse negat, et divinam Trinitatem e philosophia Platonica repetit. — Anno 1621. sex viri conjunctionem de religione Christiana eliminanda et naturali introducenda inierunt, et Burgofonte de mediis, quibus consilium istúd efficiendum sit, deliberarunt, quam tamen conspirationem alii confictam esse contendunt.

§. 591. Continuatio.

Rex Ludovicus XIV. qui a. 1661. ipse regni habenas capessit, ad incredulitatem et contemtum religionis promovendum non uno modo contulit. Prioribus enim regiminis annis praeter alia ejus studium, litteras et artes liberales ad summum florem perducendi, hunc quoquo effectum habuit, ut inter veros et honestos viros eruditos etiam tales pullularent, qui phan-

tasiae et sensuum oblectamentis inservientes, et propter philosophiam leviter gustatam, ingenium illustratum in despectu religionis ponentes, hunc ipsum in variis scriptis, poetici maxime generis, aliis quoque communicare studebant. Ejusmodi erant: Linierus, poeta, quem atheum de Sylvanecto vocare solebant, quemque vir quidam eruditus nonnisi contra Deum ingenium habuisse dixit; Dionysius Vairasse, qui a. 1677. historiam Severamborum edidit, quem populum eum in in finem confinxit, ut sub hoc velamine historiam ecclesiae Christianae traducere, ipsamque hujus ecclesiae religionem despectam reddere posset, quod idem fecit Bernardus de Fontenelle († 1757.) in descriptione insulae Borneo, a. 1684. primum typis vulgata. Hoc historiarum fictarum, fabularum Romanensium, itinerariorum etc. schemate plures inter Gallos ad animos a religione abalienandos utebantur. Posteriori Ludovici tempore, cum id genus litteratorum apud aulam non amplius in pretio esset, ii indignatione et invidia commoti jam junctis consiliis contra clericos, imprimis Jesuitas, et contra ipsam religionem, in quibus causam, cur ipsi nunc negligerentur deprehendebant, ore et calamo declamabant, quibus eorum coeptis acres lites, inter Jesuitas et Jansenistas tunc agitatae, et morum corruptela, jam admodum magna, et late inter ipsos clericos diffusa, non parum subveniebant. Hinc indifferentismus et irreligio continuo latius inter Gallos serpebat, ad cujus propagationem posteriori saeculi 17. tempore plurimum contulit Petrus Bayle, filius praedicatoris Hugonottae, qui postquam ab ecclesia Catholica, ad quam juvenis transierat, ad suos reversus fuisset, primum Sedani, dein sublata hic schola, Rotterdami munere professoris philosophiae functus est. († 1706.) Hic vir, qui eruditione quidem et ingenii acumine eminebat, sed et libidine, de rebus historicis, dogmaticis et moralibus dubitandi laborabat, scepticismum et atheismum haud obscure proficebatur aliisque propinabat,

praecipue in suo dictionario historico-critico, latissime propagato, in quo de omnibus omnium gentium et temporum hominibus insignioribus notitiae historicae suppeditantur, iisque observationes diversissimae, plerumque tamen fidei historicae, religioni, et doctrinae morali inimicae admiscentur. Religioni ipsi crimina ab ejus asseclis commissa imputavit. Superstitionem atheismo pejorem dixit, et virtutem cum isto facilius, quam cum illa consistere contendit, ad quod probandum honestissimos, quos invenire poterat atheos cum perversissimis supertsitiosis comparavit. Idem argumentum ex consensu populorum et ex conceptibus homini innatis pro Dei existentia deduci solitum, nullius valoris esse ostendere conatus est, atque rationi humanae vim abnegavit, in rebus ad religionem pertinentibus ad certitudinem perveniendi, specie quidem, ac si propterea revelationi soli inhaerendum esset, reapse autem, ut, cum revelationem pariter incertam redderet, omnem religionem inanem esse demonstraret. Systema Manichaeorum omnium firmissimum et in ipsis bibliis contentum declaravit. Denique veram et falsam Dei cognitionem ex diversa hominum diversorum natura dependere, utramque meriti et imputationis expertem, nec certis criteriis ab invicem distinguendam esse docuit, idemque fere de vitio ac virtute pronuntiavit.

§. 592. Ex Batavis.

In Batavia altero saeculi 17. dimidio Judaeus quidam, nomine Spinoza prius revelatae, postea omnis religionis adversarium se exhibuit. Cum propter sententias suas heterodoxas a Judaeis excommunicatus esset, ad Christianos tamen non transivit, sed tantum nomine suo Hebraeo Baruch in aequivocum Latinum »Benedictus« mutato, philosophiae studio totam suam vitam, plerumque Hagae in Hollandia dedicavit, ejus subsidia arte quadam sibi comparans. († 1677.) Sententias, revelatae religioni adversas protulit in suo tra-

ctatu theologico-politico, in cujus fine secundum consilium hujus operis comprobare nititur, in libera civitate cuivis libertatem esse oportere, ea, quae sibi placeant, non tantum cogitandi, sed etiam dicendi. Inter alia ibi dicit, doctrinas theoreticas prophetarum nihil ad nos attinere; sub Spiritu s., quo repleti fuisse dicuntur, eorum dotes praestantiores, vividiorem phantasiam, et vitae pietatem intelligendam esse; miracula non esse, nisi eventus naturae insolitos, a plebe altiori causae adscriptos; quae in s. scriptura legibus naturae contraria inveniantur, ab hominibus impiis inserta fuisse; libros v. f. tempore, cui eorum origo tribuitur, longe juniores esse; apostolos, prophetis inferiores, nonnisi naturales suas de religione cognitiones tradidisse; ad fidem non tam veras quam pias doctrinas requiri; summam doctrinae in sacris litteris traditae hanc esse: »est Deus, aeternus, omnipraesens, omnium rerum dominator et dominus, justitiae et amoris exercitio colendus, quod qui fecerint, beatitatem coelestem consequentur, poenitentibus a Deo peccata condonantur.« Sed proprium religionis Spinozae systema continetur in opere, post ejus mortem demum in lucem emisso, cui titulus: ethica, more geometrico demonstrata. In eo pantheismum tradidit, cujus principalis propositio haec erat: non esse, nisi unicam substantiam, eamque Deum, infinitae extensionis et infinitae vis cogitandi; omnes res in hoc mundo, et omnia, quae in eis accidunt, non esse, nisi modificationes unicae illius substantiae; omnia ergo in Deo esse et ad Deum pertinere; pro hoc animum humanum partem esse infinitae vis cogitandi divinae. Huic systemati convenienter etiam libertatem voluntatis humanae et fines rerum, actionumque humanarum moralitatem negavit. Non deerant, qui huic Spinozae systemati assentirentur, illudque amplius explicarent et exornarent. Ex his praesenti adhuc periodo innotuerunt: Lucas, medicus Hagae; Abrahamus Johanson Kuffelaer, jurisconsultus Ul-

trajectensis; Henricus Wyermar, mercator Amstelodamensis. At vero haud paucis Spinozismus immerito adjudicatus est.

§. 593. Ex Anglis.

Serius irreligio in Anglia prorupit, sed eo liberius et vehementius abhinc grassata est. Multiplices lites, quae in isto regno inter numerosas factiones ecclesiasticas de diversis et haud raro minutis rebus, ad religionem relatis, magna plerumque vehementia et persecutionis studio, labente potissimum priori saeculi 17. dimidio agitabantur, non exiguum offendiculum praebebant, animosque eorum, qui vel supra vulgus sapere volebant, vel in vitam solutiorem propendebant, facile a religione Christiana avertere poterant. Cum dein Carolus II. qui non multo post medium ejusdem saeculi ad regnum pervenit, morum dissolutorum, et religionis vilipensae ac irrisae exemplum praeberet, aulici et cultiorum hominum plurimi eo magis illud sequebantur, quo molestius severior habitus religiosus externus, quem Cromvellius usurpator introduxerat, eis acciderat. Idem rex Carolus, inter Catholicos in Gallia diu versatus, horum religioni eo magis favebat, quod ejus uxor et frater eidem addicti essent, atque jam, quo laetiorem ei sortem pararet, latissimam tolerantiam, et illimitatam fere de religione scribendi libertatem in Angliam introduxit. Hac libertate multi usi sunt ad sua animi sensa, religioni Christianae inimica, scriptis exponenda, et ad alios plurimos propaganda. Duplicis autem potissimum generis erant, qui inter Anglos religionem illam impetebant: alii namque serias de ejus veritate disquisitiones instituebant, alii levioribus joci et leporis armis contra eam pugnabant, iisque plures quam illi ad defectionem seducebant. Ex posterioribus erant: Joannes Wilmot, comes Roffensis, non minus vitiosus, quam ingeniosus, qui carminibus et libellis religioni irridebat, morti tamen

eorumque scripta contemsit, et expectationem
rerum post mortem status non tantum errone-
l etiam noxiam esse ostendere conatus est. Alii,
n directe religionem Christianam impugnarent,
men proferebant, quibus persuasio de ejus veri-
animis hominum leviorum aut imperitorum la-
ri poterat; velut Bernardus Connor, Hibernus,
is, ab ecclesia Catholica ad Anglicanam trans-
, Cantabrigiae et Oxonii professor († 1696.), qui
ne miracula biblica ex scientiis suis physicis ex-
praesumsit; Joannes Locke, celebris philoso-
† 1704.) qui religioni Christianae solam de Jesu
doctrinam peculiarem esse contendit; Joannes
Scotus, mathematicus, qui probabilitatem hi-
Jesu eo magis decrescere statuit, quo magis
s vitae ejus recedat, annumque jam definivit, quo
s defectura esset.

§. 594. Continuatio.

ter illos, qui disquisitionibus philosophicis reli-
n Christianam aggressi sunt, primus fuit Eduar-
erbertus, Baro de Cherbury. Is, qui aliquamdiu
e legati apud aulam Gallicam fungebatur († 1648.)

hendisse visus est. Erant autem sequentes: est Deus, summe potens, summe beatus, rerum omnium finis, auctor bonorum omnium, aeternus, infinite bonus, justus et sapiens. Ei cultus religiosus exhibendus est, ad quem pertinent preces, gratiarum actiones, oblationes, ecclesiae ac proprii religionis ministri. Optima pars adorationis, Deo debitae, consistit in recta virium hominis spiritualium conformatione. Omnia vitia et crimina poenitentia expiantur. Post hanc vitam praemia et poenae erunt. Revelationem Herbertus nonnisi eam admittendam esse statuit, quae cuivis ipsi obtigerit; talem et sibi revera obtigisse affirmavit, narrans, sibi de libro suo vulgando incerto, et signum a Deo precato mox sereno coelo et aere quieto susurrum amoenum, approbativum scilicet, exhibitum fuisse. — Post Herbertum Thomas Hobbes, communiter philosophus Malmesburiensis dictus, († 1679.) non tantum revelatam, sed omnem fere religionem in suis scriptis rejecit, inter quae notatu dignior est ejus Leviathan, sive de materia, forma, et potestate civitatis ecclesiasticae et civilis. Deus Hobbesio nihil erat, nisi occulta prima omnium motuum causa, quam homo ex principiis rationis theoreticae statuere debeat, cujus autem proprietates prorsus non possit cognoscere. Religionem omnem ex timore, ex consuetudine, ea, quae timentur, colendi, ex ignorantia derivavit. Omnes affectus et passiones humanas, indeque nascentes actiones in se, et extra consociationem civilem indifferentes esse, et discrimen inter bonum et malum morale ex definitione potestatis civilis descendere contendit. Supremo civitatis rectori incircumscriptam potestatem adjudicavit, ex qua etiam s. scripturam authentice interpretari, eique auctoritatem divinam et vim obligatoriam indere, fidem praescribere, at vero ad hanc quoque abnegandam (salva tamen semper interna) obligare possit. Tales doctrinae, quantumcunque exorbitantes, et dignitatem salutemque humanam laedentes, tamen novitate sua et

auctoris audacia, fiducia, ac stylo eleganti haud paucos asseclas nactae sunt. Sententias Herbertianis similiores proposuit Carolus Blount, nobilis, qui, quod defunctae uxoris suae sororem conjugem accipere legibus prohiberetur, a. 1693. ipse se interemit. Is primo, quo originem religionis Christianae suspectam redderet, vitam Apollonii Tyanensis a Philostrato conscriptam edidit, lectores ad hunc cum Jesu Christo comparandum inducturus. Praeterea in epistola ad se ipsum directa systema religionis naturalis ab Herberto propositum repetiit, et quinque illius propositionibus has duas addidit: Deum providum esse mundi rectorem, et obedientiam erga eum in observandis sanae rationis dictaminibus consistere. In aliis quoque scriptis, velut: anima mundi, religione laici, oraculis rationis, doctrinas religioni Christianae adversas tradidit. Alio modo eandem religionem aggressus est Joannes Toland, Hibernus, qui 16 annos natus a Catholica defecit, et postquam ad altiorem in republica gradum emergere frustra tentasset, malaque rei domesticae administratione facultates suas dissipasset, libris scribendis victum sibi parare studebat, diuque multas Europae terras oberrabat. Is primum in libro: religio Christiana non mysteriosa, nihil, quod intellectum humanum excedat, in s. scriptura contineri ostendere conatus est. Dein hac adhuc periodo occasione scriptorum Joannis Milton a se editorum genuinitatem librorum n. t. in dubium vocavit. Reliqui contra religionem insultus sequenti periodo ab eo facti sunt.

§. 595. Ex Germannis. Media scriptis irreligiosis opposita.

Inter Germannos irreligio hac quidem periodo progressus ampliores nondum fecit, siquidem etiam Protestantes ad suum religionis systema conservandum, libertatem, contra illud docendi et scribendi minime concedendam esse intelligebant. Singuli tamen inter

eos non defuerunt, qui doctrinas foverent aliisque communicarent, religioni Christianae adversas. Etiamsi enim, quae Matthias Knutz de societatibus conscientiariorum, i. e. libere de religione sentientium et suam solummodo conscientiam sequentium, quae Jenae, et in omnibus urbibus majoribus existerent, annuntiavit, conficta essent, ipse tamen religioni Christianae vix additus erat. Christianus Knorr a Rosenroth, cancellarius Solisbaccensis († 1689.) historia Severamborum in linguam Germannicam translata, aliisque scriptis editis, religioni Christianae adversis, indifferentem in religionis negotio se exhibuit; Fridericus autem Guilielmus a Stosch, qui amplo munere publico Berolini fungebatur, († 1704.) in libro, cui titulus: concordia rationis et fidei, seu harmonia philosophiae moralis et religionis Christianae, doctrinas Spinozae et Hobbesio proprias proposuit. — Quod jam attinet effectum, per scriptores Deistas et Atheos, hactenus commemoratos, et alios non commemoratos, qui sententias suas sine dubio etiam oretenus communicabant, productum, in majoribus Italiae, Galliae et Angliae urbibus non exiguus virorum semieruditorum et cultiorum numerus a religione Christiana abstractus, viaque patefacta est, qua sequenti periodo longe major in pluribus terris et locis ab eadem abstraheretur. — Ad hos irreligionis progressus cohibendos tum a viris privatis scripta apologetico-polemica composita, tum a potestate civili et ecclesiastica severiora media adhibita sunt. Sic commemoratus Stoschii liber suppressus, et contra eum lecturos aut retenturos gravis pecuniae mulcta et castigationes corporales statutae sunt, auctor vero custodiae traditus, et nonnisi postquam retractasset, libertati restitutus est. In Italia et Gallia nonnullos religionis hostes concrematos fuisse, jam data occasione narratum est. In Anglia plures ex assertionibus Hobbesianis ab utraque universitate damnatae, earumque defensores ad eas abjurandas adacti sunt. In eadem terra

Tolandi, „religio Christiana non mysteriosa,"
potestatis publicae per manum carnificis palam
crematus est. Ibidem Robertus Boyle, comes Hi-
us, qui totum vitae suae tempus et amplas divi-
suas naturae cognoscendae et religionis promoven-
studiis impendit, in testamento suo a. 1691. fun-
nem fecit, vi cujus quotannis certa pecuniae sum-
illi datur, qui in certa ecclesia Londinensi octo
ones ad religionem Christianam contra incredulos
ndendam habuit. Sed his mediis sinceri potius Chri-
ultores in fide sua firmati, quam homines, in irre-
nem proni ab ea retenti vel revocati sunt.

Caput secundum.

De fatis doctrinae Christianae.

6. Primi motus per Lutherum excitati.

um praecipui theologi hujus periodi eorumque
in historia theologiae commemoranda sint, iis
etermissis mox ad fidei controversias et haere-
uibus doctrina Catholica opponebatur, accedi-
rimariae, a qua novam periodum inchoamus,
haec erat. In commendandis indulgentiis, quas
a X. pro aere, ad bellum contra Turcos, et ad
m templi, Romae divo Petro sacri conferendo
obtulerat, praedicatores ad hoc negotium desti-
rimis Joannes Tezel, Dominicanus Pirnensis
a, excessus committebant, verae poenitentiae
Iis se opponebat Martinus Lutherus, a. 1483.
Thuringia natus, Augustinianus Erfordiensis,
oris in universitate Wittenbergensi, nuper
fessor theologiae, quam deserta scholastico-
do, potissimum e s. scriptura tradebat, cu-

jus studio jam multo abhinc tempore maxime delectabatur, quapropter etiam Graecae et Hebraicae linguae operam navabat. Eidem confessiones excipienti occurrebant, qui indulgentiis a se acquisitis freti, nullum de peccatis dolorem prodebant, et poenitentiae opera suscipere recusabant. Igitur Lutherus in sermone ad sacram concionem dicto, et typis quoque vulgato, non tantum indulgentias vilipendit, sed etiam tres, quas ad poenitentiam theologi requirebant partes, contritionem, confessionem, et satisfactionem in s. scriptura, quae nonnisi dolorem de peccatis et emendationem exigat, fundari negavit. Non multo post, pridie festi omnium sanctorum a. 1517. valvis ecclesiae collegiatae Wittenbergensis, ad quam die isto propter indulgentias ibi lucrandas magnus concursus fiebat, 95 theses, disputationi destinatas affixit. In his asserebat, indulgentiis nonnisi poenas ecclesiasticas seu opera satisfactoria remitti; pontificem animabus in purgatorio nonnisi per modum suffragii succurrere posse, quod quilibet parochus non minus possit; Christi sanctorumque merita non esse thesaurum, e quo pontifex indulgentias concedere possit, id eum posse ex potestate clavium, quae vero ad purgatorium non extendatur; quemvis Christianum sola contritione plenam culpae et poenae remissionem a Deo impetrare, et pontificis condonationem nonnisi declarationem remissionis a Deo factae reputandam esse. Caeterum Lutherus in suis thesibus exorbitantes et moralitati inimicas illorum, qui indulgentias praedicabant, de iisdem doctrinas censura notavit. Illud vero praetereundem non est, eum in suis assertionibus parum sibi constitisse. Sic thesi tertia concessit, Christi effatum de poenitentia agenda non tantum de interna animi emendatione, sed etiam de variis carnis mortificationibus ea producendis intelligendum esse, et nihilominus Deum nullas a peccatore resipiscente mortificationes exigere contendit. Propositione 49. concessit, indulgentias utiles, eosque anathematizandos

matizandos esse, qui contra veritatem indulgentiarum apostolicarum loquantur, cum tamen alio loco dixisset, iis imperfectionem moralem foveri, eas propter tepidos tantum tolerandas esse. Ex his omnibus concludere licet, eum jam tum de universa poenitentia systema tenuisse, a doctrina Catholica alienum, quod ab initio dictionibus orthodoxis hinc inde aspersis occultare studebat. Et quo invidiosum ac periculosum haeretici nomen a se arceret, in protestatione, thesibus suis addita, declaravit, sibi non esse in animo, quidquam asserere, quod s. scripturae, ecclesiae patribus, sacris canonibus, et pontificum decretis adversetur, cum tamen eum minime fugeret, doctrinam de thesauro meritorum in quodam decreto Clementis VI. prostare. Similiter quidem protestatus est, se cunctas assertiones suas judicio superiorum subjicere, solius disputationis causa a se propositas. Quam parum autem judicio improbativo se submiserit, eventus abunde docuit.

§. 597. Continuatio.

Cum plurimorum per Germanniam animi indulgentiarum pontificiarum annuntiatione, brevi tempore saepius repetita, pecunia a lucraturis exacta, et abusibus a praedicatoribus commissis, ipsique vulgo perspectis offensi, insuper a pontificibus propter malos quorumdam mores, tributa ab eis exacta, et abusus non sublatos haud parum abalienti essent; theses Lutheri huic animorum statui congruentes, et non minori varietate, quam energia aculeis plena propositae, brevi tempore per universam Germanniam propagatae et a multis approbatae sunt. Ex theologis autem mox plures calamum contra eum strinxerunt, velut idem Tezelius, Sylvester Prierias, pariter ex ordine Praedicatorum, Romae sacri palatii magister, Jacobus Hoogstraten, et ipse Dominicanus Coloniensis, ac pravitatis haereticae inquisitor, Joannes Eck, theologiae in universitate Ingolstadiensi professor, et celeberrimus fere theo-

lgo Cajetanus dictus, theologo-
primarius, sed cum ex ordine
artium studii suspectus. Post-
anno 1518. Augustae, ubi legati
ris, hoc mandante, illius se-
paruisset; cardinalis ab eo
actaret, speciatim hos:
ramenti eucharistiae,
n constituere the-
Lutherus retra-
quam concesse-
ctrinam de thesauro
men in sua protestatio-
, se sibi non esse conscium,
pontificum decretalibus adver-
as suas ecclesiae decisione sub-
riis suis silentium foret imposi-
inceps se taciturum esse promi-
lis his omnibus non acquiesce-
urgeret, et recusanti ejusque
nem et interdictum minaretur;
et testibus, a papa non bene
rmandum provocavit, et inscio
sit. Hic quidem ab electore Sa-
rum vel Romano pontifici tra-
terris ejiceret. Sed elector, qui
utrumque denegavit, has cau-
Lutherus haeresis nondum con-
s multi viri eruditi eum ortho-
quod universitas Wittenbergen-
gnum decrementum passura fo-
am iniens, in bulla, non multo
poena excommunicationis cre-
m vi potestatis clavium poenas
inae debitas, ex thesauro me-
s tam vivis quam defunctis in
sse. Sed cum doctrina, ita con-

logorum scholasticorum in Germannia. Sed nimiae eorum assertiones studiumque ipsos abusus, vulgari intellectui pervios defendendi, numerum eorum, qui Luthero assentiebantur et favebant, potius auxit. Ipse adversariis suis respondere non omisit, qua in re magnam animi vehementiam et propensionem in convitia ac irrisiones prodidit, et in prooemio adnotationum suarum in librum Prieriae, pontificem jam antichristum, Romam Babylonem, et aulam pontificiam synagogam Satanae appellavit, ibidemque conciliorum oecumenicorum infallibilitatem negavit. Alia praeterea scripta, maxime in usum populi, labente anno 1518. vulgavit, nominatim duos sermones de poenitentia, in quorum altero asserebat, neminem hominum peccata remittere, remissionem autem a Deo factam non solum sacerdotem, sed quemvis Christianum annuntiare posse. In comprobatione autem thesium suarum, quam eodem anno contra promissum, episcopo Brandenburgico, ordinario suo datum, nomine resolutionum edidit, conciliis oecumenicis jus, fidei dogmata statuendi, abnegavit, et ecclesiam reformatione indigere, hanc vero a nemine hominum tentandam, sed soli Deo relinquendam esse affirmavit.

§. 598. Conamina, Lutherum ad ordinem redigendi.

Resolutiones illas Lutherus etiam pontifici transmisit una cum epistola, in qua coepta sua excusavit, et in fine se totum pontificis arbitrio subjecit, ejus vocem ceu vocem Christi se consideraturum, imo ne mortem quidem, si hanc pontifex ipsum meruisse judicaverit, se recusaturum dixit, cum tamen paulo superius, se revocare non posse affirmasset. Leo de motibus, per Lutherum excitatis aliunde edoctus, ut hunc ad rationem reddendam evocaret, suo in comitiis, a. 1518. Augustae Vindelicorum celebratis legato mandavit. Erat is Thomas, archiepiscopus Panormitanus et cardinalis,

ajeta, urbe patria vulgo Cajetanus dictus, theologo-
ı suae aetatis fere primarius, sed cum ex ordine
edicatorum esset, partium studii suspectus. Post-
ım Lutherus eodem anno 1518. Augustae, ubi legati
derici, Saxoniae electoris, hoc mandante, illius se-
itati prospiciebant, comparuisset; cardinalis ab eo
tulavit, ut errores suos retractaret, speciatim hos:
fide non percipi gratiam sacramenti eucharistiae,
Christi, sanctorumque merita non constituere the-
rum ecclesiae pro indulgentiis. At Lutherus retra-
tionem constanter recusavit, et quamquam concesse-
, in duabus bullis pontificiis doctrinam de thesauro
ritorum propositam esse, tamen in sua protestatio-
cardinali tradita, dixit, se sibi non esse conscium,
uid docuisse, quod pontificum decretalibus adver-
ır. Caeterum doctrinas suas ecclesiae decisione sub-
t, atque si adversariis suis silentium foret imposi-
, de indulgentiis deinceps se taciturum esse promi-
Quum vero cardinalis his omnibus non acquiesce-
sed retractationem urgeret, et recusanti ejusque
lis excommunicationem et interdictum minaretur;
rus coram notario et testibus, a papa non bene
nato ad melius informandum provocavit, et inscio
nali Augusta discessit. Hic quidem ab electore Sa-
petiit, ut Lutherum vel Romano pontifici tra-
vel e suis saltim terris ejiceret. Sed elector, qui
i coeptis favebat, utrumque denegavit, has cau-
etendens, quod Lutherus haeresis nondum con-
esset, sed potius multi viri eruditi eum ortho-
censerent, et quod universitas Wittenbergen-
lius discessu magnum decrementum passura fo-
ır Leo aliam viam iniens, in bulla, non multo
a, omnibus sub poena excommunicationis cre-
cepit, pontificem vi potestatis clavium poenas
s, justitiae divinae debitas, ex thesauro me-
er indulgentias tam vivis quam defunctis in
remittere posse. Sed cum doctrina, ita con-

firmata, hactenus tanquam mera opinio theologica considerata fuisset, neque pontifici jus, fidei articulos statuendi ab omnibus adjudicaretur, cumque in illa bulla omnis contradictio contra ea, quae hactenus de indulgentiis praedicata fuissent, vetaretur; ea speratum effectum non produxit, sed Lutherus a pontifice ad concilium oecumenicum provocavit. Nunc Leo intelligens, Lutherum, electoris praesidio tutum, jussis et minis ad retractationem perduci non posse, Carolo Miltiz, nobili Misniensi, cubiculariorum suorum uni, simulque plurium ecclesiarum in Germannia canonico, negotium demandavit, rem pacifice componendi. Verum hic eo usque lenitatis seu potius ineptiae progressus est, ut Luthero adularetur, diceretque, se in itinere constitutum fideles tanta frequentia ab ejus parte stantes deprehendisse, ut numeroso exercitui, Romam eum perducturo, eripiendus foret. Ita vero Lutheri animum obfirmavit, nihilque ab eo impetrare potuit, nisi quod promitteret, se silentium conditionatum observaturum, se nimio fervore abreptum scripto confessurum, omnesque ad obedientiam erga ecclesiam Romanam adhortaturum, denique ejusdem argumenti epistolam ad papam scripturum esse, quod reapse fecit, et in qua coram Deo testatus est, se neque voluisse, neque nunc velle pontificis aut ecclesiae Romanae potestatem ullo modo tangere, quam omnibus, excepto Jesu Christo superiorem esse confiteatur.

§. 599. Disputatio Lipsiensis.

Quod facile provideri poterat, silentium nempe non observatum iri, paulo post reapse evenit. Inter Eckium scilicet et Andream Bodenstein, a loco natali in Franconia, vulgo Carolostadium dictum, canonicum et archidiaconum Wittenbergensem, Lutheri collegam et asseclam, lis de viribus voluntatis humanae ad bonum relatis exorta fuerat. Quae postquam aliquo tempore scriptis agitata fuisset, Eckius Carolostadium ad

publicam disputationem provocavit; et quoniam Lutherus idem ac Carolostadius systema de voluntate humana tenebat, et refutationem, quam Eckius thesibus ejus opposuerat, acriter impugnarat, theologus Ingolstadiensis Wittenbergensem, editis nunc contra eum thesibus, aliisque modis ad disputationem illam participandam quadammodo adegit. Ea aestate anni 1519. Lipsiae coram multis viris nobilibus et doctis habita est. Carolostadius, qui sicut Lutherus mentem S. Augustini sibi sequi videbatur, re vera autem ex ejus sententiis conclusiones deducebat, illi non probatas, tantam voluntatis humanae ad bonum morale infirmitatem propugnabat, ut illi nulla hujus pars esset, sed totum a gratia divina efficeretur, adeoque liberum arbitrium prorsus sustulit. Eckius e contra, quamvis secundum S. Augustinum et ecclesiam Catholicam bonum morale, quod homo faciat, totum a gratia divina derivaret, idem tamen non totaliter a Deo effici contendebat, sed eam partem homini vindicabat, ut gratiae divinae eum tangenti vel obtemperare vel resistere possit, adeoque libertatem arbitrii humani salvavit. Cum Luthero Eckius, praeter varios articulos ad poenitentiam et indulgentias pertinentes, de purgatorio et de papae potestate ecclesiastica disputavit. Illud a se quidem credi Lutherus confessus est, attamen e s. scriptura probari posse negavit, Maccabaeorum libros e sacro canone expungens. Papam ex institutione divina ecclesiae caput aut primatem esse negavit, qua occasione asseruit, inter Hussii articulos, a concilio Constantiensi damnatos, plurimos fidei Christianae et evangelio conformes fuisse. Illud etiam Lutherus in hac disputatione disertis verbis fassus est, quod jam diu reapse fecerat, se nempe omnium ecclesiae patrum, seu traditionis effata spernere, quamprimum s. scripturae adversentur. Similiter sicut jam antea, ita et nunc conciliis oecumenicis infallibilitatem abjudicavit, eoque prodidit, quaenam subjectio ab eo praestanda foret, si concilium oe-

cumenicum, ad quod provocaverat, ejus sententias rejecturum esset. Igitur jam traditionis et ecclesiae auctoritas apud Lutherum nulla, et sola s. scriptura ad ipsius mentem explicata, credendorum fons et norma ei erat. Caeterum inter Eckium et Lutherum ita disputatum est, ut neuter alteri cederet, sed uterque victoriam sibi adscriberet. Hac disputatione controversia, a Luthero excitata, quae forsitan sopiri potuisset, ad novas materias, inter quas papae primatus imprimis periculosa erat, extensa latiusque propagata est, partim quod multi omnis generis eruditi adfuerint, partim quod ejus historia cum arbitrio, Luthero victoriam adscribente, typis fuerit vulgata, partim quod litigantes disputationem scriptis continuarint, in quorum aliquo (resolutiones Lutheri super propositionibus suis, Lipsiae disputatis) Lutherus assertiones suas stabilire, et imprimis doctrinam, jam dudum a se propositam vindicare conatus est: ad justificationem bona opera non esse necessaria, sed peccatorem sola fide, seu fiducia in merita Christi, Deo probatum reddi. Cui opinioni, cum inter alia disertissima apostoli Jacobi effata obstent, Lutherus ejus epistolam nunc contemnebat, eamque Paulinis longe inferiorem esse dictitabat.

§. 600. Reformatio ecclesiae a Luthero proposita.

Lutherus alia quoque scripta eodem adhuc anno 1519. edidit, in quibus sententias suas uberius explicabat et stabilire satagebat. In his coeptis eo magis firmabatur, quod multi eruditorum, imprimis eorum, qui litteras humaniores colebant, ipsi assentirent, ea potissimum ex causa, quia haud secus ac ipsi theologos scholasticos, a quibus eorum studia tanquam inutilia et verae religioni inimica diffamabantur, spernebat. Ex eis Frobenius, typographus Basileensis celeberrimus, a. 1519. primam librorum a Luthero hacteuus editorum collectionem instituit, et multa exemplaria in Italiam,

Galliam, Angliam, Belgium, imo usque in Hispaniam misit. At Eckius Lutherum ad sententias suas mutandas rationibus non perducendum intelligens, insuper et scriptis irrisoriis ab ejus asseclis impetitus, initio anni 1520. Romam profectus est, ut pontificem ad Lutherum solemniter condemnandum permoveret. Hic cum audiret rem in eo esse, ut Romae condemnetur, librum edidit, ad nobiles nationis Germanicae, inter quos multi ei patrocinabantur, et nonnulli plenam securitatem in arcibus suis offerebant, directum. In hoc ecclesiae reformationem proposuit, speciatim pontificem omni possessione et potestate temporali exuendum, potestate ecclesiastica admodum minuendum, monasteria mendicantium nulla amplius extruenda, caelibatum clericorum, interdictum, et festa abroganda, impedimenta matrimonii, ex consanguinitate et affinitate provenientia minuenda, jejunium cujusvis arbitrio relinquendum, confraternitates, indulgentias, dispensationes auferendas, universitates quoque reformandas, et speciatim jus canonicum eliminandum esse. Pontificem quoque alloquens vitiosissimum vocat, ejusque cathedram propediem in tartarum dejiciendam praedixit. Praeterea in eodem libro contendit, omnes Christianos virtute baptismi esse sacerdotes, ordinatione nonnisi potestatem, omnibus competentem, singulis exercendam omnium nomine committi, characterem sacerdotalem esse figmentum, omnes Christianos, quod sacerdotes sint, potestatem habere judicandi, quid credendum, quid non credendum sit. Hanc tamen potestatem Luthero ad approbationem eorum, quae ipse de fide esse judicaverit, restringere placuisse, ex ea, quae hunc sequetur, historia patebit.

§. 601. Separatio Lutheri ab ecclesia.

Eodem circiter tempore pontifex bullam edidit, in qua 41 propositiones e Lutheri scriptis extractae damnantur, ipse eas retractare jubebatur, et ni intra

60 dies id fecisset, in excommunicationem incidisse pronuntiabatur, ab omnibus magistratibus, qui possent, capiendus et Romam mittendus, locis, in quibus commoraturus esset, interdicto subjectis. Verum haec bulla animos, a pontifice jam alienos eo minus a Luthero avertit, quia, cum Eckio adferenda et promulganda commissa fuisset, ab inimicis Lutheri vindictae causa impetrata videbatur, unde in Saxonia nonnisi cum indignatione et renitentia promulgari potuit. Lutherus autem ad assertiones suas revocandas tam parum permotus est, ut nova potius scripta ederet, in quibus contradictiones suas magis acuebat, et plures adhuc doctrinas Catholicas rejiciebat. Tale scriptum erat illud, cui titulum de captivitate Babylonica praefixit. In hoc indulgentias fraudem, et denegationem calicis eucharistici impietatem vocavit; admissa reali praesentia Christi in pane et vino, transsubstantiationem rejecit, eucharistiam sacrificium esse negavit, opera supererogatoria, speciatim vota monastica damnavit, confirmationem, ordinationem, extremam unctionem et matrimonium sacramentorum numero exemit, eo quod hi ritus promissionem divinam, circa quam fides exerceri posset, adnexam non habeant, qua in re essentiam sacramenti posuit. Deinde, instante Miltizio, rei compositionem nondum desperante, epistolam ad Leonem scripsit, in qua ipsum quidem ceu animo bene affectum laudavit, verum ejus aulam maximis conviciis proscidit, postulavitque, ne retractatio a se urgeretur, neque quomodo verbum Dei explicare debeat, sibi praescriberetur. Huic epistolae addidit librum de libertate Chritiana, nuper a se editum, in quo hominem sola fide non tantum justum fieri, sed salutem aeternam consequi, adeoque bona opera ad salutem haud necessaria esse docebat, et talem hominem vere Christianum, nulla operum necessitate constrictum adeoque liberrimum praedicabat. Ita vero pontifici insultare Lutherus vix ausus fuisset, nisi de de-

mini sui, electoris Saxoniae praesidio sibi constitisset. Is legatis pontificiis, litteras sibi tradentibus, in quibus a papa rogabatur, ut bullam contra Lutherum effectui daret, ipsumque vinctum Romam mitteret, ea respondit, quae quasi formulam responsoriam omnibus de Luthero compescendo eum monentibus reponere solebat, nempe sibi nihil cum Luthero commune esse, hunc haeresis nondum esse convictum, multos viros eruditos eum potius orthodoxum censere, eundem etiam ad pacem sub aequis conditionibus paratum esse. Imo ad acta contra Lutherum rescindenda, ejusque examen judicibus piis et eruditis committendum hortatus est. Haec animi sensa electoris noscens Lutherus, ulterius adhuc progressus in scripto publicato a pontifice tanquam injusto judice, indurato haeretico, antichristo, s. scripturae eversore, et ecclesiae ac conciliorum contemtore denuo ad concilium generale provocavit, et non multo post assertionem omnium suorum articulorum per bullam Leonis X. novissimam damnatorum, et libellum: adversus execrabilem antichristi bullam inscriptum edidit, in quo ejus auctorem omnesque eam approbaturos antichristos appellavit, et vi potestatis, per baptismum sibi collatae, pontificem et cardinales, si in blasphemiis suis diabolicis, impietatibus et insaniis perseverarent, Satanae tradidit. Denique vindictam suam plene exsatiaturus, sub finem anni 1520., a multis litterarum studiosis stipatus, corpus juris canonici, auctoritate publica ubique vigentis, una cum bulla pontificia et nonnullis adversariorum suorum scriptis in rogum, ante moenia Wittenbergensia extructum injecit. Igitur pontifex in nova bulla, 3. Januarii anni 1521. publicata, Lutherum omnesque ejus asseclas et protectores, etiamsi in summa dignitate constituti essent, excommunicavit, ipsos eorumque posteros bonis temporalibus privatos, et omnia loca, in quibus commoraturi essent, interdicto subjecta pronuntiavit.

o fors enasci potuisset, elector Sa-
axit, cum praemonitum in reditu
e sua Wartburg paucissimis notum

Wittenbergenses.

Wartburg delitescebat, ejus
undum doctrinas ab eo
nt. Etenim Augustiniani
nionem sub utraque
stadius autem cum turba
tterarum studiosis constante,
dotes missam celebrantes ab alta-
agines sacras confregit, in mona-
facientes impetum fecit; deinde s.
tibus Catholicis novo prorsus modo
ita celebravit, ut omnibus, quicunc-
praevia poenitentia utramque spe-
Mox etiam sacerdotes, nominatim
, uxores ducere coeperunt. Haec
suo Pathmo, prout receptaculum
e dicere amabat, editis singularibus
t in eo, quo de abroganda missa
lenique etiam purgatorium rejecit.
quem eodem tempore de nullitate
rum emisit, erat, ut monachi et
atim, sicut ipse conqueritur, mo-
et ad matrimonia convolarent. Jam-
Saxonicum, Lutheri coeptis exci-
atici surgebant, qui ampliorem ad-
reformationem, violento modo in-
ur. Hi, ex quibus exeunte anno
enbergam venerunt, legatos divinos
ctabant, revelationes venditabant,
nominatim: Germanniam a Turcis
os, etiam nuptos, interficiendos, et
omnes peccatores occidendos esse.

§. 602. Lutherus decreto imperiali proscriptus.

Cum imperatoris, qua ecclesiae advocati, esset, sententiam pontificiam executioni dare, legatus papae in comitiis, a. 1521. Wormatiae habitis, a Carolo V. petiit, ut primo scripta Lutheri publice concremari juberet. Verum cum hic tot asseclas haberet, qui in ipsa urbe Wormatiensi suam ad eum adhaesionem, et pontificis despectionem verbis, scriptis, picturis, imo minis manifestare non verebantur; cum ex ipsis ordinibus praesentibus haud pauci ei faverent, putantes, non religionis, sed ecclesiae reformationem tamdiu desideratam ab eo intendi, adeoque ejus ope ab exactionibus et usurpationibus pontificiis se tandem liberari posse; cum denique elector Saxonicus peteret, ut Lutherus, antequam contra eum procederetur, ipse audiretur: imperator invito legato pontificio, ejus qua indubii haeretici examen superfluum, imo illegitimum declarante, Lutherum Wormatiam vocavit, quo is, salvo imperatoris et principum conductu securus praestitus, illico profectus est. Ibi coram comitiis duae quaestiones ei propositae sunt: an libros sibi adscriptos, qui ei ostendebantur, reapse ediderit, et an eos retractare velit. Priorem absque haesitatione affirmavit, ad alteram post otium, deliberationi concessum, respondit, se retractaturum non esse, nisi claris scripturae verbis aut certis ratiociniis erroris convictus foret. Cum igitur huic declarationi inhaereret, et in privatis collationibus, quas nonnulli principes, rei componendae cupidi cum eo instituebant, tam imperii, quam concilii generalis decisionem recusaret; imperator sententiam contra eum pronuntiavit, qua cum omnibus suis asseclis proscriptus est, omnes elapsis 21 diebus, quos salvus ejus conductus adhuc durabat, eum comprehendere et imperatori tradere, libri autem ejus ubique destrui et comburi jussi sunt. Periculo, quod ex

hoc decreto Luthero fors enasci potuisset, elector Saxonicus eum subtraxit, cum praemonitum in reditu intercipi, et in arce sua Wartburg paucissimis notum custodiri curaret.

§. 603. Turbae Wittenbergenses.

Dum Lutherus in arce Wartburg delitescebat, ejus asseclae Wittenbergenses secundum doctrinas ab eo propositas etiam agere coeperunt. Etenim Augustiniani abrogata missa privata, communionem sub utraque specie introduxerunt; Carolostadius autem cum turba effraena, ex plebe et litterarum studiosis constante, ecclesias irruit, sacerdotes missam celebrantes ab altaribus abstraxit, imagines sacras confregit, in monachos, secum non facientes impetum fecit; deinde s. coenam, omissis ritibus Catholicis novo prorsus modo in lingua vernacula ita celebravit, ut omnibus, quicuncque volebant, sine praevia poenitentia utramque speciem porrigeret. Mox etiam sacerdotes, nominatim idem Carolostadius, uxores ducere coeperunt. Haec omnia Lutherus ex suo Pathmo, prout receptaculum suum Wartburgense dicere amabat, editis singularibus libris approbavit, et in eo, quo de abroganda missa privata tractabat, denique etiam purgatorium rejecit. Effectus ejus libri, quem eodem tempore de nullitate votorum monasticorum emisit, erat, ut monachi et moniales jam catervatim, sicut ipse conqueritur, monasteria desererent, et ad matrimonia convolarent. Jamque inter populum Saxonicum, Lutheri coeptis excitatum, homines fanatici surgebant, qui ampliorem adhuc et celeriorem reformationem, violento modo introducere conabantur. Hi, ex quibus exeunte anno 1521. quinque Wittenbergam venerunt, legatos divinos et inspiratos se jactabant, revelationes venditabant, prophetias edebant, nominatim: Germanniam a Turcis occupandam, clericos, etiam nuptos, interficiendos, et intra septem annos omnes peccatores occidendos esse.

Praeterea paedobaptismum propter dictum Christi: Qui crediderit, et baptizatus fuerit, rejiciebant. Quorum sermonibus, cum multi Wittenbergenses, ipsique Lutheri collegae commoverentur, et, ne tumultus orirentur, metuendum esset; Lutherus de rerum statu edoctus, inscio et invito electore Wittenbergam se contulit, ibique sermonibus suis, praecipitantiam et violentias in reformando dissuadens, animos pacavit, novosque prophetas ad discessum permovit.

§. 604. Melanchthon. Lutheri versio bibliorum Germannica.

Interim Lutherus ejusque sectatores scriptis ad placita sua propaganda conficiendis sedulam operam navabant. Inter ea praecipue notari meretur opus dogmaticum, quod a. 1521. Philippus, qui cognomine Schwarzerde in Graecum translato Melanchthon vocari consuevit, fidelissimus Lutheri sectator et adjutor edidit. Natus is erat a. 1497. in oppido Bretten in palatinatu Rhenano. Insigni ingenio praeditus admodum juvenis philosophiae magister evasit; tum theologiae scholasticae, praecipue vero antiquae litteraturae et historiae operam navavit, atque etiam jurisprudentiae et artis medicae scientiam sibi comparavit. Exemplo Erasmi excitatus, theologiam e s. scriptura et libris antiquorum emendatam colendam sibi proposuit, magnamque eruditione, ingenio, eloquentia, famam adeptus est, ita ut a. 1518. in universitate Wittenbergensi linguae et litteraturae Graecae professor constitueretur, quo in munere ejusdem linguae studium etiam inter collegas suos plurimum promovit, meliorem in omnibus scientiis gustum et methodum, a barbarie scholasticorum liberam, exemplo suo commendavit, atque eodem doctrinam religionis e sacris libris hauriendi studio mox Luthero familiariter junctus est, quem caeterum, sicut eruditione, ita et modestia, mansuetudine, et pacis amore plurimum superabat. Is igitur

nunc primum compendium doctrinae Lutheranae sub titulo: loci communes rerum theologicarum concinnavit, ad ordinem materiarum, in Lombardo regnantem, maximam quidem partem dispositum, sed a quaestionibus, subtilitatibus, et terminis scholasticis plerumque liberum, et a brevitate, styli simplicitate, dictionis venustate, et doctrinarum applicatione practica commendatum, quod postea plurimum auxit. Quantum hoc opus ad rem Lutheranam propagandam contulerit, ex eo concludi potest, quod primo jam, quo comparuit anno, tres, et postea quoque numerosissimae ejus editiones procuratae fuerint. Inter vulgus autem indoctum similem, imo majorem effectum produxit versio bibliorum Germannica, quam Lutherus inde ab anno 1522., quo novum testamentum comparuit, typis vulgavit, in cujus prooemio evangelium Joannis, epistolas Pauli et primam Petri, utpote sententiis suis magis congruas caeteris n. t. libris praestantiores pronuntiavit, epistolam Jacobi stramineam vocavit, primusque docuit, epistolam a Juda Graece scriptam non esse, eo quod apostolus iste in Persia evangelium praedicarit. Jam dici vix potest, quantum haec versio ad rem Lutheranam firmandam propagandamque contulerit. Omnis generis laici, etiam opifices et mulieres, biblia assidue legebant, imo memoriae mandabant, jamque publice cum Catholicis non tantum laicis, sed etiam cum monachis, sacerdotibus, imo theologiae doctoribus de materiis religiosis disputabant, et textus magna cum facilitate pro doctrinis Lutheranis allegabant. Qui cum s. scripturae studium passim neglexissent, adeoque illis refutandis pares non essent, deridebantur; doctrinae autem Catholicae tanquam inventiones et adulterationes humanae traducebantur. Caeterum bibliorum cultores nonnisi Lutheri doctrinas in iis invenisse, mirum non est, quia versio iis plene accommodata erat, et quia s. scriptura liber est, in quo

sua quaerit dogmata quisque, invenit et pariter dogmata quisque sua.

Melanchthonis vita Lutheri J. Cochlaei commentaria de actis et scriptis Lutheri. Sleidanus commentarior. de statu religionis et reipublicae, Carolo V. Caesare, libri XXVI. Myconins Reformationshistorie. Spalatin. annales reformationis. Bossuet histoire des variations des eglises Protestantes. Maimbourg histoire du Lutheranisme. Tentzel historischer Bericht vom Anfang und ersten Fortgang der Reformation Lutheri. Planck Geschichte der Entstehung, Veränderung und Bildung des Protestantischen Lehrbegriffs.

§. 605. Novationes Zwinglii.

Interea similes religionis innovationes in Helvetia susceperat Ulricus Zwingli, a. 1484. in eadem terra natus. Is, qui varios conceptus heterodoxos jam a Thoma Wittenbach, theologiae in universitate Basileensi professore hauserat, suo s. scripturam e textu originali discendi studio, sine occasione externa ad principium, nihil admittendi, quod ex ea probari non posset, et ad opiniones, huic principio consentaneas perductus est, easque jam a. 1516. cum Eremi in civitate Suitiensi parochi munere fungeretur, e s. suggestu praedicare coepit, Lutheri scripta ex eodem loco commendavit, atque etiam contra Bernardum Samsonem, ex ordine S. Francisci, qui a. 1518. indulgentias pontificias commendabat, declamavit. Eadem Tiguri, ubi a. 1518. apud ecclesiam collegiatam parochus constitutus est, postea in capitulum ipsum adlectus, eo successu continuavit, ut versus finem anni 1519. jam circa duo asseclarum millia haberet, et magistratus omnibus ditionis suae concionatoribus, ne doctrinas in s. scriptura non contentas, neque statuta humana praedicarent, praeciperet. His factum est, ut jam multi ritus Catholicos abjicerent, doctrinas novas praedicarent, episcopi aut vicariorum ejus mandatis morem non gererent, matrimonia contraherent. Zwinglius ut contra

haeresin sibi exprobratam se defenderet, simulque placita sua ulterius commendaret et latius propagaret, magistratum permovit, ut a. 1523. publicam de religione disputationem indiceret, pro qua Zwinglius 67 conclusiones seu theses edidit, contra missam ceu sacrificium, legem caelibatus, votum castitatis, potestatem pontificis, episcoporum, aliorumque clericorum, confessionem peccatorum, satisfactionem sacramentalem, purgatorium, et alia hujusmodi directas. Hujus et alterius cujusdam disputationis, eodem adhuc anno habitae, in qua Zwinglius coram 350 sacerdotibus praecipue sacras imagines et missam impugnavit, et panem ac vinum eucharistiae mera signa corporis et sanguinis Christi, adeoque eucharistiam nonnisi memoriale mortis ejus esse contendit, effectus erat, ut magistratus Tigurinus eucharistiae adorationem, expositionem, et circumgestationem interdiceret, processiones, organa, reliquias, benedictiones, ipsamque extremam unctionem abrogaret, jamque poenas in eos statueret, qui quod e sacra scriptura probari non posset, seu quod Zwinglio non placeret, praedicaturi essent. Anno 1524. hic nuptias fecit, et magistratum permovit, ut primo sacras imagines, quae jam a nonnullis eum sectantibus tumultuarie impetitae pedibusque calcatae fuerant, ex ecclesiis auferri et destrui juberet, dein anno sequente iam missam aboleret, quo facto altaria ex ecclesiis ecta, et in eorum loca mensae positae sunt, in quis pro celebranda eucharistia corbis, consuetis panis fermentatis refertus, et calices vino pleni collocantur. Eodem anno Zwingliani versionem bibliorum uthero confectam, hinc inde mutatam in Helvetia is vulgarunt; ipse autem Zwinglius commentarium vera et falsa religione edidit, i. e. compendium ddam religionis ab eo conflatae. In eo praeter pra concupiscentiam nihil ex peccato Adami ad pos derivavit, adeoque proprium peccatum originale it. Sacramenta, quae ei nonnisi vacua signa et

pignora gratiae divinae aliunde collatae dicebantur, proprie nulla admisit. Zwinglius igitur ulterius quam Lutherus progressus est, a quo in his quoque differebat, quod de hominis arbitrio et de gratia divina mitius statueret, quod omnes fere caeremonias et ornamenta templorum abjiceret, neminem praedicatorum caeteris praepositum vellet, atque magistratui civili majorem in rebus ecclesiasticis, ipsam fidem concernentibus, potestatem concederet.

§. 606. Earum propagatio.

Novationes Zwinglii cito in alias civitates Helveticas delatae et plures asseclas nactae sunt. Sed auctoritate publica ab anno demum 1524. in nonnullas susceptae sunt, nominatim in Mühlhusiam, Schafhusiam, Abbatiscellam, ditionem Sangallensem, Bernensem, et Basileensem, ubi Joannes Hauschschein, Graece Oecolampadius, Suevus Weinsbergensis, ex monacho novatorum sectator, ab anno 1522. apud Basileenses theologiae professor, postea etiam parochus, coepta Zwinglii plurimum promovit. Media, quibus novatores ad rem suam propagandam utebantur, partim publicae de religione disputationes erant, partim violentiae. At quinque pagi: Suitia, Urium, Sylvania, Tugium, et Lucerna reli ioni Catholicae firmiter inhaerebant, atque cum aliis conjunctae varia conamina, socios suos a novationibus abstrahendi adhibebant; speciatim a. 1526. Thermis Helveticis celebrem de religione disputationem instituerunt, in qua ex Catholicis potiores erant Eckius, Joannes Faber, tum vicarius generalis episcopi Constantiensis, postea episcopus Vindobonensis, et Thomas Murner ordinis S. Francisci, doctor juris et theologiae lector apud Lucernenses; inter novatores autem Oecolampadius primas agebat, cum Zwinglius, etsi saepius vocatus, comparere renuerit. Idem post disputationem a novem pagis proscriptus est. Cum vero sequentibus annis plures istorum ad

novatores

novatores deficerent, civitates Zwinglianae Catholicas ad novationes admittendas jam adigere conabantur, speciatim Tigurini omnem eis commeatum intercludebant, et commercium cum caeteris impediebant. Quas injurias cum Catholici armis propulsarent, a. 1531. ad bellum ventum est, in quo Tigurini ad internecionem caesi sunt, et Zwinglius ipse, qui pro more antiquo vexillum patrium comitabatur, occisus est. Paulo post etiam Oecolampadius e vita migravit.

Magister Ulrich Zwingli Lebensgeschichte, von Nuscheler. Melchior Adam vitae theologorum Germann. Isaac Beausobre histoire de la reformation. Rüchat histoire de la reformation de la Suisse. J. Conrad Fueslin Beyträge zur Erläuterung der Kirchen- und Reformationsgeschichte des Schweizerlandes. Wirz Helvetische Kirchengeschichte IV. Theil.

§. 607. Comitia Norimbergensia annis 1522 et 1523.

Interea novationes Lutheranae in Germannia indies magis propagabantur. Eis cohibendis, imo supprimendis imprimis summi pontifices intenti erant. Leoni X. sub finem anni 1521. mortuo successerat Hadrianus VI. Ultrajecti natus, quo Carolus V. imperator olim praeceptore usus fuerat, vir, in theologia scholastica bene versatus, sincerus, moribus simplex et gravis, luxus et pompae inimicus, adeoque ad aulam pontificiam et ecclesiam reformandam pronus. Is in litteris, quas ejus legatus ad comitia, a. 1522. Norimbergae celebrata pertulit, ordines imperii graviter quidem ad Lutherum ejusque sectatores juxta decretum Wormatiense supprimendos admonnit, simul tamen in singulari instructione, quam scriptam legato suo addiderat, et hic minus prudenter publicavit, confessus est, sedem pontificiam magnis corruptelis et abusibus laborare, se ad eam reformandam, ad concordata accurate observanda, et ad beneficia nonnisi dignis ex natione Germannica conferenda paratum esse, denique ut ordines ipsi me-

dia Lutheranismi supprimendi indicarent, admonuit. At isti, quos inter haud pauci Lutheri coeptis favebant, sinceritate pontificis magis animati, executionem decreti Wormatiensis propter seditionem populi, inde metuendam denegarunt, annatarum abrogationem postularunt, et concilium liberum, in aliqua Germanniae urbe intra annum convocandum, tanquam optimum medium, ecclesiae succurrendi proposuerunt; interea purum evangelium praedicandum esse statuerunt, atque centum gravamina adversus sedem Romanam totumque ecclesiasticum ordinem, priori periodo exhibitis simillima, conscripserunt, et cum legatus jam discessisset, Romam miserunt. Haec omnia non poterant non animum novatorum augere, eorumque coeptis ulteriorem viam parare. Clemens VII. Hadriani, a. 1523. mortui successor, neque sinceritate, neque reformationis studio, antecessori suo similis, ad nova comitia, eodem anno, pariter Norimbergae celebrata, alium legatum misit, qui decreti Wormatiensis executionem urgeret, de gravaminibus autem Germannorum non tractaret. Hinc ordines eadem fere, quae in prioribus comitiis decreverunt. Id tamen legatus pontificis effecit, ut post comitia aliqui saltim principes et praelati, nempe Ferdinandus archidux Austriae, imperatoris frater, duces Bavariae, et plures episcopi, ex Germannia plerumque meridionali, Ratisbonae commune consilium de decreto Wormatiensi suis in terris exequendo, et de religione Catholica ibidem integra servanda caperent. Eodem modo etiam egit Georgius dux Saxoniae, princeps recte sentiens, utpote qui ecclesiam quidem reformatam, neutiquam autem religionem innovatam volebat.

§. 608. Bellum rusticorum.

Ab hoc tempore alia quaedam acciderunt, quae novationes religiosas minus commendabant. Haec inter pertinet bellum rusticorum. Rustici in Germannia mul-

tis magnisque tributis et servitiis pressi erant. Lutherus libertatem a statutis humanis, a tyrannide pontificis et cleri universi praedicabat, et quamvis in libro de libertate Christiana libertatem animi in mente habuisset, rustici tamen hanc libertatem de toto homine eo magis intelligebant, quia Lutherus ibidem etiam libertatem a lege jactaverat. Accessit ejus exemplum, quo magna cum vehementia in omnes sibi adversantes invehebatur, et pontificem, clerum ac principes conviciis proscindebat, iisque nequidquam resistentibus priorem ecclesiae statum evertebat. Imo eo ipso in libro, quo Christianos a seditione dehortabatur, aperte dixit, vulgo propter nimia onera sufficientem causam esse, flagellis et fustibus opprimentes se percutiendi. Igitur rustici, Lutheri dictis et factis excitati, et expresse ad eum provocantes, jam arma in dominos suos, sive clericos, sive laicos converterunt, praedictionem nonnullorum Catholicorum, speciatim Hadriani pontificis, seditionem contra superiores ecclesiasticos ad civiles progressuram, inversa ecclesia civitatem evertendam esse, opere jam implere conantes. Videbantur quidem solam liberationem ab oneribus sibi impositis intendere; in 12 certe articulis, quos ceu complexum postulationum suarum ediderant, disserte affirmabant, magistratus a se non rejici, et id solummodo postulabant, ut sibi ipsis praedicatores puri verbi Dei eligere aut iterum dimittere concedatur. At praeter hos 30 alios articulos clam secum ferebant, contra papam et universum clerum Catholicum, contra decreta pontificia et jura canonica directos. Ita hoc bellum rusticorum, quod primum a. 1524. in Suevia exarsit, et brevi tempore per alias terras Germannicas, praecipue ad Rhenum et Moenum sitas propagabatur, faciem belli religiosi induit; idque eo magis, quod viri quidam fanatici, (quales jam ante tres annos Wittenbergae turbas excitaverant, quorumque somnia de novo regno Dei in terris, in quo, perversis cunctis extirpatis, magistratus nulli

16 *

futuri essent, rusticorum desideriis apprime respondebant), iisdem se admiscerent, eosque ad extirpandos clericos, nobiles, et magistratus incitarent, quod maxima cum crudelitate eoque furore faciebant, ut ultra 300 monasteria et arces nobilium destruerent. Novissime Thomas Münzer, qui jam antea qua parochus Altstadii in Thuringia ejusmodi doctrinas praedicaverat, ex Mühlhusia, ubi ope plebis summa rerum potitus fuerat, et bonorum communionem introduxerat, rusticos in Thuringia ad novum rerum ordinem introducendum armavit. Verum sicut alibi, ita et hic principes collectis copiis seditiosos adorti partim occiderunt, partim dissiparunt, ipso Münzero capto et decollato.

§. 609. Dissidia inter novatores de eucharistia.

Multo minus novationes religiosae dissidiis commendari poterant, quae ab anno 1524. inter earum auctores et patronos de eucharistia majori successive cum vehementia mutuisque conviciis agitabantur. Carolostadius de eucharistia idem ac Zwinglius sentiebat; cumque a Luthero etiam propter violentam imaginum ex ecclesiis ejectionem, et propter societatem cum Münzero initam impeteretur, anno 1524. postquam sponte Wittenberga, et dein, jubente electore ex universa Saxonia discessisset, et Basileam se contulisset, librum edidit, in quo suam de eucharistia sententiam defendebat, simulque Lutherum maximis conviciis proscindebat. Ejus sententiae etiam Wolfgangus Koepflin, seu Capito, et Martinus Buçerus, praedicatores Argentinenses editis scriptis adstipulabantur. Lutherus eis librum admodum vehementem opposuit, in quo simul inconoclastiam carpebat. Non multo post etiam Zwinglius sententiam suam in singulari libro comprabare conabatur, et contra Joannem Bugenhagen, parochum primarium Wittenbergensem, compugilem nactus est Oecolampadium, cui vero 14 praedicatores Suevici,

inter quos Joannes Brenz, Halae Suevorum, praecipuus erat, in singulari scripto contradixerunt, Lutheri sententiam tuentes. Sed Oecolampadius neque his, neque ipsi Luthero respondendo deerat. Jamque a. 1526. Lutherus et Zwinglius ipsi scriptis mutuo se impetentes litem continuabant, in cujus decursu ille ad objectionem adversariorum diluendam, etiam corpus Christi ubique praesens esse contendit, eoque materiam litium auxit. His animi utriusque partis adversus invicem adeo irritati sunt, ut Lutherus aliique theologi ei adhaerentes foederi, a principibus Lutheranis cum civitatibus Zwinglianis contra Catholicos pangendo, maximopere adversarentur. Igitur Philippus comes provincialis Hassiae, qui tale foedus summo studio efficere nitebatur, a. 1529. Marburgi colloquium inter primarios utriusque partis theologos, Luthero et Zwinglio ipsis praesentibus instituit, eo quidem eventu, ut, cum consensus produci non posset, litigantes saltem amorem Christianum et mutuam pacem sibi promitterent. Hoc novatorum dissidium ostendit, quanta sit s. scripturae perspicuitas et sufficientia tantopere ab eis jactata, et quam parum fidei controversiae sine altioris auctoritatis judice finiri possint.

Löscher ausführliche Historia motuum zwischen den Evangelisch-Lutherischen und Reformirten.

§. 610. Propagatio Lutheranismi: in Saxonia, Borussia.

Bello rusticorum et dissidio de eucharistia, novationum religiosarum progressus eo minus cohibebantur, quia eodem tempore plura accidebant, eis promovendis admodum idonea. Inter haec pertinet mors Friderici, electoris Saxoniae, qui a. 1525. e vivis excessit. Quamquam enim Lutheri coeptis faverat, aperte tamen nomen ei non dederat, nec religionem Catholicam in terris suis abrogaverat. At ejus frater et successor Joannes doctrinam Lutheri publice profiteri non vereba-

tur. Is jam elapso anno habitum monasticum deposuerat, et Dei gratia ecclesiasten Wittenbergensem se nominaverat; nunc vero primum praedicatorem ordinare praesumsit, atque in ipsorum amicorum offensionem matrimonium iniit cum quadam moniali Cistertiensi, quam cum pluribus aliis ipsa nocte Parasceve praecedente civis quidam Torgaviensis e monasterio abduxerat, a Luthero propterea publice e sacro suggestu laudatus, et cum Christo hominum redemtore comparatus. Lutherus nunc novum electorem permovit, ut in locum missae Catholicae novum ordinem cultus divini publici a se compositum, et hactenus Wittenbergae tantum et in aliis quibusdam locis introductum, ubique in territorio suo observandum praescriberet. Post duos annos elector magistratus et theologos ad omnes ecclesias ditionis suae visitandas ablegavit, qui praedicatores ineptos, vitiosos, et Catholicos amoverent, probatis redditus fixos assignarent, superintendentes constituerent, monasteria adhuc residua et alias reliquias Catholicas tollerent, et instructionem in religione ac rebus quibusdam disciplinaribus, a Melanchthone conscriptam, omnibus observand[illegible] injungerent, cui post duos annos accesserunt duo catechismi, a Luthero exarati, major ad institutionem pastorum et cultiorum in populo, et minor pro rudibus, simplicibus et parvulis. Ita res ecclesiastica ad mentem Lutheri in terris electoris Saxonici ordinata est, qua postea aliae terrae, Lutheranismum amplexae, ceu norma usae sunt. Ex his erat Borussia orientalis, quam hoc jam tempore Albertus, e familia marchionum Brandenburgicorum in Franconia oriundus, supremus ordinis Teutonici magister, ad placita Lutheri deduxit. Qui cum a. 1521. ad subsidia imperii Germannici adversus Polonos, quos inter et ordinem bellum exarserat, impetranda, Norimbergam ad comitia profectus esset; Andreae Osiandri, qui in ista urbe ad mentem Lutheri concionabatur, sermonibus novae doctrinae conciliatus, et paulo post

Lutheri, ad quem se contulit, consilio, ut deserto ordine nuptias faceret, et Borussiam tanquam ducatum saecularem sibi vindicaret, in ea penitus firmatus est. Atque reapse a. 1525. a rege Poloniae impetravit, ut sibi Borussiam orientalem tanquam feudum Polonicum conferret. Lutheranismus, jam a. 1523. per duos praedicatores, quos Lutherus petenti Alberto miserat, introductus eo facilius citiusque propagabatur, quia etiam duo Borussiae episcopi eum jam amplexi fuerant, qui nunc novam liturgiam componebant, a novo duce et ordinibus publicis approbatam et a. 1526. cunctis pastoribus praescriptam. Cum Albertus loco suo moveri non posset, atque s. scripturam, catechismum, aliosque libros, novae doctrinae conformatos in linguam vernaculam transferri curaret, insuper et praedicatores Lutheranos identidem in Borussiam vocaret, Lutheranismus jam in perpetuum ibidem firmatus est.

§. 611. In Germannia. Protestantes.

In Germannia novationes religiosas a. 1525. publice profiteri et Evangelicum se dicere coepit Philippus, comes provincialis Hassiae, princeps juvenis, fervidus ac inquietus, ambitiosus et opum augendarum cupidus, qui partem, a qua stabat, ampliare et firmare, eumque in finem foedera efficere summo studio nitebatur. Ejusmodi jam a. 1526. primum cum electore Saxoniae iniit, cui paulo post quatuor duces Brunsvicenses, dux Megalopolitanus, princeps Anhaltinus, duo comites Mansfeldenses, et civitas Magdeburgensis, quamvis archiepiscopo hujus nominis subjecta esset, accesserunt. Praetextum hujus conjunctionis, quae defensionem libertatis in religionis negotio intenderet, a conventu principum quorumdam Catholicorum desumserunt, in quo hi de mediis deliberaverant, quibus se subditosque suos contra principum et civitatum Lutheranarum conamina, novationes religiosas sibi obtrudendi, tueri possent. Foederi illi potissimum adscribendum est, quod

ordines Lutherani in comitiis, a. 1526. Spirae celebratis, executionem edicti Wormatiensis, quam Catholici juxta expressam imperatoris voluntatem urgebant, iterum denegarent, liberam novationum religiosarum propagationem postularent, et id saltem impetrarent, ut in eorum favorem decerneretur: singulis ordinibus usque ad concilium, intra annum celebrandum, ea circa religionem observare licere, quae coram Deo et imperatore defendere se posse sperarent. Imo a. 1528. Hassus, qui religionem a se electam jam omnibus suis subditis non sine violentia obtrudebat, bonorumque ecclesiasticorum magnam partem sibi vindicabat, (quod passim inter novatores fiebat) sub praetextu foederis, a Catholicis contra novationes initi, exercitum collegit et contra illos eduxit; cumque interea falsitas illius praetextus a Catholicis ad oculum demonstrata fuisset, copiis suis ad amplas saltim pecunias, nomine sumtuum militarium a se impensorum, a nonnullis episcopis extorquendas utebatur. Eum caeterosque novatores talia ausos fuisse, circumstantiis adscribendum est, in quibus imperator relate ad pontificem tunc temporis versabatur. Postquam enim Franciscum I. Galliae regem adversus quem bellum gerebat, in pugna apud Ticinum devictum et captum a. 1526. ad pacem sibi admodum proficuam adegisset; Clemens VII., Italiae libertati inde metuens, non tantum regem ab observavatione pacis tanquam injustae et vi extortae absolvit, sed etiam cum eodem Francisco, duce Mediolanensi, et Venetianis foedus contra Carolum pepigit; unde hic irritatus papam, cui varia publice exprobrabat, jam eodem anno per Columnas ad angustias adegit, anno autem sequenti, Roma a quodam belliducum suorum expugnata et foede direpta, Clementem diuturna arcis Angeli, in qua inclusus erat, obsidione, ad multas pecunias solvendas adegit. In his rerum adjunctis Carolus novationibus religiosis in Germannia, e qua semper absens erat, efficaciter se opponere nec voluit, nec potuit.

Postquam autem a. 1528. cum pontifice in gratiam rediisset, decretum comitiorum Spirensium irritum pronuntiavit; quo facto Catholici in novis comitiis, a. 1529. pariter Spirae habitis, votorum, qua pollebant, pluralitate decreverunt, edictum Wormatiense ab iis, qui hactenus id fecissent, porro observandum, ab Acatholicis ulteriores saltim novationes usque ad futurum concilium oecumenicum non suscipiendas, adversarios realis praesentiae Christi in eucharistia non tolerandos, missam autem nullibi prohibendam esse. Sed ordines Acatholici contra hoc decretum protestationem, nec non appellationem a quavis injuria, hactenus sibi illata, aut deinceps inferenda ad imperatorem et futurum concilium emiserunt. Huic subscripserunt elector Saxonicus, comes provincialis Hassiae, Ernestus dux Brunsvicensis, Georgius marchio Brandenburgicus in Franconia, Wolfgangus princeps Anhaltinus, et 14 liberae urbes imperiales, pleraeque Suevicae, inter quas Argentinum, Ulma, Constantia et Norimberga majores erant. Ab illa protestatione nomen protestantium acceperunt, quo postea omnes Lutherani, deinde etiam Zwingliani, denique nonnunquam omnes Acatholici in omnibus terris compellari consueverunt.

§. 612. Lutheranismus in Suecia.

Hoc tempore Lutheranismus in regnis septentrionalibus jam publica auctoritate firmatus erat. Sueciae eum primo intulere duo fratres, in eadem terra nati, Olaus et Laurentius Petri, qui in universitate Wittenbergensi Lutheri placita magno studio imbiberant. Postquam a. 1519. in patriam reversi fuissent, Olaus, natu major Strengnesiae ab episcopo cancellarius, canonicus et scholasticus factus, eoque munere ad juvenes, quibus s. scripturam exponebat, sententiis Lutheranis imbuendos, tolerante episcopo, bene usus est. Episcopo sequenti anno occiso, administratio dioecesis potissimum penes Laurentium Andreae erat, archidiaconum

Strengnesianum, qui novationes religiosas summo studio amplexus est, et Olaum in iis propagandis pro viribus adjuvit. Quae cum ita essent, Gustavus Wasa expulsis nuper Danis de patria bene meritus, in comitiis a. 1523. Strengnesiae celebratis, a Suecis rex electus est. Is quoque, cum a. 1519. Lubeccae moraretur novas Lutheri doctrinas non improbans audiverat, iisque nunc eo magis assentiebat, quod Olaus Petri et Laurentius Andreae, qui eas publice in ecclesia praedicare non verebantur, ei ostenderent, opes et potentiam, qua episcopi et clerus universus in Suecia pollerent, ejusdem fini et muneri adversam, adeoque auferendam esse. Cum Gustavus majorum opum et amplioris potentiae cupidus esset, nec aliud medium, ad eas perveniendi inveniret, quam bonorum ecclesiasticorum occupationem et episcoporum dejectionem, id autem vigente religione Catholica adhibere non posset; jam doctrinam Lutheranam ad finem suum consequendum, efficaciter promovere coepit, ideoque Laurentium Andreae suum cancellarium, Laurentium Petri theologiae in universitate Upsaliensi professorem, Olaum Petri concionatorem apud ecclesiam principalem Holmiae constituit. Posterior jam tanta cum vehementia contra pontificem et doctrinam Catholicam declamabat, ut populus iterato contra eum insurgeret, et ipse una cum fratre a capitulo Upsaliensi citatus frustraque admonitus excommunicaretur. Neque rex Olai vehementiam et praecipitantiam probabat, sed leniori modo et successive ad finem tendebat. Itaque a. 1524. publicam de doctrinis controversis disputationem instituit, et Olao victoriam adscripsit, quod propugnator Catholicus assertiones suas e sola s. scriptura comprobare non potuerit, quam opinionem, editis actis disputationis etiam inter populum propagare studebant. Dein a. 1525. nuptias Olai, qui jam liturgiam in lingua vernacula celebrabat, pluresque libros ad Lutheranismum defendendum edebat, et praesentia sua, et disertis verbis appro-

bavit, unde mox plures clerioi, monachi et moniales Olai exemplum sequebantur. Porro rex curavit, ut bibliorum versio a Luthero confecta in sermonem Suecicum transferretur, quod eo eventu factum est, ut jam a. 1526. novum testamentum typis vulgaretur.

§. 613. Continuatio.

Eodem anno Gustavus archiepiscopo Upsaliensi ejusque capitulo significavit, cleri opes et privilegia, cum in s. scriptura fundata non sint, a rege, mutatis rerum adjunctis, omnino auferri posse, et paulo post archiepiscopum ad Sueciam deserendam adegit. Non deerant quidem tumultus et seditiones, quae his circa religionem novaminibus, et pluribus aliis, quae sibi rex in personas et bona clericorum indulgebat, excitabantur. Etenim Sueci, exceptis nonnullis, a religione Catholica ejusque institutis, animo minime alieni erant. Nihilominus virtutes politicae, quibus Gustavus praeditus erat, et status regni, quod a metu Danorum nondum penitus liberatum erat, et rege forti ac prudenti indigebat, effecit, ut plerique Gustavum non minus aegre, quam avitam religionem dimitterent. Id bene sciens Gustavus, in comitiis a. 1527. Westeresiae celebratis, simulata regni abdicatione, ordines eo perduxit, ut omnia bona ecclesiastica, exceptis paucis, ad familias nobiles, a quibus donata fuerant, reducendis, regi adjudicarent, eidem potestatem, praedicatores minus idoneos i. e. Catholicos aptioribus supplendi facerent, decernerentque, ab omnibus purum verbum Dei, quod a praedicatoribus evangelicis tradatur, tenendum, neminemque presbyterum ordinandum esse, qui illud annuntiare non valeat. Hac ratione Lutheranismo publica lege firmato, jam varia fiebant, quibus coeptum opus successive perficeretur. Talia erant, plerorumque monasteriorum abolitio, plurimorum festorum rituumque Catholicorum abrogatio, nova liturgia, varia scripta liturgica et dogmatica ab Olao et Laurentio Petri

edita, posterioris ad archiepiscopatum Upsaliensem evectio, et plures congregationes clericorum, inter quos caeterum episcopi, sed exigua cum auctoritate conservabantur. Nam omnem fere in rebus ecclesiasticis potestatem, sicut possessiones et proventus ecclesiarum, rex sibi ipsi vindicabat. Inde tres novationum ecclesiasticarum auctores, qui majora ex eis emolumenta sibi promiserant, adeo offensi sunt, ut populum contra regem excitare studerent, imo Olaus et Laurentius Andreae conjurationem contra ejus vitam participarent, quam ob rem a. 1540. capitis damnati, attamen a Gustavo mitiori poena affecti sunt. Is ab hoc tempore Georgio cuidam Normanno, gente Pomerano, quem ei Lutherus filii educatorem miserat, potestatis suae ecclesiasticae exercitium maximam partem commisit, eum supremum totius cleri Suecici superintendentem et ordinatorem constituit, visitationem omnium dioecesium cum potestate praedicatores examinandi, deponendi, constituendi, et totius rei ecclesiasticae directionem demandavit. His ita dispositis, tandem in comitiis, a. 1544. Westeresiae habitis sublatio omnium religionis Catholicae reliquiarum decreta est.

Celsius Geschichte des Königs Gustavs I. Aus dem Schwedischen. Schinmeier Lebensbeschreibung der drey Schwedischen Reformatoren. Baazius inventarium ecclesiae Sueo-Gothorum. Dalin Geschichte des Reichs Schweden. Vertot histoire des revolutions de Suede. Daniel Gerdes in historiam evangelii, saec. 16. renovati.

§. 614. Lutheranismus in Dania.

In Dania quoque Lutheranismus potissimum ope regum propagatus est. Jam Christianus II., qui ineunte hac periodo regnum tenebat, aperte ei patrocinabatur, ejusque doctores ex Germannia advocavit. Hi non minus, quam quidam indigenae, qui in universitate Wittenbergensi Lutheri principia imbiberant, eadem Danis instillare conabantur, successu tamen nondum am-

plo. Fridericus I. Holsatiae dux, quem ordines Danici, Christiano a. 1523. ob violentias et crudelitates deposito et expulso, regem sibi elegerunt, pariter Lutheranismo addictus erat, unde factum est, ut novationum doctores, quos inter Joannes Tausanus, ex ordine crucigerorum seu S. Joannis Baptistae praecipuus erat, episcopis incassum renitentibus, doctrinas suas libere spargerent, et inter omnes hominum classes, maxime inter cives, continuo plures asseclas nanciscerentur, praecipue inde ab anno 1526. quo rex publice eucharistiam ad morem Lutheranorum sub utraque specie percepit, et commemoratum Tausanum, quem superiores ejus clausum tenebant, publice sub praesidium recepit, et capellanum suum constituit. Ad Lutheranismum in Dania nunc propagandum non parum versio quoque vernacula s. scripturae conferebat, quam a. 1524. rex depositus Christianus in Germannia typis mandari curaverat. Rex Fridericus, majori jam cupidine agitatus, Lutheranismum per Daniam propagandi, in comitiis a. 1527. Ottiniae habitis ope nonnullorum regni consiliariorum effecit, ut inter alia decerneretur, Lutheranis plenam religionis libertatem, idemque ac Catholicis praesidium et jus competere, clericis et monachis matrimonium inire licere, episcopos a canonicis electos a solo rege, minime vero a pontifice confirmandos esse, bona ecclesiastica ecclesiis et monasteriis lege publica omnino adimi posse. Quantum talibus decretis progressus Lutheranismi promoveri debuerint, facile intelligitur. Eundem in finem rex medio, novatoribus consueto, usurus, a. 1530. publicam de religione disputationem indixit. Novatores tempore et loco statuto regi et senatui complexum doctrinarum suarum exhibuerunt. Sed Catholici, scientes, ab adversariis nonnisi s. scripturae ad eorum sensum contortae, insistendum, et a rege Lutherano judicium ferendum esse, disputare recusarunt, et potius catalogum criminum, ab adversariis circa religionem commissorum regi tra-

diderunt. Eventus erat, ut religionis libertas, Lutheranis in comitiis Ottiniensibus concessa, nunc confirmaretur. Ac quasi Catholici religionis suae defensionem desperassent, non tantum plurimi denuo ad Lutheranos defecerunt, sed etiam hi jam audaces et insolentes facti, contra Catholicos insurgebant, ecclesias diripiebant et profanabant, sacras imagines destruebant, monachos e monasteriis pellebant, resistentes vulnerabant, imo interficiebant, brevi omnis generis violentiis novum evangelium Catholicis obtrudere conabantur.

§. 615. Continuatio.

Friderici, a. 1533. mortui filius et successor, Christianus III., eliminandae religionis Catholicae non minus, quam vindictae de episcopis, qui fervidum eum Lutheranum esse scientes, ejus electionem ultra annum impediverant, sumendae, eorumque bonis opes suas augendi cupidus a. 1536., clandestinum consilium cum magnatibus et regni consiliariis inivit, vi cujus juribus et privilegiis horum confirmatis, omnes episcopi jussu regio, usque ad horam praefinitam occultato, eodem die in vincula conjecti, bonisque eorum in regis commodum occupatis, ipsi in comitiis, non multo post Hafniae celebratis, sub praetextu variorum criminum depositi, imo munera eorum abolita sunt. Postea ii, qui scripto promittebant, se ad munera recuperanda nihil tentaturos, nec Lutheranismi progressibus renisuros esse, libertati redditi sunt. Qui ex parochis novationes amplecti recusabant, locis suis pulsi, monachi et moniales ordinum mendicantium e monasteriis ejecti, e quibus multi patriam reliquerunt; caeterorum ordinum monasteria, usque dum monachi, qui suam vitae rationem deserere nolebant, emortui erant, conservata sunt. Eodem anno 1536. etiam Norwegiae pars meridionalis Christiani III. dominium et novationes religiosas admisit. In septentrionali Olaus quidem, archiepiscopus Dronthemiensis aliquamdiu resistebat; verum sequenti

anno regi, naves cum copiis illuc mittenti cedens in Belgium fugit, quo facto Lutheranismus etiam in hanc Norwegiae partem introductus est. Ad eum firmandum rex a. 1537. Joannem Bugenhagen in Daniam vocavit, qui per aliquot annos, qua concionator aulicus, qua theologiae professor, qua consiliorum ecclesiasticorum particeps, accuratiorem cum doctrinis et institutis Wittenbergensibus consensum effecit, loco episcoporum superintendentes ordinavit, qui tamen, sicut in Norwegia postea titulum episcoporum receperunt, denique una cum aliquibus doctoribus Danicis novum ordinem ecclesiasticum pro hoc regno composuit, ab ipso Luthero et Melanchthone revisum et approbatum. Eo in comitiis Ottiniensibus anni 1539. a rege regnique consiliariis confirmato et publice praescripto, opus innovatae religionis in Dania et Norwegia perfectum erat.

Conrad Alsaci historia reformationis Danicae. Gerdes historia reformat. Pontoppidan kurzgefaſste Reformationshistorie der dänischen Kirche. Ejusd. annales ecclesiae Danic. diplomatici. Gebhardi Geschichte von Dänemark.

§. 616. Confessio Augustana.

Quamvis imperator protestationem et appellationem a decretis Spirensibus cum indignatione rejecisset; in litteris tamen, quibus comitia, a. 1530. Augustae Vindelicorum propter periculum a Turcis imminens, et propter dissidium in religionis negotio, se praesente celebranda indixit, Protestantium de religione sententias expendendas, quae in utraque parte minus recta sint, tollenda, et de unitate in fide Christiana conveniendum esse annuntiavit. Igitur theologorum Lutheranorum coryphaei, mandante Saxoniae electore, summam quamdam doctrinarum suarum, a loco, ubi ei tradita est, articulos Torgavienses dictam, eum in finem composuerunt, ut fidem, quam in comitiis professurus esset, praevie cognoscere posset. Ex his articulis Torgaviensibus, et aliis confessionibus, quas alii ordines Lu-

therani Augustam secum attulerant. Melanchthon in hac ipsa urbe sic dictam confessionem Augustanam confecit, i. e. librum, in quo praecipuae Lutheranorum doctrinae, inprimis a Catholicis divergentes, non tantum proponebantur, sed etiam rationibus defendebantur. Hic liber, a Luthero, cui transmissus fuerat, non improbatus, et postea inter sic dictos libros symbolicos, quibus Lutherani maximam in rebus fidei auctoritatem deferebant, susceptus, 28 continebat articulos, in quorum 21 prioribus doctrinae Lutheranae exponebantur, 7 posterioribus de abusibus in religione agebatur. Inter hos referebantur: communio sub una specie, coelibatus clericorum, missae sacrificium, peccatorum confessio, in quantum singula peccata complectatur, et ad remissionem a Deo obtinendam necessaria statuatur, instituta liturgica et disciplinaria, quae nomine traditionum humanarum, partim propter eorum multitudinem, partim propter virtutem eis adscriptam rejiciebantur, vita monastica, speciatim tria vota, quibus adstricta est, denique episcoporum potestas, quibus sola facultas, verbum Dei praedicandi, et sacramenta dispensandi adjudicabatur. Huic confessioni, tam in Germannico, quam in Latino sermone compositae subscripserant: elector Saxoniae, Ernestus dux Lunaeburgensis, Philippus Hassus, Georgius marchio Brandenburgicus seu Baruthinus, Wolfgangus Anhaltinus, et ex liberis imperii urbibus Norimberga et Reutlinga, quibus postea alii ordines accesserunt. Imperator concessit, ut in comitiis prius de religionis negotio ageretur, et commemorata confessio in lingua Germannica praelegeretur, quo facto exemplar praelectum, et alterum in lingua Latina compositum ei traditum est. Nunc theologi Catholici, in comitiis praesentes, mandante imperatore confutationem confessionis Lutheranae composuerunt, in quo ad singulos illius articulos eodem ordine respondebatur. His responsionibus, pariter praelectis, imperator Lutheranos contentos esse et doctrinae Catho-

Catholicorum accedere voluit. At illi potius a Melanchthone aliud scriptum confici curarunt, in quo eorum doctrinae contra objectiones Catholicorum propugnabantur, et plures earum uberius exponebantur. Ab hoc suo fine dictum est apologia confessionis Augustanae, et postquam finitis comitiis ab auctore curatius fusiusque elaboratum esset, sub isto nomine libris symbolicis Lutheranorum additum. Imperator eam non acceptavit, permisit tamen, ut quidam principes Catholici, quibus conservatio pacis externae, ex renitentia Lutheranorum facile turbandae, (praesertim cum Philippus Hassus, in bellum vehementer pronus, jam Augusta clam discessisset) admodum cordi erat, adscitis quibusdam jurisconsultis et theologis, de unione religiosa cum Lutheranis tractarent. Verum etiamsi variis conceptuum et verborum mitigationibus in nonnullis doctrinis convenire viderentur; in multis tamen tanta inter utramque partem distantia erat, ut mirum profecto sit, de plena unione producenda vel cogitari potuisse. Igitur imperator Lutheranis mandavit, ut usque ad 15. Aprilis anni sequentis de reditu ad doctrinam Catholicam deliberarent, interim vero novationes ulteriores non introducerent, nova scripta religiosa nec imprimi nec vendi permitterent, subditos alienos, sicut hactenus crebro factum fuisset, ad sectam suam non pertraherent, qui vero ex subditis ipsorum fidei Catholicae adhuc inhaererent, in ea exercenda non impedirent. Sed Lutherani se hanc imperatoris voluntatem non observaturos esse, aperte contestati sunt. Iis Augusta digressis, imperator, supremum ecclesiae Christianae advocatum se profitens, una cum ordinibus Catholicis decretum promulgavit, ex quo novationes religiosae, hactenus introductae abrogandae, speciatim monasteria et cuncta bona ecclesiastica, hactenus occupata aut divendita, legitimis proprietariis restituenda erant, concilium oecumenicum, intra annum congregandum annuntiabatur, imperator et ordines Catholici

ad religionem suam conservandam commune auxilium sibi promittebant, statuebantque, ut, qui contra decretum istud acturi essent, a tribunali camerae imperialis proscriberentur, aut aliis poenis subjicerentur.

§. 617. Foedus Schmalcaldicum. Pax religiosa Norimbergensis.

Hoc decretum eum effectum habuit, ut ordines Lutherani de foedere inter se pangendo deliberarent, idque eo magis, quia procurator fisci reapse jam accusationes contra eos propter bona ecclesiastica ab eis occupata ad tribunal camerae imperialis deferebat, idque sententias contra eos pronuntiabat. Reapse 29. Martii anni 1531. Schmalcaldi foedus defensivum initum est, quo pangentes sibi invicem promittebant, quamprimum aliquis ipsorum propter religionem aut aliam causam cum ea connexam impeteretur, reliquos omnes pro cunctis suis viribus ei succursuros esse. Hujus foederis Schmalcaldici, primo in 6 annos initi, hisque elapsis in 10 alios prolongati, ab initio participes erant: Saxoniae elector, tres duces Lunaeburgenses, Philippus Hassus, Wolfgangus Anhaltinus, duo comites Mansfeldenses, et urbes, pleraeque Suevicae, ex septentrionalibus autem Magdeburgum, Brema et Lubecca, quibus progressu temporis plures alii ordines accesserunt. Hi confoederati, ad arma capienda jam parati, etiam principes extraneos, imprimis Galliae regem, perpetuum Caroli aemulum et adversarium, ad foedus suum pertrahere nitebantur. Iidem Ferdinandum, Caroli fratrem, quem agente imperatore, quinque electores Catholici regem Germannorum elegerant, talem agnoscere recusabant. Denique contra Turcas, ingentibus copiis Hungariae vicinisque terris Austriacis tunc denuo imminentes suppetias denegabant. His rebus permotus Carolus Protestantibus eo usque cessit, ut decreto Augustano in medio relicto, a. 1532. eos religionis ergo non inquietandos, et speciatim processus, apud tribunal camerae imperialis contra eos

motos, sistendos promitteret. Haec concessio, qua im-impetrata Protestantes mox auxilia adversus Turcas miserunt, Ferdinandum tamen nondum regem agnoverunt, ab urbe, ubi facta fuit, pax religiosa Norimbergensis dicta est. Ea nonnisi usque ad futurum concilium, vel usque ad comitia, in quibus çausa religionis aliter definita foret, valebat.

§. 618. Anabaptistae.

Cum Lutherus supremam ecclesiae auctoritatem in negotio religionis spernendam, hancque a quovis e s. scriptura hauriendam verbo et exemplo docuisset; deesse non poterant, qui haec monita sequentes placita religiosa, ab ejus systemate diversa illinc exsculperent. Ex his erant Anabaptistae, ita dicti a more suo, ex quo, spreto parvulorum, quod fide careant, baptismo, adultos ad se transgressos denuo baptizabant. Tales jam anno 1521. in Saxonia emersisse, alio loco narratum est. Brevi autem odium et persecutionem non Catholicorum modo, sed etiam Protestantium incurrerunt, quia omnis generis et sexus homines rebaptizationem apud eos peragebant, quia singularem statum doctorum aut ministrorum religionis non admittebant, quia omem fere constitutionem et ordinem ecclesiasticum abrogabant, quia aequalitatem quoque civilem et bonorum communionem introducere, atque ipsos magistratus tollere conabantur, denique quia rusticis seditiosis se conjunxerunt, eorumque ope placita sua effectui dare studuerunt. Istis suppressis nihilominus multos asseclas inter plebem, melioris status cupidam retinuerunt, imo novos nanciscebantur, imprimis in Germannia, in Helvetia, et in Belgio. Ubique severae in eos poenae decretae, et haud pauci eorum extremo supplicio affecti sunt. Eo tamen minime extirpari poterant, imo circa annum 1532. in Belgio numero aucti in lucem emerserunt. Hi caeteris magis fanatici, voluntatem divinam visionibus, somniis, et inspirationibus sibi aut

saltim quibusdam suorum revelari contendebant, prophetas et faeminas vaticinantes inter se habebant, jurare, magistratum gerere, causas coram judice agere, peculium habere, Christianis nefas, adeoque bonorum communionem introducendam esse docebant, denique omnes homines, ad se non pertinentes, impios et ex voluntate Dei extirpandos, novumque regnum divinum in terris, ex solis piis hominibus, quales ipsi essent, constans, per ipsos condendum esse annuntiabant. Atque hoc regnum reapse Monasterii in Westphalia, ubi religio Lutherana jam invaluerat, a. 1533. fundare aggressi sunt. Illuc enim hoc anno duo Anabaptistae Batavici, admodum fanatici venerunt, Joannes Bockhold, sartor Lugdunensis, et Joannes Matthiesen pistor Harlemensis. Hi brevi tempore tot in urbe asseclas nacti sunt, ut primo curia et tormento bellico, dein postquam magnam hominum turbulentorum multitudinem ex vicinis locis advocassent, summa rerum in urbe potirentur, quo facto ecclesias depraedabantur et postea destruebant, sibi non consentientes pellebant, pecunias et alia bona mobilia ad communem usum in eodem loco coacervabant, polygynaeciam introducebant, et tandem Joannem Bockhold non tantum suum sed et totius orbis dominum ac regem proclamarunt, qui magnum exercitum contra reges et principes ducturus, eosque cum populis, justitiae non amantibus deleturus esset. Sed a. 1535. episcopus Monasteriensis, ab aliis principibus adjutus, urbem expugnavit, regem Joannem, qui crudelitate et libidine in suos saevierat, cum primariis ejus satellitibus exquisitis tormentis enecavit, et totam turbam vesanam, quae Monasterii coaluerat, dissipavit.

§. 619. Mennonitae.

Ipsa tamen secta Anabaptistarum, quamquam etiam aliis in locis propter excessus Monasterienses severe in eam animadvertebatur, non tantum perduravit, sed etiam novis subinde asseclis aucta est. De ea nunc

maxime meruit Menno Simonis, in pago quodam Frisiae a. 1505. natus, qui, postquam sacerdotio initiatus et munere capellani, deinde parochi Catholici in patria functus fuisset, propter paedobaptismum, quem illicitum putabat, et propter abusus, quos in ecclesia Catholica sibi deprehendere videbatur, hanc a. 1536. reliquit, et anno sequenti ab Anabaptistis exoratus eorum in religione institutionem suscepit, quo munere 20 fere annos inter maximas difficultates et frequenti vitae periculo, per Frisiam, Geldriam, Brabantiam, Hollandiam, Westphaliam, et totam fere Germanniam septentrionalem itinera faciens, indefessa cum industria ita functus est, ut eos ab opinionibus fanaticis et seditiosis avocaret, et ad tranquillitatem ordinemque meliorem perduceret. Speciatim opinionem de novo regno Christi, extirpatis omnibus impiis in terra condendo, ex animis eorum evellit, ejusque loco doctrinam propagavit, ecclesiam ex solis piis constare oportere, quem in finem severa morum disciplina et excommunicatio adhibenda sit. Sed de ipsa hac disciplina et excommunicatione Anabaptistae in plures partes scissi sunt, aliis majorem, aliis minorem circa eam severitatem volentibus. In hac quoque re Menno majorem sed non plenam inter eos concordiam effecit, cum rigorem, quem respectu excommunicationis praescripsit, multi repudiarent. Idem accidit singulari ejus opinioni, Christum, quod secus a peccato originali immunis esse non potuisset, corpus suum non e Maria traxisse, sed istud immedicate a Deo in utero virginis creatum fuisse. Omnes autem ejus doctrinam, homini Christiano arma gerere et militiam sequi haud licere, admiserunt. Cum ita Menno sectam Anabaptistarum ad doctrinam, quam postea maxima ex parte conservarunt, redegisset, ab eo Mennonitae vocari consueverunt et voluerunt.

Kerssenbrock belli Monasteriensis contra Anabaptist. gesti descriptio, in Gerdes scrinio antiquar. Schyn historia Chri-

stianorum, qui in Belgio foederato inter Protestantes Mennonitae appellantur. Henric. Ott annales Anabaptistici.

§. 620. Casparus Schwenkfeld.

Anabaptistis in pluribus rebus consensit Casparus Schwenkfeld, a. 1490. nobili genere in Lignitiensi Silesiae ducatu natus, adultus, ducis sui consiliarius. Is ab initio quidem placita Lutheri amplexus est, at vero inde ab anno 1524. haud pauca eorum improbare coepit. Ac primo quidem abusus notavit, quos Lutheri asseclae circa ejus de justificatione per solam fidem sine operibus, de servo arbitrio, de impossibilitate, mandata Dei servandi, de bonorum operum demerito apud Deum, in detrimentum moralitatis committere solebant. Anno 1525. Lutheri sententiam de eucharistia rejecit, asserens se ex inspiratione divina didicisse, sensum verborum Christi: Hoc est corpus meum, hunc esse: corpus Christi esse tale quid, ac panis est, alimoniam nempe spiritualem, hancque suam sententiam datis ad Lutheranos et Zwinglianos litteris, typo impressis, maxime divulgare et commendare conatus est. Denique a. 1527. jam totum Lutheri systema rejec t, id praecipue vituperans, quod fide tantopere praedicata, et operibus vilipensis pietatem deprimat, quod solummodo destruat, et cum zizaniis bonum triticum evellat, quod homines ad doctrinam suam adstringere et novam tyrannidem introducere conetur, quod denique s. scripturae, seu verbo Dei externo nimium pretium tribuat, eoque praedicato et in animum admisso hominem jam religiosum et pium effici doceat. Ipse vero contendebat, religionis summam in eo consistere, ut Spiritus S. immediate animum hominis illustret, et pietatis sensa in eo producat, quam operationem verbum internum vocare solebat; hoc vigente, verbi externi praedicationem, ipsumque baptismum et eucharistiam ad salutem non necessariam esse. Ita mysticorum in morem sentiens docensque Schwenkfeldius Lutheranos patriae suae quam maxime contra se irritavit, ad quorum

impetus evitandos a. 1528. in Sueviam secessit, ubi maximam partem reliquae vitae, usque ad annum 1561. productae, Augustae et Argentorati transegit. Ibi asseclas sibi comparavit, quibuscum conventus egit, et sectam quamdam fundavit, quae etiam post ejus mortem perduravit. Scripta edidit quam plurima, quibus vel ad pietatem instituere satagebat, vel sententias suas explicabat, vel adversariis, a quibus frequenter et vehementer impetebatur, respondebat. Ab anno 1531. etiam paedobaptismum rejecit, et a. 1539. hanc quoque opinionem propugnare coepit, Christi naturam humanam non ex Maria tractam, sed ex ipsa essentia divina ortam esse, quia secus qua homo creatura esset, adeoque adorari non posset.

Arnold unpartheiische Kirchen- und Ketzerhistorie. Planck lib. cit.

§. 621. Schisma Anglicanum.

Quarto saeculi 16. decennio novationes religiosae, quae jam altero in pleraque regna occidentalia irrepserant, plurimum invaluerunt. Anglia tunc temporis solo adhuc schismate ab ecclesia Romana separata fuit. In hac terra coepta et placita Lutheri inde ab anno 1519. innotuerunt, et cum per Wicleffum ejusque asseclas, nondum penitus extirpatos, nec non per usurpationes et exactiones pontificias et corruptelas ecclesiasticas multorum animi ab ecclesia Romana abalienati essent, haud paucis probabantur, praecipue quibusdam eruditis et litterarum studiosis in utraque universitate. Ea autem summopere improbabat rex, tunc temporis Henricus VIII., qui ea non tantum in regno suo supprimere studebat, sed etiam principes Germannicos ad idem faciendum graviter hortatus est, et, cum theologiam scholasticam didicisset, a. 1521. assertionem septem sacramentorum adversus Lutherum edidit, quam ob rem titulo defensoris fidei a pontifice ornatus est. Idem tamen Lutheranismi per Angliam propagationem

post aliquot annos, praeter voluntatem suam, schismate adjuvit, quo ecclesiam Anglicanam a Romana separavit. Huic ansam dedit ejus in voluptatem carnalem proclivitas. Cum enim herulam quamdam, Annam Bollenam adamasset, quae ei nonnisi qua marito corpus tradere volebat; matrimonium, in quo cum Catharina, fratris sui vidua, ex dispensatione Julii papae II. ducta, 18 annis hactenus vixerat, tanquam illegitimum et nullum declarare, et a. 1527. a summo pontifice solemnem hujus nullitatis declarationem petere coepit. Is rem quidem examinandam suscepit, ejus tamen decisionem continuo differebat, ab altera parte regem Henricum timens, ab altera Carolum imperatorem, qui tunc temporis in Italia praepotens erat, et, cum Catharina, Ferdinandi Catholici regis filia, ipsius matertera esset, dissolvendo matrimonio graviter, nec sine minis reclamabat. At Henricus, morae impatiens, inde ab anno 1530. suadente Thoma Cranmer, theologo Cantabrigiensi, primo universitatum quarumdam extranearum declarationem, matrimonium suum nullum esse, pecunia sibi procuravit, deinde clerum Anglicanum ad eandem declarationem edendam permovit, tandem per eundem Cranmerum, ad archiepiscopatum Cantuariensem evectum, qui clam rege Lutheranismum fovebat, et matrimonium inierat, a. 1533. matrimonium suum cum Catharina invalidum, e contra illud, quod cum Anna Bollena superiori anno jam iniverat, validum pronuntiari curavit. Hac re Romam perlata, pontifex Cranmeri sententiam temerariam et nullam pronuntiavit, regem vero sub poena excommunicationis Catharinam recipere, et Bollenam dimittere jussit. Sed uterque a pontifice ad concilium generale provocavit. Insuper a. 1534. talia decernebantur, quibus nexus cum sede apostolica, cujus potestas jam in multis scriptis impugnata fuerat, magis magisque tolleretur, cujusmodi erant senatus consulta, nullas imposterum dispensationes, provisiones, aut facultates a pontifice petendas, sed ab archiepiscopis An-

glicanis concedendas esse, abbates et episcopos neoelectos non amplius a pontifice, sed a solo rege confirmandos esse. Clerus vero Anglicanus regi jus attribuit, synodos convocandi, concessitque, ut leges ecclesiasticae hactenus latae, severe a rege examinarentur. Denique senatus eodem adhuc 1534. anno secundum declarationem, a clero Cantuariensi jam ante tres annos factam regem supremum ecclesiae Anglicanae caput pronuntiavit, ei ejusque successoribus jus, errores, haereses, et abusus ecclesiasticos inquirendi et tollendi, nec non fructus primi anni episcopatuum et decimas ecclesiasticas adjudicavit, novosque episcopatus erigendos statuit. Qui his decretis assentiri et Henrico ceu ecclesiae capiti jusjurandum praestare recusabant, ipsa capitis poena afficiebantur. Eorum, in quos haec sors cecidit, praecipui erant Joannes Fischer, episcopus Roffensis, et Thomas Morus, regni cancellarius, viri, eruditione non minus, quam severis et integris moribus nemini in Anglia secundi.

§. 622. Acta durante schismate.

Secessionem ab ecclesia Romana mox aliae mutationes in ecclesia Anglicana sequebantur. Imprimis monachi, sedi apostolicae arcte devincti, et bonis amplissimis praediti, e medio tollendi videbantur. Igitur Henricus Thomam Cromvell, virum laicum, a. 1535. suum in rebus ecclesiasticis vicarium generalem constituit, eique visitationem omnium monasteriorum in Anglia demandavit. Is regis consiliis respondens tot ac tantas de eis corruptelas retulit, ut senatus a. 1536. ea non amplius tolerari posse judicaret, quo facto primum minora, deinde usque ad annum 1539. omnia, numero 640, praeterea 110 hospitalia, et 2344 sacella sublata, eorumque bona, praeter ea, quae Cromvellus ejusque socii ad se traxerunt, a rege partim sumtibus publicis, praecipue militaribus, partim novis episcopatibus dotandis impensa, partim aulicis donata, partim exiguo

pretio divendita, aut aliis fundis permutata sunt. Idem Cromvellus regis nomine multa sanctorum festa abrogavit, multas eorum imagines et reliquias sustulit, nec non sacras peregrinationes interdixit. Quibus aliisque profanationibus animi populi religiosi adeo offensi sunt, ut a. 1536. multa virorum millia ad modum eis ponendum surgerent, brevi tamen tempore ad quietem iterum redacti. Anno autem 1540. Henricus Cromvellum, qui praeter regis voluntatem multa injuste, violenter, et crudeliter egerat, Lutheranismum promoverat, et nova regi uxore, ei mox displicente procurata, ejusdem indignationem incurrerat, suo populique odio immolavit, et ex senatus judicio damnatum capite plecti jussit. Contra ipsum vero regem, qui praeter novationes, hactenus enarratas, a. 1536. per senatum duo decreta tulit, quorum altero omnia privilegia et exemtiones a pontificibus concessae abrogabantur, altero poenae severissimae in asseclas pontificis statuebantur; qui etiam S. Thomam, saeculo 12. archiepiscopum Cantuariensem, ab Anglis devotissime cultum ad tribunal suum citaverat quasi perduellionis reum condemnaverat, ossa ejus concremari, et cineres dispergi jusserat: a. 1538. Paulus papa III. sententiam, quam ante tres annos ei jam minatus fuerat, solemniter tulit, vi cujus tanquam haereticus, moechus, multorum innocentium interfector, et laesae majestatis pontificiae reus excommunicationi, ejus regnum autem interdicto subjectum, ejus subditi a fidelitatis officio absoluti, aliique principes ad eum debellandum et regno privandum provocati sunt. Quamquam autem Henricus pontificis auctoritatem penitus rejiceret, religionem tamen Catholicam caeterum integram in regno suo conservari voluit, atque hinc in Lutheranos, qui favente Cranmero aliisque, indies latius in occulto serpebant, saepius graviter animadvertebat, annoque 1539. per senatum, nunquam ei contradicere ausum, sex articulos, ipsa capitis poena contra impugnatores munitos statui curavit, quorum primo transsubstantiatio, altero

communio sub una specie, tertio caelibatus clericorum, quarto votum castitatis servandum, quinto missae sacrificium pro vivis et defunctis offerendum, sexto confessio peccatorum coram sacerdote facienda praescribebatur. Praeterea per quosdam theologos et praelatos institutionem popularem in religione confici curavit, maximam partem Catholicam, licentiam quoque, biblia in linguam vernaculam translata legendi, quam agentibus clandestinis Lutheranis antea illimitatam concesserat, a. 1542., cognitis abusibus, circa ea commissis, plurimum restrinxit. His tamen omnibus impedire non potuit, quo minus numerus Lutheranorum in Anglia continuo usque ad mortem ejus, quae a. 1547. accidit, augeretur.

Saunders de origine ac progressu schismatis Anglicani. Burnet historia reformationis ecclesiae in Anglia. Gerdes historia reformat. Tom. IV. Salig Vollständige Historie der Augsburgischen Confession und derselben zugethanen Kirchen. 2. Theil.

§. 623. Lutheranismus in Polonia.

Poloni Hussitarum et Calixtinorum placitis, quae non paucis eorum, praesertim nobilium probabantur, pro suscipiendo Lutheranismo praeparati erant. Is jam a. 1518. in Polonia innotescebat, et cum inter episcopos ipsos nonnulli ei faverent, brevi tempore non exigua, nominatim in Massovia et Cracoviae, tunc regum sede, incrementa cepit. Haec inde ab anno potissimum 1531. multum aucta sunt, ex quo complures Polonorum, litterarum studiosorum, Wittenbergam, et in alias universitates Protestantium proficiscebantur, ibique placita Lutheri inbibebant, quae domum reduces suis propinabant. Ad obicem huic malo ponendum rex et episcopi varia media adhibebant. Celebratae synodi, in quibus haeresis Lutherana condemnabatur, libros de ea tractantes introduci, divulgari, legi, sub severissimis poenis vetitum, inquisitores ad haereticos eorumque libros investigandos constituti. Similia in comitiis regni, nominatim in iis. quae a. 1520. Thorunii habita sunt, decerne-

bantur. Rex Sigismundus I., religioni Catholicae ex animo addictus et haeresis extirpandae studiosus, insuper a. 1534. statuit, ut qui ex Polonis Wittenbergae manerent, ad nullum munus publicum admitterentur, qui vero in posterum eo essent profecturi, exilio aliisque poenis severioribus mulctarentur. Verum his omnibus progressus Lutheranismi eo minus cohiberi poterant, quia poenae decretae raro executioni dabantur, et rex ipse, alioquin exigua potestate instructus, posterioribus regni sui annis a pristino fervore defecit, et legem contra frequentationem universitatum Lutheranarum latam revocavit. Hinc Lutheranismus per universam Poloniam et Lithuaniam magis magisque propagabatur, ita ut Sigismundo a. 1548. moriente, magna pars civium Cracoviensium, multi aulicorum, regni consiliariorum, et nobilium ei addicti essent, qui in fundis suis et urbibus praedicatores habebant, et conventus sacros agebant, quamquam publica et legitima religionis libertate adhuc carerent. Maximo autem studio, in violentias adeo et seditiones prorumpente, urbes Borussiae occidentalis, Polonis subjectae, Elbinga, Thorunium, praecipue Dantiscum placita Lutherana amplexae sunt, ad quod origo et indoles incolarum Germanica non parum contulerit.

Wengiersky systema historico-chronologicum ecclesiarum Slavonic. per provincias varias. Salig. lib. cit. Friese Beyträge zu der Reformationsgeschichte in Pohlen und Litthauen.

§. 624. In Livonia et Curonia.

Livoniae doctrinam Lutheranam primum intulit quidam ludimagister Pomeranus, ab episcopo suo propter haeresin munere privatus, et dein a fratre suo, canonico Rigano a. 1523. ad archidiaconatum ibidem promotus. Hunc mox quidam Megalopolitanus adjuvit, fanatico zelo adeo correptus, ut plebem Riganam et Revalensem ad ecclesias invadendas, et imagines ac sacra suppelle-

ilia destruenda incitaret. Talia audentem tam magistra-
is Riganus, quam magister ordinis equestris in Livonia
ualterus de Plettenberg protegebat, qui posterior pla-
ita Lutheri ex hac quoque causa amplexus est, ut ar-
iiepiscopo Rigano eo facilius urbem subtraheret, quod
uidem aliquo tempore, non tamen semper ei successit.
aeterum archiepiscopus, qui simul episcopatum Dor-
atensem tenebat, impedire non potuit, quo minus Ri-
ani, expulsis clericis Catholicis praedicatores Luthera-
os constituerent, et Dorpatenses, auctore quodam
ellione Suevico Lutheranismum, vi adhibita, introdu-
rent. Dioecesis Oeselana, favente ipso episcopo nova-
onibus accessit. Cum in istis partibus religioni Catho-
cae nemo succurreret, urbes Livoniae, foedere cum
rdinis magistro, cum duce Borussiae, denique cum
rincipibus Protestanticis in Germannia inito, partam
ligionis libertatem tuebantur, Catholici magis magis-
ue deficiebant, episcopatus paulatim cessabant, et tota
rra jam Lutherana erat, cum Gotthardus Kettler,
alteri successor, Russis resistendo jam impar, eam
1561. sub conditione Lutheranismi conservandi, Polo-
traderet, Curonia et Semgallia tanquam feudo Polo-
, ab iisdem protegendo, sibi suisque successoribus
rvata. His quoque in terris satis cito multi ex nobi-
s Lutheranismum admiserant. Episcopus Piltensis,
nes Münchhausen, cujus dioecesin illae constitue-
, Lutheranismo et ipse infectus, consentientibus
icis et vasallis suis, pariter Lutheranis, episcopa-
uum regi Daniae vendidit, et in Germanniam pro-
, matrimonium contraxit. Plebem rusticam, ma-
parte adhuc superstitioni Ethnicae deditam novus
ultis et diuturnis conatibus tandem ad doctrinam
anam perduxit.

usch Liefländische Jahrbücher. Gebhardi Geschichte
Liefland, Esthland, Kurland, und Semgallen. Tetsch
ndische Kirchengeschichte.

§. 625. In Hungaria.

In Hungariam Lutheranismus primum illatus est a quibusdam juvenibus, litterarum studiosis ex Hungaria superiori, qui fama Lutheri excitati, inde ab anno 1522. universitatem Wittenbergensem frequentabant, et placita ibi hausta domum reduces eo effectu inter cives suos propagabant, ut eodem adhuc anno Uihelii, postea in aliis quoque Hungariae superioris oppidis coetus quidam Lutherani coalescerent. Et quamquam rex Ludovicus, a clero et magnatibus rogatus, a. 1524. legem contra eos ferret, et ordines regni anno sequenti in comitiis Pesthinensibus eorum extirpationem decernerent; eodem tamen tempore quinque urbes regiae in Hungaria superiori Bartfa, Cassovia, Eperiesino, Leutschovia, et Seben, Lutheranismum professae sunt, imo in ipsa sede regia, Budae, coetus Lutheranorum exortus est. Status regni perturbatus, qui ex infausta pugna, a. 1526. apud Mohaczium commissa, ipsique regi exitiali, dein ex discordia ordinum Hungaricorum, quorum nonnulli, legitimo successore Ferdinando, Caroli V. fratre repudiato, Joannem de Zapolia, comitem Scepusiensem et Transsylvaniae gubernatorem, regem appellarunt, denique ex enatis inde bellis et invasionibus Turcarum, qui a Joanne in auxilium vocati magnam Hungariae partem occuparunt, et tandem retinuerunt, prodiit, propagationi novationum religiosarum pluribus modis favebat. Etenim primo nonnulli magnates, mox post pugnam exitialem, 5 episcopatuum, quorum antistites in ea occiderant, bona occuparunt, atque ut ea securius retinere possent, doctrinam, quae episcopatus superfluos declarabat, professi, eorumque exemplum alii nobiles multi secuti sunt. Dein quamvis tam Ferdinandus, quam Joannes leges satis severas contra novatores ferrent, tamen calamitates, quibus Hungaria affligebatur, impediebant, quo minus illae executioni darentur. Hinc placita Aca-

tholica indies magis propagabantur, quod a nemine majori cum studio et successu fiebat, quam a Matthia Devay, quem Lutherum Hungaricum appellare solent. Is Lutheri, quem iterato adiit, institutione, familiaritate, consilio usus, inde ab anno 1531. jam in Hungaria quoque inferiori, et ex ipsis Joannis, Budae residentis, aulicis multos Lutheranismo conciliavit, et quamvis bis in carcerem conjectus capite periclitaretur, sedulo tamen, libertati redditus, coepta sua continuavit, tandem vero ad placita Zwinglii transiit, quae jam ab anno 1530. haud pauci apostatarum in Hungaria profitebantur, primam ecclesiam a. 1532. Pataci, cura Petri Perenyi, supremi comitis Abauvariensis nacti. Universim vero Acatholici, qui jam biblia quoque, in linguam Hungaricam translata divulgabant, ita aucti et firmati sunt, ut a. 1545. Erdödii in comitatu Szathmariensi, 29 praedicatores ad fidem suam Lutheranam definiendam convenirent.

Historia diplomatica de statu religionis in Hungaria. Historia ecclesiae Reformatae in Hungaria et Transsylvania. Ribini memorabilia Augustanae confessionis in regno Hungariae. Fessler Geschichte von Ungarn.

§. 626. In Transsylvania.

In Transsylvania primo Hermannopolitani placitis Lutheri imbuti sunt, auctoribus quibusdam mercatoribus, qui ex nundinis Lipsiensibus, quas a. 1521. frequentaverant, illius scripta in patriam attulerunt. His mox accesserunt duo praedicatores ex Silesia, qui Lutherum audiverant, et nunc Hermannopolitanis ejus doctrinam magnopere commendabant, ecclesiam Romanam simul vehementer impugnantes. Quos cum supremus nationis Saxonicae in Transsylvania judex adjuvaret, et contra episcopum tueretur; incolae brevi tempore liturgiam Catholicam negligebant, clericis consueta tributa denegabant, pontifici cantilenis insultabant. Rex quidem Ludovicus, agente clero a. 1523. scripta

Lutheri concremari jussit, imo supplicia contra Lutheranos decrevit. At quamvis illud reapse fieret, haec tamen propter potentem incolarum resistentiam effectui dari, et propagatio Lutheranismi inter Hermannopolitanos tam parum impediri potuit, quam inter nobiles in universa Transsylvania, quōs bonorum ecclesiasticorum cupido ad illum amplectendum perducebat. Joannes de Zapolia denuo quidem supplicia contra Lutheranos decrevit, quod decretum clerus etiam urgebat. Sed parum inde effectum. Quin Hermannopolitani a. 1529. postquam Joannes a Ferdinando devictus et pulsus esset, monachos et cunctos, in religione Catholica perseverantes ex urbe expulerunt. Paulo serius Coronopolitani ad Lutheranismum defecerunt, duce potissimum Joanne Honter, qui a. 1533. Basilea, ubi litteris vacaverat, in patriam redux, novationes religiosas inter Saxones in Transsylvania maximo studio promovit, et hunc in finem etiam typographiam erexit, in qua scripta Lutheri, confessio Augustana, et alii hujus generis libri prelo committebantur. Talia Zapolya, qui iterum ad possessionem Transsylvaniae pervenerat, jam tolerabat. Eo autem a. 1540. mortuo, Georgius Martinusius, episcopus Magno-Varadinensis, cujus consiliis Isabella, Joannis vidua utebatur, novatores supprimere statuit. Praevaluerunt tamen in comitiis, a. 1543. Claudiopoli habitis, reliqui Isabellae consiliarii, Acatholicis faventes, quo factum est, ut jam universa natio Saxonica Lutheranismum amplecteretur, quem in prima sua synodo a. 1545. celebrata, solemniter professa est. Inter reliquas duas nationes, pariter jam a multo tempore novationibus infectas, multi placita Zwingliana admiserunt. Omnes jam tranquilla libertate in negotio religionis fruebantur, eaque ad rem suam ecclesiasticam in synodis firmandum utebantur.

Historia ecclesiae Reformatae in Hungaria et Transsylvania. Haner historia ecclesiar. Transsylvaniç. Benkö Transsylvania, Gebhardi Geschichte der mit Ungarn verbundenen Staaten.

§. 627. In Gallia.

In Gallia multa acciderant, quae animos ad pontifices et ecclesiam Romanam reprobandam disponere poterant. Talia erant sectae haereticae, Waldensium scilicet et Catharorum, qui etiamsi maximam partem extirpati essent, tamen in posteris suis quamdam sentiendi rationem, ecclesiae Romanae adversam reliquerant; conamina Bonifacii papae VIII., majorem in Galliae regnum potestatem sibi vindicandi; offendicula, quae pontifices Avenionenses et dein schismatici dederant; principia a Petro Alliacensi, Gersonio, Nicolao de Clemangiis contra usurpationes pontificum asserta; horum renitentia contra reformationem ecclesiae adeo necessariam, et contra concilium Basileense, quod eam tentabat; eorum molimina contra sanctionem pragmaticam, Gallis tantopere probatam, effectum tandem consecuta; denique dissidia, haud ita diu inter Ludovicum XII. et Julium papam II. agitata. Mirum igitur non est, Lutheri coepta et doctrinas, quamprimum in Gallia innotescebant, multis, praesertim eruditorum et cultiorum hominum probatas fuisse, cum alioquin nonnulli inter eos ipsos, (nominatim Faber Stapulensis, theologiae in universitate Parisiensi doctor, qui scholasticorum auctoritatem vilipendebat, saniori philosophiae et philologiae studebat, atque inde ab anno 1523. versionem bibliornm vernaculam edebat,) emendandae doctrinae et praxis ecclesiasticae studiosi essent. Inter primos fautores et promotores novarum doctrinarum erat Guilielmus Brissonet, episcopus Meldensis simulque abbas monasterii S. Dionysii prope Parisios. Is eruditos secum consentientes Meldum vocavit, iisque munus docendi tam in ecclesia, quam in scholis concredidit. Hi ab anno 1521. novationes religiosas eo effectu ibi commendabant, ut coetus quidam Lutheranorum exoriretur, qui vero post aliquod tempus, episcopo ejusque clientibus ad rationem redden-

dam provocatis, dissipatus est. Majori cum efficacia et constantia novationes promovit Margaretha, Navarrae regina, quae apud fratrem suum, Franciscum I. Galliae regem plurimum valebat. Haec enim novis doctrinis addicta cum primariis earum praedicatoribus communicabat, persecutioni obnoxiis refugium praebebat, Acatholicos universos aere adjuvabat, sacris Parisiensium suggestibus plures praedicatores Lutheranismo infectos intrudebat, atque etiam in Bearnia et Aquitania, sensu strictiori sic dicta, praedicatores Lutheranos constituit, sacros conventus agentes et eucharistiam sub utraque specie distribuentes. Ab altera parte varia et severa etiam media adhibebantur ad novationes earumque asseclas supprimendos. Sorbonna, ad cujus judicium Lutherus iterato provocaverat, eum a. 1521. haeresiarcham ejusque scripta igne digna pronuntiavit. Eadem in scriptis aliorum novatorum examinandis et condemnandis, et sententiis contra auctores ferendis assidua erat. Archiepiscopus Senonensis, idemque supremus regni cancellarius et cardinalis, Antonius du Pradt, a. 1527. cum episcopis suis suffraganeis Lutetiae synodum celebravit, in qua 16 doctrinae Lutheri tanquam haereticae condemnatae, lectio librorum ab eo ejusque asseclis confectorum, nec non conversatio cum eis sub poena excommunicationis prohibita, sed et decreta, clericorum moribus emendandis et abusibus ecclesiasticis tollendis idonea, condita sunt. Similem synodum anno sequenti Franciscus de Tournon, archiepiscopus Bituricensis in metropoli sua habuit. Rex Franciscus, sincerus religionis Catholicae cultor, a. 1526. causas haereticorum magistratibus judicandas commisit, atque curiae per Galliam magna in illos severitate utebantur, ita ut novationum doctoribus haud raro ignis supplicium infligeretur.

§. 628. Continuatio.

Verum genius saeculi etiam in Gallia jam ita comparatus erat, ut illis omnibus progressus novationum

cohiberi non possent, quia indies plures ex omni hominum genere, ex ipsis clericis et nobilibus, ad eas deficerent; professoribus quibusdam, aliisque viris, eruditionis laude florentibus, modo tecte, modo aperte cooperantibus. Cum numero Lutheranorum eorum audacia jam adeo crescebat, ut propter denegatos sibi sacros conventus irritati, a. 1534. libellum, conviciis vehementissimis in missam et transsubstantiationem plenum, typis impressum, una eademque nocte in omnibus fere Galliae regionibus, locis publicis, ipsisque cubiculi regii valvis affigerent. Inde publica et communis Catholicorum consternatio et indignatio exorta, solemnis processio ad hoc facinus expiandum Parisiis habita, rex vero dolore et furore adeo correptus est, ut coram aula sua affirmaret, tantum abfuturum, ut cuicunque sectariorum parcatur, ut a proprio corpore membrum, quod haeresi infectum sciret, abscindi jussurus esset. Hinc jam aucta severitate in haereticos animadversum, magnusque eorum numerus e medio sublatus. Verum extirpari tam parum poterant, ut potius usque ad mortem regis, a. 1547. defuncti, in omnibus Galliae regionibus, praecipue in orientalibus, meridiem spectantibus augerentur. Pro eo maximam partem extirpatae sunt reliquiae Waldensium, qui in confiniis Pedemontii duo oppida et triginta circiter pagos incolebant, caeterum religionem a pristina majorum in multis diversam tenebant. Quam cum nunc placitis Protestantibus conformarent, et conjunctionem cum his inirent, senatus Aquensis a. 1540. praecipuam eorum sedem destruendam decrevit, quod decretum rex post frustraneam ad reditum in ecclesiam admonitionem, et post factam sibi relationem, quasi Helvetiis juncti libertatem sibi asserturi essent, confirmavit. At praeses senatus, idemque copiarum praefectus a. 1545. ultra voluntatem regis progressus, militibus eos invasit, pagos eorum plerosque incendit, maximam eorum partem

sine discrimine sexus et aetatis interfecit, reliquos dissipavit, nomen eorum in Gallia delevit.

Thuani historiae. Mezeray histoire de France. Maimbourg histoire du Calvinisme. Benoit histoire de l'edit de Nantes. Beze histoire ecclesiastique des eglises Reformées au royaume de France. De Serres commentarii de statu religionis et reipublicae in regno Galliae.

§. 629. In Belgio.

In Belgio quoque Lutheri coepta et scripta satis cito quam plurimis probabantur, primo quidem inter litteratos et clericos, e quibus Augustiniani Antverpienses caeteris praevenerunt, deinde etiam inter populum in omnibus fere provinciis, maxime vero in Hollandia, Seelandia et Flandria. Vicinia Germanniae, ipsa rei novitas, corruptela ecclesiastica, propensio in majorem, quoad instituta ecclesiastica libertatem, haec et similia Belgas novis doctrinis conciliabant. Elapsa jam periodo Joannes Wessel aliique assertiones illis faventes in Belgio disseminarant; nunc Erasmus Rotterdamensis, vir ob eruditionem, ingenium, et mores integros maximae auctoritatis, multa in theologia et oeconomia ecclesiastica emendanda notabat, idemque et Philippus Burgundus, episcopus Ultrajectensis, aliique plures, caeterum Catholici, de monachis, clericorum caelibatu, aula pontificia, legendis sanctorum, abjecte sentiebant, et plures Lutheri assertiones approbabant, non perpendentes, quem in finem ejus molimina directa sint, ad quem gradum progressura. Carolus V. imperator, ad quem Belgium pertinebat, novatores maximo studio supprimere conabatur, eumque in finem majori continuo severitate utebatur. Ac primo quidem edictum Wormatiense ad Belgium quoque extendit, dein a. 1522. inquisitores constituit, qui contra haereticos pervicaces ignis quoque supplium decernebant. Prohibiti praeterea conventus sacri extra ecclesias, disputationes et sermocinationes de fide, sacra-

mentis, conciliis, pontifice, impressio librorum sine praevia censura, lectio s. scripturae, quam in linguam vernaculam, juxta Lutheri versionem translatam novatores inter populum divulgabant. Praecepta quoque librorum haereticorum concrematio, et superioribus ecclesiasticis ac civilibus injunctum, ut caverent, ne inepti aut depravati concionatores constituerentur, qui populum fabulis aut malis moribus offenderent. Sed his omnibus parum profectum est, Lutherani potius continuo augebantur, imo audaciores facti picturis turpibus B. Mariae caeterisque sanctis insultabant, instituta et dogmata Catholica conviciis proscindebant, imagines sacras destruebant, cultum publicum turbabant, clericos ignominia et injuriis afficiebant, denique conjurationes contra rempublicam ecclesiasticam et civilem faciebant. Hinc Carolus a. 1529. legem tulit, iis, quibus pristina inquisitionis tribunalia usa fuerant, admodum similem, et a. 1550. adhuc severiorem. Quae, quamquam effectui dabatur, numerus tamen Lutheranorum non defecit, praesertim cum Maria, quam sororem suam Carolus a. 1532. Belgii gubernatricem constituit, illos, quantum poterat, leniori modo haberet, aut impunitos dimitteret. In hoc statu res permanserunt usque ad annum 1555. quo Carolus Belgium Philippo filio suo tradidit.

Brandt Historie der Reformation in Niederland. Gerdes historia evangelii renovati. Grotii annales et historiae de rebus Belgicis. Wagenaar allgemeine Geschichte der vereinigten Niederlande.

§. 630. Articuli Schmalcaldici.

Cum tranquillitas et concordia inter Germannos nonnisi compositis religionis dissidiis sperari posset: spes autem ea componendi in concilio oecumenico reposita esse videretur, imperator jam serio de tali concilio celebrando cum pontifice agere coepit. Clemens VII. ad illud congregandum minime proclivis erat,

verens, ne secundum exemplum patrum Constantiensium et Basileensium potestatem in ipsum pontificem sibi assereret, et aulae ac curiae ejus reformationem decerneret. Tandem imperatori quidem instanti cessit, voluit autem, ut solummodo ad opprimendos ecclesiae hostes, non item ad eam reformandam, porro ut in aliqua Italiae urbe celebraretur, atque ut omnes, etiam qui illud non participassent, ad ejus decreta admittenda obligarentur. At Protestantes, quibus haec omnia improbabantur, postulabant, ut concilium in Germannia haberetur, ut a pontifice nulla ratione dependeret, ut res in eo non pristino more juxta traditiones et leges ecclesiasticas, sed juxta solam s. scripturam decernerentur, denique ut sui quoque theologi vocem decisivam haberent. Tanta postulantes nec Paulus III., qui Clementi a. 1534. successit, et concilii congregationem multo magis cordi habebat, flectere potuit; ejus propositionem, ut modus concilium celebrandi hujus ipsius definitioni relinqueretur, suspectam habebant. Scilicet a systemate suo non amplius discessuri, concilio jam supersedere volebant, prout Lutherus legato pontificio diserte dixit, eoque magis ab eo alieni erant, quod metuerent, ne ad ejus decreta acceptanda, et potestatem pontificis admittendam adigerentur. Ne vero religiosae unionis conamen de industria eludere viderentur, et quoniam saepius ad concilium provocaverant, coram illo, quod pontifex a. 1537. Mantuae celebrandum indixerat, fidem suam exponere statuerunt, eumque in finem a Luthero librum quemdam confici curarunt, fidei articulos ita exhibentem, ut ii, a quibus nunquam recessuri essent, secernerentur ab iis, circa quos cum adversariis tractare possent. Ad illos referebant justificationem per solam fidem, missam, purgatorium, indulgentias, episcopatus, monasteria, potestatem pontificiam; ad istos poenitentiam, peccatorum confessionem, eucharistiam, baptismum, ordina-

tionem, bona opera, potestatem clavium, leges ecclesiasticas, caelibatum clericorum. Qui articuli, stylo vehementi, Luthero familiari compositi, quoniam ab ordinibus et theologis Protestanticis, a. 1537. Schmalcaldi congregatis subscripti fuerunt, Schmalcaldici dicti sunt.

§. 631. Gravamina Catholicorum contra Protestantes.

Interim Protestantes multa sibi indulgebant, quae imperatori et Catholicis non poterant non gravissime accidere. Scilicet indies magis, quae ex religione Catholica suis in terris supererant, abolebant, jurisdictionem episcoporum abrogabant, bona ecclesiastica sibi attribuebant, clericosque Catholicos redditibus privabant, contra sententias tribunalis camerarii, ad quod defraudati juxta decretum Augustanum injurias sibi illatas deferebant, quodque restitutionem et poenas contra defraudantes decernebat, multum excipiebant, contendentes, in rebus cum religione cohaerentibus se ex pace Norimbergensi ab illo tribunali exemtos esse; cumque illud adversus eos procedere non cessaret, ejus jurisdictionem in ejusmodi causis non amplius agnoscebant. Iidem porro non tantum cunctis suis subditis novationes religiosas vi et poenis obtrudebant, sed etiam subditos ordinum Catholicorum in illas pronos publice sub praesidium suum, contra magistratus et dominos illorum constituebant, ita, ut his metus esset, ne tali ratione paulatim loco suo moverentur, et terris suis exuerentur. Imo variis occasionibus verbo et opere non obscure significabant Protestantes, sibi de eo agi, ut religio Catholica penitus e Germannia eliminetur, et purum verbum Dei, sicut Lutheri placita appellabant, ubique introducatur. Iidem contra legem pacis Norimbergensis, nonnisi tunc confoederatis concessae, continuo plures ordines in foedus suum Schmalcaldicum suscipiebant, etiam tales, qui decretum

Augustanum acceptaverant, jamque exercitum semper paratum sustentabant. Novi socii erant: duo duces Pomerani, dux Würtembergensis, rex Daniae qua dux Holsatiae, Henricus dux Saxoniae, comes palatinus Bipontinus, principes aliquot Anhaltini, comes Tecklenburgensis, et plures urbes Germanniae meridionalis ac septentrionalis. Denique etiam cum Galliae et Angliae regibus, imperatori infestis, de foedere pangendo saepius deliberabant. Imperator haec Protestantium ausa efficaciter coercere tunc non valebat, quia ab altera parte Galli, ab altera Turcae ei rem faciebant, ab ordinibus autem Catholicis, bellum timentibus, auxilium nullum expectandum erat. Igitur Protestantibus monendis et corripiendis acquiescere debebat, ad quod accessit foedus, a. 1538. auctore Caroli vicecancellario a principibus quibusdam Catholicis ad defensionem pro eo casu initum, si quis eorum a Protestantibus religionis aut bonorum ecclesiasticorum causa impeteretur. Quum jam periculum esset, ne bellum intestinum oriretur, in comitiis a. 1539. Francofordii habitis, quibus nec imperator, nec rex Ferdinandus, sed tantum legati utriusque intererant, de pace tractatum, et post mutua, quae Catholici et Protestantes sibi faciebant, opprobria, in eo conventum est, ut pax usque ad finem anni sequentis protenderetur.

§. 632. Ulterior propagatio Lutheranismi in Germannia.

Protestantes gravaminum Catholicorum nullam rationem habebant, sed continuo audaciores jam postulabant, ut nemo in terris Catholicis Lutheranismum amplecti prohiberetur, aut amplectens detrimentum quoddam pateretur, sed saltim salvis suis bonis ad ipsos migrare permitteretur; porro ut etiam Lutherani in tribunal camerarium susciperentur. Animum, haec omnia postulandi audendique incrementum eis addidit, quod eorum factio identidem capiebat. Etsi enim fa-

cinus, quo Lutherus, Melanchthon, aliique inter theologos eorum primarii, Philippum Hassum duas simul uxores tuta conscientia habere posse, a. 1539. scripto declararunt, genium reformatorum satis manifestasset; proselyti tamen, sive spontanei, sive coacti eis non deficiebant. Sic Henricus, dux Saxoniae, qui jam a. 1537. Lutheranismum in territorium suum Freybergense introduxerat, post duos annos fratris sui Georgii, sine prolibus masculinis mortui haeres, eundem nunc in Misniam, quam ille possederat, invexit, et qui ex incolis adhuc Catholici erant, ad eum amplectendum adegit. Similiter post mortem Joachimi I. electoris Brandenburgici, religionis Catholicae admodum studiosi, a. 1535. defuncti, ejus filii, a matre Lutheranismo clam imbuti, hunc publice profitebantur, et junior quidem, qui marcam novam et ducatum Crossensem in Silesia possidebat, anno jam 1536.; senior vero, patris in electoratu successor, Joachimus II. 1539. anno. Etsi hi religionem a se electam subditis suis non obtruderent, eorum tamen plurimi, qui hactenus in Catholica perseveraverant, principum suorum exemplum secuti sunt. In provinciis Austriaco-Germannicis tertio jam saeculi 16. decennio plures ex nobilibus et civibus novas doctrinas approbaverant, quorum numerus subsequo tempore ita auctus est, ut a. 1541. viginti quatuor equites et decem urbes Austriae, similiter haud pauci Styriae et Carinthiae, Ferdinando Pragae diaetam celebranti libellum supplicem offerrent, quo liberam Lutheranismi professionem, imo introductionem petebant, sed a principe, religionis Catholicae studioso repulsam tulerunt. E contra Otto Henricus, comes Palatinus a. 1542. Lutheranismum in ducatum suum Neoburgensem, et postquam stirpe familiae principali emortua, elector factus fuisset, etiam in Palatinatum introduxit. Ex episcopis Albertus Moguntinus a. 1539. incolis episcopatuum Magdeburgensis et Halberstadiensis, quos pariter

tenebat, jam a multis annis maximam partem Lutheranis, liberum religionis exercitium pro multo aere concessit. Anno 1536. episcopus Brandenburgicus Lutheranismum in dioecesin suam introduxit. Episcopus Monasteriensis idemque Osnabrugensis et Mindensis eundem a. 1543. publice professus oves suas pastoribus Lutheranis commisit. Ipse elector Coloniensis, Hermannus, per Bucerum et Melanchthonem, quos annis 1541. et 43. advocavit, terras suas juxta placita Lutherana reformare aggressus, attamen a. 1545. a subditis suis Catholicis ad imperatorem et ad pontificem delatus, ab illo omnes novationes omittere jussus, ab isto excommunicatus et depositus est. Igitur et nonnulli episcopi et plerique principes saeculares, exceptis Austriacis et Bavaricis, et omnes fere liberae imperii urbes cum civibus et subditis suis plerisque ad nova sacra transierunt, atque etiam in terris principum Catholicorum multi, et hinc inde plurimi iisdem addicti erant.

§. 633. Pax inter Catholicos et Protestantes aegre conservata.

Ad ulteriorem in Germannia pacem procurandam imperator medium, jam saepius frustra adhibitum, denuo tentavit, amicam scilicet moderatorum utriusque partis theologorum de religione collationem, quae 1540. Wormatiae inchoata, et anno sequenti in comitiis Ratisbonensibus continuata est. Sed quamquam theologi de doctrinis quibusdam controversis inter se convenerant, reliqui tamen tam Catholici quam Protestantes omnem litium religiosarum compositionem, qua quid in favorem partis adversae concederetur, rejecerunt. Caeterum a comitiis plus in favorem Catholicorum, quam Protestantium decretum est. Hoc decretum imperator singulari declaratione in commodum Protestantium ita mitigavit, ut hi doctrinis suis illimitate inhaerere, monasteria et ecclesias suis in terris ad reformationem Christianam admittendam adigere possent, cu-

vis religionem eorum amplecti liceret, etiam Protestantes in tribunal camerarium susciperentur, istudque ad hanc declarationem observandam obligaretur. Ad haec Protestantibus indulgenda imperator nonnisi rerum angustiis, in quibus versabatur, permoveri potuit. Scilicet quartum contra Galliam bellum tunc imminebat; Turcae perpetui Ferdinandi hostes, occupata Buda, magna Hungariae parte potiti erant, indeque ulterius progredi minabantur, quapropter imperator et ejus frater ordinum Germannicorum, adeoque Protestantium auxilia desiderabant. Haec bene scientes, et continuis suis incrementis confisi confoederati Schmalcaldici continuo majora audebant. Sic in scripto quodam, imperatori Ratisbonae tradito postularunt, ut in universam Germanniam Lutheranismus introduceretur, et speciatim loco episcoporum, quibus regimen civile terrarum ab eis possessarum relinqui posset, superintendentes ad rem ecclesiasticam dirigendam instituerentur, caelibatus clericorum abrogaretur, et bona ecclesiastica in alios usus, speciatim litterarios impenderentur. Eodem anno 1541. elector Saxoniae, mortuo episcopo Naumburgensi seu Ziziano, electionem novi episcopi, a capitulo factam rejecit, episcopatum, imperio immediate subjectum, contemtis jussis et minis imperatoris, militibus occupavit, omnibus, qui in religione Catholica adhuc perseverabant, Lutheranismum obtrusit, et Nicolaum Amsdorf, unum ex primis Lutheri collegis et asseclis, superintendentem cum modico stipendio constituit. Anno sequenti idem elector et Philippus Hassus Henricum, ducem Brunsvicensem, religionis Catholicae studiosissimum, quia proscriptionis sententiam, a tribunali camerario contra Goslariam pronuntiatam executioni dabat, ejus terra expulerunt, Lutheranismum in eam introduxerunt, et nonnisi ducis filiis pro immodica pecunia reddere volebant. Foederati Schmalcaldici jam in omnibus causis, utut mere saecularibus tribunali camerario obedientiam denega-

bant, ut in illud viri e gremio suo susciperentur postulare pergebant, concilium, etsi nunc pontifex urbem ad Germanniam pertinentem, Tridentum, futuram ejus sedem, consentientibus Catholicis destinaverat, simpliciter rejiciebant, perpetuam pacem et illimitatam religionis libertatem poscebant, atque jam bellum minabantur. Cum augustiae imperatoris ejusque fratris perdurarent, imo auctae essent, adeoque ambo Protestantium suppetiis contra Gallos et Turcas indigerent, quas illi semper postulationibus suis adstringebant; a. 1542. pax, una cum indulgentiis Ratisbonensibus quinque annos duratura eis concessa est. Sed Protestantes postulationem suam perpetuae et irrestrictae pacis quotannis repetebant. Ordines Catholici a tali concedenda eo potissimum alieni erant, quod, ne tum Lutheranismus ampliores adhuc progressus suis in terris facturus esset, metuerent. Quum vero imperator alia ratione auxilium nullum ab eis impetrare posset, in comitiis Spirensibus anni 1544., Catholicis non consentientibus, sed tantum permittentibus, ex plenitudine potestatis suae pacem usque ad dissidiorum religionis compositionem, a concilio generali efficiendam, vel si hujus congregatio diu adhuc retardaretur, in aliis comitiis tentandam prorogavit, tribunal autem camerarium post tres annos, juxta postulationem Protestantium innovandum, et interea ab iis judicandis cohibendum esse promisit.

§. 634. Concilium Tridentinum.

Anno sequenti, 1545. concilium toties desideratum tandem Tridenti congregatum est, cujus initia Lutherus adhuc vidit, non multo post, mense Februario anni 1546. mortuus. Istud, licet jam ante plures annos a pontifice indictum, tamdiu retardatum fuisse, variis causis effectum est, nunc bello inter imperatorem et Galliae regem exorto, nunc ducis Mantuani, in cujus metropoli pontifex primo concilium congregare voluit, postulatione, ut urbs praesidio militari muniretur, quam pontifex ceu he-

nori et libertati concilii adversam rejecit, nunc difficultate, consensum omnium principum Catholicorum impetrandi, nunc conditionibus, quas Protestantes respectu concilii, a se agnoscendi proponebant. Hos concilio, quod eorum placita non approbaverit, se subjecturos, et per illud in ecclesiam Catholicam reducendos esse, pontifex quidem sperare non poterat. Ut illud nihilominus congregaret, eum partim desiderium imperatoris permovit, spem unionis in illo reponentis, partim spes, ulteriorem saltim ab ecclesia Catholica defectionem eo cohibendam esse, maxime vero conamina, collationibus theologorum utriusque partis, et praescriptis publicis unionem religiosam efficiendi, quae conamina imperator propria auctoritate instituebat, pontifici autem minime probabantur. Igitur concilium 13. Decembris anni 1545. Tridenti reapse inchoatum est. In decreto de inchoando concilio, prima sessione, praesentibus 29 episcopis praelecto, extirpatio haeresum, pax et unio ecclesiae, reformatio cleri et populi Christiani tanquam fines concilio propositi indicabantur. Desiderabat imperator, ut primo reformationis opus a concilio perageretur, eo quod abusus et corruptelae ecclesiasticae causa essent, ob quam plurimi ab ea defecerant, iisque perdurantibus quotidie adhuc deficiebant, et quod, si doctrinae controversae mox, Protestantibus non auditis, definirentur, hi eo minus ad concilium participandum permovendi essent. Sed legati pontificii concilio praesidentes, quos non fugiebat, Protestantes, neque sublatis abusibus et corruptelis ecclesiasticis, neque admissis eorum disputationibus theologicis, placita sua dimissuros esse, pristino mori, ex quo in conciliis oecumenicis semper res fidei, utpote caeteris graviores, primo definitae fuerint, eo magis insistendum esse contendebant, quia reformatione ante omnia suscepta, ecclesia quasi se ipsa damnatura et haereticorum defectionem justificatura esset. Lis desuper exorta eo terminata est, ut definitio fidei et reformatio simul in quavis sessione peragenda statueretur.

Caeterum concilio haec negotia pertractandi methodus placuit, ut causae definiendae prius in conventibus specialioribus a theologis et canonistis examinarentur, eorum consulta in congregationibus generalibus proponerentur, et demum in publicis sessionibus promulgarentur. Quod jam res fidei attinet, in decreto, sessione 4. promulgato canon s. scripturae statutus, seu illi libri tanquam sacri et divinitus inspirati pronunciati sunt, qui in versione Latina, vulgata dicta continentur; traditionibus sacris eadem ac s. scripturae reverentia seu auctoritas adjudicata; ex diversis, quae tunc circumferebantur bibliorum versionibus eadem illa vulgata authentica ac proinde talis pronunciata est, qua in publicis praelectionibus, disputationibus et concionibus ceu valida uti liceat; denique prohibitum, ne quis contra doctrinam ecclesiae, cujus sit s. scripturam interpretari, et contra unanimem patrum consensum, eam interpretari audeat. Sessione 5. doctrina Catholica de peccato originali; 6. de justificatione; 7. de sacramentis in genere, et de baptismo ac confirmatione in specie proposita, et plures canones, quibus errores contrarii adjecto anathemate reprobabantur, promulgati sunt.

§. 635. Bellum Schmalcaldicum.

Interea Protestantes concilium Tridentinum rejicere pergebant, multumque reclamabant, cum Ferdinandus in novis comitiis, a. 1545. Wormatiae habitis, dissidiorum religiosorum compositionem concilio, quod Tridenti jam congregabatur, relinquendam esse statueret. Et quamquam eis proponeretur, si reformatio, a concilio decernenda unioni efficiendae non sufficeret, ea de re in aliis comitiis deliberari posse, omnem tamen concilii participationem simpliciter recusabant. Igitur imperator, novam de religione collationem indixit: quae quidem anno 1546. Ratisbonae inchoata, sed paulo post orto de agendorum occultatione, quam imperator postulabat, Protestantes denegabant, dissensu, iterum soluta

est. Cum in comitiis, quae imperator post aliquot menses in eadem urbe aperuit, Protestantés in concilio reprobando perseverarent, eis bellum tandem indixit, quod a confoederatis Schmalcaldicis, contra quos gerebatur, Schmalcaldicum dictum est. Eorum duces, elector Saxoniae, et comes provincialis Hassiae, qui in litteris a se publicatis, imperatorem, instigante antichristo, Romae sedente, auctoritate sua ad extirpandam religionem Christianam et libertatem Germannicam abuti, conviciabantur, ab eo ex causis, quibus universim confoederatos Schmalcaldicos Catholicis graves accidisse, et revererentiam ac obedientiam Caesari debitam laesisse supra narratum est, publice proscripti sunt. Iidem junctis suis cum reliquorum sociorum copiis cito quidem amplissimum exercitum, Caesareo longe numerosiorem in Suevia collegerunt; attamen Mauritius dux Saxoniae, qui, etsi ipse Lutheranus, foedus cum imperatore inierat, terris electoris occupatis hunc ad copias suas a caeteris disjungendas et in Saxoniam reducendas permovit, quo facto caeteri ab imperatore ad deditionem compulsi sunt.

§. 636. Concilii Tridentini solutio.

Dum haec fierent, legati pontificii de concilio Tridentino, cui praesidebant, in Italiam transferendo imo solvendo agere coeperunt. Vera causa, qua permoti id fecerint, metus fuisse videtur, ne Paulo III., jam grandaevo et infirmo, morte abrepto, concilium electionem novi pontificis, consiliis suis magis faventis, sibi assereret. Paulum alia ratione, sibi non minus gravi, ut concilio in Italiam transferendo consentiret, permovere conabantur, ei scribentes, timendum esse, ne imperator, cum nunc in armis sit, reformationem gravius sollicitaret, imo ejus rationem praescriberet. Carolus, ubi legatorum molimina rescivit, tanta indignatione commotus est, ut etiam in minas contra eos erumperet, idque eo magis, quod jam hostibus superior, spem,

Protestantes ad concilium participandum adigendi conceperit. At legati, minis imperatoris in proposito suo magis firmati non quieverunt, donec pontifex potestatem sibi fecisset, concilium, consentientibus plerisque patribus, alium in locum transferendi. Ut hi consentirent, effecit morbus, qui priori anni 1547. tempore Tridenti grassari coeperat, et contagiosus videbatur, imo a multis pestis dicebatur. Igitur sessione octava, 9. Martii celebrata, concilium Bononiam in Italia transferendum pronunciatum est, quo facto legati pontificii cum episcopis sibi consentientibus mox illam urbem petierunt, iis solis, qui ex terris Carolo subjectis erant, hoc jubente Tridenti permanentibus. Is non multo post apud Mühlbergam Saxoniae cum exercitu electorem subito invasit, ipsumque cepit, quo facto hic electoratui, quem Mauritius accepit, scripto renuntiavit, sed libertati non est restitutus. Similiter Carolus Philippum Hassum, qui ad veniam impetrandam, Halam ad eum accesserat, captivum retinuit, quia eo libero pax et unio sperari non poterat. Caeterum imperator praepotentia sua minime ad religionem Catholicam Protestantibus vi obtrudendam utebatur, sed sicut antea, ita et nunc dissensionem, admissa legitima concilii auctoritate tolli volebat. Hunc in finem pontificem ad concilium Tridentum revocandum permovere conabatur. Sed Paulus imperatoris monitis eo minus cedebat, quod hic, duce Parmensi interfecto, Placentiam occuparit, quam sicut Parmam Romani ad possessiones ecclesiae suae referebant. Igitur Carolus per legatos concilio, quod in duabus, quas Bononiae celebravit, sessionibus, nonnisi negotia sua prorogabat, solemniter intercessit, quo facto, episcopis plerisque domum revertentibus, illud a. 1548. paulatim solutum est.

§. 637. Norma religionis interim valitu[ra]

Quemadmodum imperator ad unionem religi[onis] inter Germannos efficiendam pontificem, ut conci[lium] Triden[tum]

Tridentum revocaret, permovere conabatur; ita ab altera parte in comitiis, mense Septembri anni 1547. Augustae inchoatis, a Protestantibus, ut concilium acceptarent, postulabat. Hi desiderabant, ut pontifex ei non praesideret, episcopi a jurejurando, quo illi obstricti essent, absolverentur, theologis suis vox decisiva concederetur, decreta, hactenus condita, iis praesentibus denuo examinarentur. Imperator quidem generatim tantum promisit, se curaturum, ut causae ecclesiasticae in concilio rite tractentur, reformatio conveniens decernatur, et sufficiens securitas ac libertas Protestantibus in concilio paretur. Nihilominus ejus praepotentia effecit, ut tandem omnes concilio se accessuros promitterent. Quoniam vero repetitae sollicitationes de concilio restituendo effectu carebant, imperator, ne turbatus rerum status in Germannia perduraret, quamdam religionis formulam, a theologis quibusdam moderatioribus compositam, ordinibus acceptandam proposuit, quae interim, usque ad plenam dissidiorum compositionem per concilium valeret, et hinc τὸ interim dicta est. Haec formula doctrinas, inter utramque partem controversas sensu Catholico proponebat, atque etiam supremam pontificis potestatem, caeremonias, sacra suppellectilia, festa, nominatim festum corporis Christi, benedictiones, jejunia, praescribebat, et solummodo in favorem Protestantium clericis uxoratis matrimonium, et laicis calicem eucharisticum permittebat. Ordines in comitiis, a. 1548. Augustae continuatis, praesentes, plerique formulam illam admittebant, paucis tantum Protestantibus contradicere audentibus. Sed extra comitia fere nemo eam approbabat. Catholicis, nominatim Romanis, concessio matrimonii clericorum et communionis sub utraque specie, neglecta episcoporum jurisdictio et bonorum ecclesiasticorum restitutio, sed vel maxime id displicebat, quod imperator absque auctoritate ecclesiae, formulam fidei praescribere praesumserit. Protestantes ei, ceu

maximam partem Catholicae fere ubique renitebantur. In terris novi electoris Saxonici res, eo mandante, ita acta est, ut a theologis Wittenbergensibus, quibus mortuo Luthero Melanchthon praesidebat, nova formula interimistica ex Augustiana conficeretur, in quam, statuto principio, res adiaphoras, i. e. tales, quae s. scripturae non adversentur, pacis et obedientiae causa observari posse, pleraeque doctrinae et caeremoniae τα interim, attamen in sensum explicatae Lutheranum, receptae, aliquae vero, velut transsubstantiatio, invocatio sanctorum, purgatorium penitus omissae sunt. Haec formula, quae ab urbe, ubi ordines Saxonici eam acceptarunt, interim Lipsiense dicta est, gravissimas inter Lutheranos lites excitavit, annis 1549. et 50. maxime ferventes, siquidem theologi alii, speciatim Thuringici, praecipue vero Matthias Flacius, (Albonae in Istria natus, et inde Illyricus cognominatus, hactenus linguae Hebraicae apud Wittenbergenses professor, quibus derelictis nunc Magdeburgum concessit) iisdem defectionem a Lutheranismo non sine conviciis exprobrabant, res ab eis admissas adiaphoras esse negabant, atque ne in adiaphoris quidem adversariis cedendum esse contendebant.

§. 638. Concilii Tridentini renovatio ejusdemque iterata solutio.

Mors Pauli papae III., quae versus finem anni 1549 accidit, spem unionis in concilio repositam, in animo imperatoris resuscitavit. Reapse ejus successor, Julius III., qui concilio Tridentino qua primarius legatus pontificius interfuerat, Caroli monitis de eo restituendo cessit, illudque 1. Maji anni 1551. Tridenti iterum celebrandum indixit, sperans simul, imperatoris conamina, fidem statuendi ac reformationem tentandi, nec non ulteriorem ad Protestantes defectionem eo cohibendam esse. Ordines Germannici in comitiis Augustanis a. 1550 imperatore optimam de suis apud concilium conatibus

spem faciente, plerique concilio se accessuros promiserunt, Protestantes tamen postulata sua superius commemorata repetierunt. Ipsi tres archiepiscopi electores, Carolo gratificaturi, nunc ad concilium profecti sunt. Hoc autem penitus repudiavit, suosque episcopos ab eo retinuit Henricus II. rex Galliae, ea quidem ex causa, quia simultates patris sui adversus Hispaniam continuans verebatur, ne unione ope concilii inter Germannos producta, Carolus Galliae nimis praevaliturus esset; quam ob rem pontifici, concilium restituenti vehementer succensebat, omnibusque decretis, a patribus condendis, per legatum Tridentum missum in antecessum reclamavit. Sed patres nulla hujus protestationis ratione habita, doctrinam Catholicam de eucharistia, poenitentia, et extrema unctione definierunt, eamque una cum canonibus, errores oppositos damnantibus, 3. et 4. seu, omnibus numeratis, 13. et 14. sessionibus promulgarunt. Ordines Protestantici, speciatim dux Würtembergensis legatos quidem et theologos Tridentum miserunt, qui fidei confessionem a Brentio, theologo inter suos primario compositam patribus tradiderunt. Legati, quos paulo serius, initio nempe anni 1552. Mauritius Tridentum misit, contra formulas liberi commeatus, quem pro theologis suis postulabant, iterum iterumque excipiebant, et praeter alia poscebant, ut decreta hactenus condita praesentibus theologis suis denuo examinarentur, et rerum caeterarum decisio usque ad eorum adventum differretur. Etiamsi jam concilium ejusmodi Protestantium postulationibus satisfacere non posset, sessione tamen 15. pronuntiatum est, placuisse patribus, decretorum jam conditorum promulgationem usque ad proximam sessionem differre, cum sperandum sit, fore, ut Protestantes propediem adveniant, ejusque decretis se subjiciant. Verum Mauritius non sincere unionem cum Catholicis intendebat, sed solum otium ad bellum contra imperatorem parandum quaerebat. Maculam, quam prodita re Protestantium

sibi inusserat, deleturus, et emolumentis ea sibi paratis incircumscriptam religionis, nec non majorem in re politica et civili libertatem, porro gloriam, eadem haec bona consortibus suis parasse, adjecturus, fiducia, quam imperator in eum collocabat, abusus, anno jam 1551. cum Henrico II. Galliarum rege, et principibus quibusdam Germannicis, nominatim Alberto Baruthino foedus contra imperatorem clam iniit, Magdeburgum ab imperio proscriptum, cujus expugnationem Carolus, nihil mali de eo suspicans, ei commiserat, suis obsequiis mancipavit, et copias imperii, quibus praefectus urbem obsederat, retinuit; ad fucum autem faciendum legatos Tridentum misit, qui theologos Saxonicos mox secuturos esse fidem faciebant. Hi quidem reapse iter ingressi sunt, at Norimbergae ex occulto Mauritii mandato substiterunt. Is enim ad bellum jam paratus mense Martio anni 1552. exercitum contra imperatorem Oenipouti morantem ducebat, Philippi Hassi captivitatem, et copias extraneas, quas imperator in Germannia retinebat, velut ordinum libertati adversas, causam praetendens. Bellum ita exortum patribus Tridentinis, ab ejus theatro non admodum remotis, timorem incussit, effecitque, ut episcopi Italici mox fugam arriperent, et electores quoque ecclesiastici in Germanniam reverterentur. Reliqui in sessione decima sexta, 28. Aprilis habita, decretum promulgarunt, quo concilium in duos annos suspensum est.

§. 639. Pax religiosa Augustana.

Mauritius ea celeritate usus est, ut imperator, qui nihil tale suspicans ad bellum prorsus non paratus erat, copias colligere non posset, sed ad fugam capiendam adigeretur. Simul rex Galliae Germanniam invasit, et tres episcopatus Lotharingicos praemia auxilii Protestantibus praestiti retulit. Praeterea Ferdinandus Turcis tunc temporis ubique succumbebat. Haec imperatorem coegerunt ad pacem, qualem volebant,

Protestantibus concedendam. Ac primo quidem in transactione, a. 1552. Passavii facta, praeter dimissionem Philippi Hassi praevie statutum est, ut abhinc pax esset inter Catholicos et Protestantes, in proximis comitiis solemniter firmanda, et usque ad perfectam dissensionis religiosae compositionem, vel si haec effici nequiverit, perpetuo duratura. Cum Albertus Baruthinus, belli et praedae cupidus, arma deponere recusaret, et episcopatus in Franconia et ad Rhenum aliasque provincias vastaret ac depraedaretur, comitia, eo demum oppresso, a. 1555. Augustae celebrari potuerunt. In his tandem Protestantes desideriorum suorum compotes facti sunt. Statutum enim, ut confessioni Augustanae addicti non minus quam Catholici plena religionis libertate et jurium aequalitate gauderent, a jurisdictione episcoporum immunes essent, et bona ecclesiastica, hactenus occupata retinerent; ut, qui in terris ordinum ecclesiasticorum sive nobiles, sive urbes aut aliae communitates religioni Lutheranae nunc adhaereant, ad eam deserendam non compellerentur; ut in liberis imperii urbibus, in quibus hactenus utraque religio viguit, hic status porro perduraret; ut subditi, religionem mutaturi, a nemine quidem contra legitimum suum magistratum protegerentur, attamen, divenditis bonis, pro aequa redemtione emigrare permitterentur; ut imperio immediate subjecti plena religionis mutandae libertate gauderent. Si quis autem episcopus, praelatus, aut alius clericus Catholicus ad sacra Lutheranornm transiturus esset, episcopatum, beneficium, aut munus suum sine mora, salvo tamen suo honore, amittito, quae conditio reservatum ecclesiasticum dicta est. Haec pax, a qua omnes, qui nec ad Catholicos, nec ad Lutheranos pertinebant, nominatim Zwingliani exclusi erant, ab urbe, in qua de ejus conditionibus conventum est, pax religiosa Augustana dici consuevit. Anno sequenti Carolus, qui nunc omnes suas terras partim Philippo filio, partim fratri Ferdinando tradebat, etiam imperio

se abdicavit, et post privatam duorum annorum vitam, in monasterio quodam Hispanico transactam, a. 1558. e vivis excessit.

§. 640. Zwinglianismus per Helvetiam Gallicam propagatus.

Interea novationes religiosae in Helvetia partim solidatae latiusque propagatae, partim diversas mutationes passae fuerant. Zwinglius enim et Oecolampadius discipulos haud paucos reliquerant, qui post mortem eorum opus ab eis coeptum felici cum successu continuarunt. His accesserunt Guilielmus Farelius, in Delphinatu, et Petrus Viretus, Urbae in Helvetia Gallica natus, ambo Parisiis novationibus infecti, quas circa annum 1530. in eadem Helvetia Gallica magno cum ardore propagare conabantur. Posterior a. 1536. Lausannae eo cum successu praedicavit, ut magistratus incolis potestatem faceret, novas doctrinas admittendi, ejusque sectatores jam sacras imagines publice destruere auderent. Plene autem novationes non tantum Lausannae, sed etiam in toto Vaudo introductae sunt, cum non multo post, bello inter ducem Sabaudiae et Bernenses exorto, posteriores illa terra et aliis quibusdam ditionibus potiti essent. Tum enim pro suo, alios ad doctrinam sibi probatam trahendi studio, publicam de religione disputationem Lausannae instituerunt, in qua Farelius et Viretus religionem Catholicam impugnarunt. Hoc facto imagines et altaria ex ecclesiis auferri totamque rem ecclesiasticam ad mentem Zwinglii ordinari jusserunt. Paulo ante etiam in civitate Genevensi novatores, iisdem Farelio et Vireto ducibus, praevaluerant. In ista urbe, quae Bernensibus et Fryburgensibus foederata, libertatem suam tuebatur, ab anno 1527. doctrinae Zwinglianae asseclas nactae fuerant, quorum numerus paulatim plurimum quidem increscebat, a Fryburgensibus autem, religioni Catholicae fideliter inhaerentibus, et episcopo Genevensi, cu-

civilis quoque regiminis pars erat, usque ad annum 1533. adhuc reprimebatur. Postquam autem episcopus, qui aliis quoque ex causis cum universa civitate collidebatur, eam a. 1534. reliquisset et excommunicasset, novatores, agentibus Farelio et Vireto, numero et animo adeo aucti sunt, ut a. 1535. jam ecclesias irruerent, altaria subverterent, imagines confringerent, et magistratum alioquin infectum ad missam omnesque ritus Catholicos prohibendos permoverent, quo facto, anno sequenti res ecclesiastica ad modum Zwinglianum composita, schola, sicut Lausannae, ad novam doctrinam tradendam, firmandam ac propagandam erecta, et fidei confessio, a Farelio composita, ab omnibus incolis cum jurejurando acceptata est; qualem eodem anno etiam theologi primarii Tigurini et Basileenses, mandantibus civitatum Zwinglianarum in Helvetia rectoribus, Basileae composuerunt, Lutheranis in Germannia, quibuscum conjungi desiderabant, imo concilio, quod tum jam indicebatur, exhibendam, ab omnibus civitatibus Zwinglianis in Helvetia paulo post subscriptam, et primam confessionem Helveticam dictam.

§. 641. Calvinus.

Verum eadem illa civitas Genevensis sedes et centrum novae religionis, quam reformatam dicunt, post aliquot annos evasit, ex quo nempe Joannes Calvinus primarius praedicator et rector ecclesiae ibi constitutus est. Erat is Gallus, a. 1509. Novioduni in Picardia natus, qui diversis in locis, ubi ex voluntate patris sui jurisprudentiae studebat, novas religionis doctrinas imbibit, tantoque earum amore captus est, ut Parisiis omnem suam operam theologiae navaret, simulque opiniones suas aliis instillare satageret. Poenae, quibus rex Franciscus novatorum audaciam reprimere conabatur, etiam Calvinum ad patriam a. 1534. relinquendam permoverunt, quo facto varias regiones peragravit, et tandem a. 1541. Genevae altera vice sedem suam fixit, ex quo

tempore eximiis quibusdam dotibus illimitatam fere auctoritatem ibi consecutus est, ita, ut non tantum rem ecclesiasticam usque ad mortem suam, quae a. 1564. accidit, pro arbitrio dirigeret, sed etiam, cum admodum imperiosus esset, in constituenda republica civili magnam sibi partem vindicaret. Pro sua in moribus praecipiendis severitate non prius quievit, ac spectacula, choreae, aliaeque oblectationes publicae abrogatae essent, morumque disciplinam etiam excommunicatione introducta sustentare conatus est. Ad rem ecclesiasticam administrandam consistoria erigenda praescripsit, ex praedicatore et senioribus composita, et inde presbyteria dicta, adeoque contra ac Zwinglius, magistratui civili potestatem in rebus ecclesiasticis fere nullam concessit. Sed et quoad doctrinam in pluribus capitibus ab illo recessit, nominatim in eucharistia, in peccato originali, in libero arbitrio et in praedestinatione. In eucharistia enim docuit, pios per fidem, adeoque spiritualiter vel virtualiter, corporis et sanguinis Christi participes fieri, et per vivam passionis et mortis Christi memoriam, quam panis et vini symbola excitent, animos credentium ita pasci, sicut cibo et potu corpus nutritur. De peccato originali orthodoxe praecepit, attamen liberum arbitrium eo penitus destructum statuit, ita ut homo jam necessario malum eligat et ad bonum nullo modo cooperari possit, gratia divina sola illud totum efficiente. In praedestinatione S. Augustino longe ulterius progressus eo usque insaniit, ut statueret, Deum, quo aliorum arbitraria salvatione, aliorum damnatione clementiae et potentiae suae thesauros manifestaret, hominis lapsum jam ante creationem non tantum praevidisse, sed etiam dispensasse, adeoque damnandos non solum ad miseriam, sed ad ipsum etiam peccatum praedestinasse, unde sequitur, quod Calvinus etiam diserte docuit, Deum auctorem esse peccati. Hinc mirum non est, plures ex doctoribus Genevensibus, quos homo intolerans sibi non cedentes urbe expulit, et aliquo, etiam

theologos Helveticos ei contradixisse; illud mirum, hos tandem a. 1549. et alios plurimos ei accessisse, erronea textuum sacrorum applicatione deceptos. De sacramentis autem in universum cum Zwinglio statuit, eis ut meris symbolis, promissiones Dei benevolas obsignantibus, vim gratiae divinae conferendae nullam inesse; et baptismum ad salutem non esse necessarium. Doctrinas suas Calvinus non tantum oretenus, sed etiam in plurimis scriptis exegetici, dogmatici, et polemici generis proposuit, inter quae maximam celebritatem nacta est ejus institutio religionis Christianae, 4 libris contenta, quorum primo de Deo creatore, altero de Deo redemtore Christo, tertio de Spiritu s. hominum sanctificatore, adeoque de fide, poenitentia, justificatione, oratione, praedestinatione, quarto de ecclesia, sacramentis, baptismo, et eucharistia, tandem de magistratibus, legibus, et subditis tractatur. Praeterquam quod praedicatoris munere fungebatur, Calvinus etiam theologiam Genevae docebat; cumque ejus fama permoti, plurimi ex diversis terris ad eum convolarent, quamplurimos discipulos erudivit, qui placita ejus domum ferebant, ibique propagabant. Quoniam numerus discipulorum continuo crescebat, Calvinus magistratum Genevensem permovit, ut a. 1559. universitatem fundaret, in qua praeter disciplinas theologicas etiam philosophicae tradebantur. Inter novos theologiae professores celeberrimus evasit Theodorus Beza, nobili genere in Burgundia natus, ex scriptoribus Calvinianis eruditissimis, qui Calvini coepta post ejus mortem summo studio praesertim in Gallia promovit, et a. 1605. ex hac vita migravit.

Praeter libros, supra loco correspondente citatos, Bezae vita Joa. Calvini.

§. 642. Concilii Tridentini finis.

Postquam Protestantes pace Augustana inconditionatam religionis libertatem consecuti essent, eos con-

cilio accessuros fore, non amplius sperari poterat. Nihilominus decere videbatur, ut coepta fidei definitio et reformatio ad finem perduceretur. Nonnulli principes Catholici subditis suis, in novationes pronis, ut eos in religione Catholica retinerent, varia, ab ecclesia non probata concedebant; alii, ut majora adhuc eis concederentur a pontifice postulabant; nonnulli, velut reges Galliae et Poloniae, concilium nationale ad rem religionis componendam congregare meditabantur. Cunctis his moliminibus, pontifici ingratis, imo periculosis concilio generali obviari poterat. Ulteriori fidei definitione et ampliori ecclesiae reformatione, si non heterodoxi ad fidem Catholicam reduci, tamen orthodoxi in sua religione firmari, et factionis adversae incrementum cohiberi posse videbatur. Hac ex causa praecipue reges Hispaniae et Galliae, quorum in terris novatores indies majores progressus faciebant concilii Tridentini continuationem desiderabant. Eis accessit Ferdinandus imperator, qui nondum omni spei renuntiaverat, sufficienti reformatione, a concilio generali decernenda, plures saltim ex Protestantibus in ecclesiam Catholicam reductum iri. His rebus permotus Pius papa IV. concilium denuo indixit, a. 1560 in eadem urbe Tridentina celebrandum. Ejus conamina, etiam Protestantes ad concilium frequentandum permovendi, effectum nullum consecuta, praecipua causa erant, cur concilium anno demum 1562. aperiretur. Episcoporum numerus nunc longe major erat, ac sub Julio III. unquam fuerat; sub hoc enim nulli sessioni ultra 64 adfuerant, sed nunc mox in prima seu universim decima septima, 18. Januarii celebrata 112 praesentes fuere, inter quos Itali et Hispani maximam partem efficiebant. Verum in hac et sequentibus tribus sessionibus praeter decretorum promulgandorum prorogationem fere nihil actum est, partim quia principum nonnullorum, etiam Protestanticorum legati expectabantur, partim quia de objectis reformationis amplae deliberationes et litigationes exortae erant, [illegible]

dem legati Caesarei non tantum reformationem prae caeteris suscipiendam urgebant, sed etiam plures articulos, reformationis objecta continentes, ab imperatore sibi transmissos patribus exhibuerant, in quibus etiam concessio calicis eucharistici pro laicis, et matrimonii pro clericis desiderabatur. Verum, etiamsi legati Caesarei patribus asseverarent, nonnisi concesso calice plurimorum in terris Austriacis defectionem ad Lutheranismum impediri posse, et legati Gallorum ac Bavarorum idem de suis affirmarent; concilium tamen metuens, ne opinio haeretica, non sub unaquaque specie totum Christum esse, promoveretur, morem, hactenus vigentem non mutandum existimavit, sed potius sessione vigesima prima, 16. Julii celebrata, communionem sub utraque specie haud necessariam declaravit. Attamen in sessione sequenti, qua doctrina Catholica de missae sacrificio promulgata est, peculiare decretum editum, quo calicis eucharistici concessio judicio pontificis committebatur. Post haec materiae ad sacramentum ordinis pertinentes in examen vocatae, qua occasione magna dissidia de eo, an episcoporum potestas immediate, an mediate per pontificem a Christo descendat, et an eorum superioritas supra presbyteros in jure divino vel humano fundetur, exorta sunt. Eodem tempore etiam litigationes de reformatione increverunt, cum cardinalis Lotharingiae, qui nunc cum pluribus episcopis Gallicis Tridentum venit, nomine regis sui multos novos reformationis articulos concilio proponeret, Romanis magnam partem non probatos, simulque legati Gallici et Caesarei opus reformationis instantius ac unquam urgerent; quapropter reapse multa decreta, reformationem attinentia condebantur. His ex causis factum est, ut proxima sessio 23., post 10 demum menses, nempe 13. Julii anni 1563. celebrari posset. In ea statutum, existere in ecclesia Christiana verum et visibile sacerdotium, sacram ordinationem veri nominis esse sacramentum, characterem indelebilem

animo ordinati imprimens. Sequenti sessione, 11. Novembris celebrata decretum, matrimonium esse sacramentum, et anathemate percussi, qui dixerint, polygamiam nulla lege divina prohiberi, ecclesiam non habere jus, statuendi impedimenta, matrimonium dirimentia, matrimonium posse dissolvi, matrimonium virginitati et caelibatui praestare, causas matrimoniales ad forum ecclesiasticum non spectare. Ita rebus gravissimis tum quoad fidem tum quoad reformationem plerisque definitis, concilium jam ad finem vergebat. Igitur 3. et 4. Decembris ultima seu 25. sessio celebrata, in qua decretum promulgatum, quo purgatorium, preces pro fidelibus defunctis, invocatio Sanctorum, cultus reliquiarum et sacrarum imaginum, denique indulgentiae ceu salutares adstruebantur, (attamen quae poenae per eas remittantur, definitum non erat) atque superstitiones et abusus, qui circa ista omnia obtineant, removeri jubebantur. Dein decreta, sub Paulo III. et Julio III. promulgata, iterum praelecta sunt. Denique patres, numero 255, acta subscripserunt, Ita concilium terminatum, quod quoad fidei definitiones unanimiter ab omnibus Catholicis acceptatum, merito credendorum norma habetur, cum antiquam fidem contra novos errores egregrie explanarit vindicaritque.

Pallavicini istoria del concilio di Trento. Latine: Vera concilii Trident. historia. Sarpi istoria del concilio Tridentino.

§. 643. Novationes religiosae in Italia et Hispania.

Concilium Tridentinum non potuit efficere, ne novationes religiosae in omnibus fere regnis occidentalibus indies latius diffunderentur. Inter ipsos Italos haud pauci animum eis adjecerant, de quo non adeo mirabitur, qui meminerit, eos, quo propinquiorem sibi aulam pontificiam habebant, eo majori saepe contemtu et nonnunquam seditione in eam invectos fuisse, et reflorescentibus litterarum antiquarum studiis haud pau-

cos harum cultores varias ecclesiae Romanae res impugnasse, imo ipsam religionem Christianam abjecisse. Itaque mox primo tempore complures in Italia extiterunt, qui Lutheri dictis et coeptis faverent, ejusque ac sociorum ejus scripta inter populares suos propagare studerent, velut Augustiniani Taurinenses, et Calvius, typographus quidam Ticinensis. His conaminibus, nec non terrarum, Italiae contiguarum, praecipue Helvetiae vicinia, et ipsius rei novitate ac speciositate, tertio saeculi decennio, in omnibus fere terris Italicis complures ad novas doctrinas in animum admittendas pertracti sunt. Roma a. 1527. a copiis Caesareis, inter quos multi Lutherani erant, expugnata et foede vastata; (quae urbis et pontificis ad summas augustias redacti fortuna a multis ut justa vindicta divina considerabatur) versio bibliorum vernacula, ab anno 1530. vulgata; patrocinium, quod Renata, ducis Ferariensis uxor, novationibus admodum addicta, earum asseclis praestabat, haec talia ad horum numerum augendum non parum contulerunt. In proprios tamen coetus, eosque non admodum numerosos, nonnisi Locarni in Helvetia Italica, et Venetiis, Vincentiae, ac Tarvisii coaluere, cum reipublicae Venetianae rectores tum propter commercium, tum propter minus quod pontificibus exhibere solebant, obsequium, indulgentiores erga illos se exhiberent. In regno Neapolitano praecipue Bernardus Occhino, ex ordine Capucinorum, vir ob vitae severitatem et sacram eloquentiam celebratissimus, sed clam novis doctrinis assentiens, dum quarto saeculi decennio Neapoli concionaretur, easdem, earumque de s. scriptura unico religionis fonte principium auditoribus suis frequentissimis tecto modo at eo successu instillavit, ut etiam homines plebeji de materiis religiosis disputarent, et ad biblia, speciatim Pauli epistolas provocarent. Postquam talia aliquamdiu tolerata fuissent, ecclesiae et civitatum rectores luem, in occulto latius latiusque serpentem jam severioribus mediis cohiben-

dam esse censebant. Itaque regni Neapolitani guberna-
tor a. 1542. multa Erasmi, Melanchthonis, Occhini, alio-
rumque novatorum scripta publice concremari jussit,
et poenas severissimas illis minatus est, qui talia pro-
pagarent, aut librum religiosum a clero non probatum
typis mandarent. Inquisitio tamen, cunctis vehementer
resistentibus, introduci non potuit. Pro eo carceres,
bonorum ademtio, imo supplicia non tantum in re-
gno Neapolitano, sed etiam in aliis Italiae civitatibus,
in ipsa republica Venetiana adhibebantur contra nova-
tores, qui caeterum non consentiebant, aliis Luthero,
aliis Zwinglio adhaerentibus, aliis proprium systema
foventibus, aliis ipsam divinam Trinitatem rejicientibus.
Ad poenas evitandas eorum multi in terras Italiae vi-
cinas, praecipue in Helvetiam, in ditionem trium foe-
derum fugiebant, ibique coetus singulares efformabant.
Cum vero iis omnibus heterodoxorum numerus non ad-
modum minueretur, supplicia contra eos jam frequen-
tius adhibebantur, praecipue inde ab anno 1555. quo
Paulus papa IV. et Philippus II. Hispaniarum et utri-
usque Siciliae rex, acerrimi haereticorum hostes, ad
regimen pervenerunt. Ille antiquas leges, a pristinis
pontificibus contra haereticos latas resuscitavit, et a.
1559. ingentem librorum ab haereticis scriptorum nu-
merum concremari curavit. Cum etiam ejus succes-
res, praecipue Pius V., ab anno 1566. pontifex, ejus
vestigiis inhaererent, et reliquos Italiae principes ad
haereticos insectandos permoverent, hi usque ad an-
num fere 1570. in Italia tandem extirpati sunt.[1]) —
Eodem circiter tempore Protestantismus etiam in Hi-
spania deletus est, in quam terram aulici, qui Car-
lum V. in Germannia comitabantur, theologi Hispani-
ci, quibus ille ad Protestantes impugnandos utebatur,
milites, quos subinde in Germanniam ducebat, nova-
tionum hic ortarum partim cognitionem, partim amo-
rem eo eventu retulerunt, ut Hispanorum non pauci
eis se addicerent. Quorum numerus ab anno poli-

mum 1550. adeo crevit, ut in omni hominum genere, sexu et aetate, inter litteratos, clericos, et nobiles non minus, quam inter plebejos plurimi essent, novis doctrinis addictissimi, et periculum existeret, ne religio Catholica ex tota Hispania eliminaretur. Hinc inquisitio, urgente ipso rege Philippo, haereticos abhorrente, munere suo jam summo cum ardore fungebatur, nec prius quievit, quam novationum amici omnes disparuissent. [2])

[1]) Gerdes specimen Italiae Reformatae. Schelhorn amoenitates historiae eccles. et litterariae.

[2]) Geddes martyrologium eorum, qui in Hispania ob professionem religionis Protestantium supremo supplicio affecti sunt.

§. 644. Status religionis in Anglia. Sub Eduardo VI.

E contra hi nunc in Anglia praevalerunt. Henrici VIII. filius, Eduardus VI. cum patri succederet, nonum demum annum agebat, et a novatore quodam in religione institutus fuerat. Ejus avunculus, dux Sommersetanus, qui nomine protectoris supremum regimen gerebat, novationum religiosarum erat studiosissimus, easque una cum Cranmero omni modo promovere conabatur. Illo auctore camerae (ordines regni) a. 1547. congregatae, sex articulos sub Henrico statutos abrogarunt, illis, qui regem caput ecclesiae Anglicanae esse negarent, supremum supplicium decreverunt, missas privatas interdixerunt, communionem sub utraque specie praescripserunt, et anno sequenti, episcopis multis frustra reclamantibus, matrimonium clericis concesserunt. Nunc etiam reliquiae et sacrae imagines, quas una cum crucifixis novatores jam ex pluribus ecclesiis ejicere coeperant, auctoritate publica omnes ablatae, dies festi ad exiguum numerum reducti, jejunia autem cum abstinentia a carnibus, nec non sacra clericorum vestimenta conservata sunt. At liturgia ita mutata est, ut

forma missae Catholicae magnam partem perierit; lingua vernacula in omnibus sacris functionibus praescripta, et peccatorum confessio coram sacerdote cujusvis communicaturi arbitrio relicta fuit. Postea altaria in mensas conversa, et extrema unctio, chrisma confirmationis, preces pro defunctis et signum crucis abrogata sunt. Haec omnia novis doctrinis conformiter fiebant, quas a. 1551. Cranmerus, concurrentibus caeteris episcopis, auctoritate publica 42 articulis complexus est. In eis rex ecclesiae Anglicanae caput pronuntiatur; ecclesiae, quae s. scripturae testis et custos dicitur, potestas, ritus sacros instituendi, et auctoritas in decernendis fidei controversiis adjudicatur, ita tamen, ut nihil statuere possit, quod in s. scriptura non continetur; de eucharistia doctrina Calvini proponitur; praedestinatio ad salutem absoluta docetur, praedestinatio autem ad miseriam penitus siletur; Christiani ad legem moralem observandam obligati dicuntur; de peccato originali, de gratia divina, et de libero arbitrio orthodoxe praecipitur. Inter media, quibus rectores reipublicae novam hanc religionem propagare conabantur, erant: iterata ecclesiarum totius regni visitatio, rerumque Catholicarum in eis deprehensarum suppressio, catechismi, auctore Cranmero confecti introductio, clericorum Catholice sentientium a praedicatione verbi divini prohibitio, et ad praelegendos sermones, novis doctrinis conformes adstrictio, novatorum extraneorum in Angliam advocatorum ad cathedras theologicas admotio. Inter clericos Anglicanos haud pauci erant, qui novationibus illis se opponerent, quod nemo majori animo fecit, quam Gardinerus, episcopus Viacomianus, bis propterea carceri mancipatus. Sed eorum contradictiones tam parum effecerunt, quam seditio, a. 1549. a multis rusticis, civibus, et nobilibus, priorem religionis statum poscentibus, excitata, sed brevi suppressa. Ita nova religio omnibus obtrusa est.

§. 645. Sub Maria.

Eadem mox iterum loco suo mota est. Maria enim, quae Eduardo jam a. 1553. mortuo successit, a matre Catharina in religione Catholica educata, novationes religiosas eo magis aversabatur, quo minus patrem, earum auctorem, propter injuriam matri illatam, et propter duritiem, erga se ipsam exhibitam, diligere potuerat. Igitur praeprimis facultatem praedicandi et libros edendi Acatholicis ademit, et extraneos Anglia excedere jussit, quos ex ipsis Anglis plurimi, novationum suppressionem praevidentes secuti sunt. Jamque ordines publici, anno adhuc 1553. congregati, secundum voluntatem reginae statum religionis, ab Henrico VIII. introductum, restituendum pronuntiarunt, quo facto praeter alia, missa Catholica ubique restituta, sedes episcopales autem viris Catholicis traditae sunt. Verum regina etiam schismatis maculam ab ecclesia Anglicana abstergi, et communionem cum Romana restaurari voluit, quem in finem pontifex a. 1554. Reginaldum Polum, regiae Anglorum familiae agnatum, qui sub Henrico VIII. propter hujus in uxorem et ecclesiam violentias patriam reliquerat, et propter obsequia, sedi pontificiae abhinc praestita, ad dignitatem cardinalitiam evectus fuerat, in Angliam misit. Is in comitiis publicis nationi, per ordines supplicanti, suumque de schismate dolorem contestanti, solemnem absolutionem et reconciliationem impertivit, et satisfactionis causa nonnisi revocationem omnium legum contra religionem Catholicam et sedem apostolicam latarum injunxit. Caeterum pontifex episcopatus ab Henrico VIII. erectos, ordinationes tempore meri schismatis peractas, nuptias, contra leges ecclesiasticas initas, ratas habuit, et injustos bonorum ecclesiasticorum possessores censuris nullis inquietandos esse promisit. Sed regina, cujus conscientiae haec indulgentia non satisfaciebat, bona ecclesiastica, quae fisco regio obvenerant, reddere sta-

tuit, eaque mandante pontifice tot monasteriis, quot sufficerent, dotandis impendere coepit. Cum praeterea ordines regni antiquas contra haereticos leges restaurassent, ab anno 1555. severe et ipso ignis supplicio in haereticos animadvertebatur, imo genus quoddam inquisitionis introductum. Universitates quoque a professoribus neologis et libris heterodoxis purgatae. His mediis publicus quidem Protestantismus suppressus, minime vero effectum est, ne ejus amici in occulto magno numero perdurarent, atque etiam conventus sacros agerent. Ut et hi paulatim sana doctrina et bonis moribus clericorum Catholicorum ad veram fidem reducerentur, imprimis cardinalis Polus curavit, qui post Cranmerum, a. 1556. propter delicta ecclesiastica et politica capitis damnatum, ecclesiae primatiali praefectus est. Is igitur plura decreta clero reformando apta edidit. Verum quo minus omnia ista ecclesiam purgandi conamina plenum effectum consequerentur, mors reginae Mariae impedivit, quae jam a. 1558. fatis cessit, quamque post 16 horas etiam cardinalis Polus secutus est.

§. 646. Sub Elisabetha.

Soror enim Mariae, Elisabetha, quae nunc ad regnum pervenit, ex matre Protestantica, Anna Bolleni nata, et in novationibus a teneris unguiculis instituta, ad haec a pontifice proles illegitima et regno inhabilis pronuntiata, religioni Catholicae favere haud poterat. Postquam igitur praevie Acatholicos captos dimisisset, exules revocasset, panis consecrati elevationem vetuisset; ordines regni, initio anni 1559. congregati, mira animi abjectione in omnem regum suorum voluntatem proni, nova monasteria, a regina Maria fundata sustulerunt, et Elisabetham ejusque successores supremos ecclesiae gubernatores pronuntiarunt, plenissima potestate ecclesiastica instructos, quam etiam per vicarios a se delectos exercere possent, ex qua concessione

Elisabetha sic dictum altum tribunal ecclesiasticum erexit, e laicis maxime compositum. Praeterea liturgiam omnemque religionem, sub Eduardo VI. introductam restituerunt, cui restitutioni lex addita, qua gravissima poena contra missam aut quemcunque ritum Catholicum peragentes et participantes, contra illos autem, qui die Dominico vel festo a novis sacris abfuturi essent, mulcta 12 librarum statuta est. Jamque regina clericis Catholicis, qui his novationibus reclamabant, ad sacram concionem dicere prohibuit, episcopos, qui fere omnes ei tanquam supremo ecclesiae gubernatori obedientiam jurare recusabant, custodiae tradidit, et paulo post deposuit, eorumque munera Acatholicis dedit. Hi mandante Elisabetha 42 fidei articulos, sub rege Eduardo statutos, denuo examinarunt, et aliquas hinc inde mutationes eis intulerunt, e quibus praecipua haec erat, quod diserta impugnatio realis Christi in eucharistia praesentiae, et tres posteriores articuli, lethargum, regnum millenarium, et suppliciorum infernalium terminationem reprobrantes, omitterentur. Ita ad triginta novem reducti hi articuli in synodo, a. 1562. Londini celebrata, solemniter acceptati sunt, a quo tempore praecipuus liber symbolicus ecclesiae Anglicanae fuerunt. Similiter et liturgia Eduardi theologis quibusdam revidenda commissa vix aliam mutationem subiit, ac quae mitiori sententiae de Christi in eucharistia praesentia respondebat. Caeterum Elisabetha non tantum hierarchiam, seu systema archiepiscoporum, episcoporum, presbyterorum et diaconorum, sed etiam, cum pompa et splendore plurimum delectaretur, alias dignitates ecclesiasticas, velut canonicatus, archidiaconatus, decanatus conservavit; festis Domini festa apostolorum et aliorum quorumdam sanctorum, et jejuniis, hactenus retentis feriam quartam, sed magis e ratione politica, quam religiosa, nempe in commodum numerosorum piscatorum addidit; vestimenta sacra clericorum, externa ecclesiae ornamenta,

altaria, organa et cantum ecclesiasticum, aliosque ritus Catholicos retinuit, imo sacras imagines et caelibatum clericorum aliquamdiu conservavit, postea tamen in his communi Protestantium desiderio cessit. Ita religionem ordinans non tantum animi sui propensionem sequebatur, sed etiam Acatholicorum tam inter se, quam cum Catholicis unionem intendebat, ad quam procurandam in illos, qui avitae fidei inhaerebant, paulatim etiam severis poenis, munerum ademtione, mulctis, carceribus, cruciatibus, exilio, animadvertit, atque his mediis maximam Anglorum partem ad novam religionem suscipiendam adegit; quod ei propter diuturnum regnum usque ad annum 1603. protensum, eo magis successit. Cum deinde propter hanc religionis Catholicae suppressionem a pontificibus Pio V. et Sixto V. anathemate percussa, et subditi ejus ab obedientia et fidelitate erga eam absoluti fuissent; poenas contra Catholicos auxit, et per ordines statui curavit, ut qui Roma litteras pontificias in Angliam intulerit, capitis damnaretur, qui alium a schismate vel haeresi absolverit, vel ecclesiae Romanae conciliaverit, laesae majestatis reus censeretur et tractaretur, porro ut omnes clerici Catholici, post restitutam novam religionem ordinati, Anglia excederent, absentes nunquam reverterentur, ut bona exulum vel religionis causa absentium fisco regio cederent.

§. 647. Scissio inter ipsos Acatholicos in Anglia.

Sed et inter Acatholicos erant, qui reginae vindictam experiebantur, eo quod spe unionis eam deluderent. Illi nempe, qui regnante Maria patriam religionis causa reliquerant, et in Germannia ac Helvetia Calvinianorum placita adoptaverant, nunc in Angliam reversi formam, religioni et ecclesiae ab Elisabetha inditam, multis ex causis improbabant, et ea omnia rejiciebant, quae ex hierarchia, liturgia, et disciplina Ca-

tholica retenta erant, religionem ab eis, quasi inquinamentis purgatam volentes, unde Puritani, et quia sacris, publica auctoritate introductis se non conformabant, Non-conformistae dicti sunt. Elisabetha eorum difformitatem minime tolerandam judicans, primo mulctae, in illos, qui sacra a se introducta negligerent, statutae, eos subjecit, eosque a munere, verbum divinum praedicandi exclusit. Inde effectum, ut circa annum 1566. separatos conventus sacros agere, et ecclesiam propriam efformare coepissent, ac peculiare regimen ecclesiasticum, ex 11 presbyteris compositum sibi constituerent. Ab hoc tempore diversitates eos inter et Conformistas magis magisque increscebant. Fidei quidem articulos istorum non diserte rejiciebant, cum ita concepti essent, ut opiniones suas Calvinianas facile cum eis conjungere possent. At principium, ab ecclesia dominante adoptatum, consuetudines nempe ecclesiasticas primorum 5 saeculorum tenendas esse, reprobabant, eo quod a 3. saeculo ecclesia jam plurimum corrupta fuerit. Quoad hierarchiam, praeter caeteras dignitates ecclesiasticas etiam episcopatum, tanquam primaevae ecclesiae ignotum rejiciebant, omnes religionis ministros juxta s. scripturam inter se aequales et presbyteros esse oportere contendentes, unde etiam Presbyteriani dicti sunt, adversariis, quorum haud pauci episcopos ex institutione divina derivabant, eosque solos valide ordinare posse defendebant, Episcopalibus dictis. Puritani porro juxta Calvini principia regimen ecclesiasticum ecclesiae ipsi, imprimis ejus doctoribus et ministris convenire statuentes, regi amplam, quam Episcopales ei concesserant, potestatem denegabant. Quoad liturgiam et disciplinam, praeter caeteros ritus etiam statas precum formulas, signum crucis in ipso baptismo, baptismum in casu necessitatis a laicis, speciatim obstetricibus collatum, patrinos vivis parentibus, confirmationem pueris et puellis ab episcopis impertitam, puerperarum in ecclesiam introductionem, capi-

tis in pronuntiando Jesu nomine inclinationem, genuflexionem in percipienda eucharistia, ipsumque annulum nuptialem tanquam reliquias abusuum pontificiorum reprobabant. Cum igitur Puritani, quorum principia neque reginae, neque magistratibus, neque episcopis placere poterant, ab ecclesia dominante secederent, poenae contra eos identidem augebantur, conventus eorum sacri sub poena carceris, et amittendi juris civitatis interdicti, mulcta contra absentes a sacris publicis ad 20 libras elevata, a. 1583. ultra 300 praedicatores eorum depositi, viri ad eos inquirendos delecti, a. 1592. carceres imo exilium contra illos, qui sacra Anglicana non accederent, decreta, nonnulli eorum, qui scripta, satyris et conviciis in ecclesiam episcopalem, in ipsam reginam plena, typis vulgaverant, morte mulctati. His omnibus tamen ad unionem cum ecclesia dominante perduci non potuerunt.

Vide libros, supra loco correspondente citatos.

§. 648. Religio Catholice e Scotia eliminata.

Eodem tempore, quo Elisabetha novam religionem in Anglia stabilivit, antiqua Catholica e vicina Scotia eliminata est. In hanc terram rumor novarum doctrinarum anno circiter 1524. ex Anglia maxime pervenit. Ad eas accuratius cognoscendas, Patricius e familia Hamiltoniana, regiae cognata, abbas Fermensis, 21 annos natus in Germanniam profectus est, ubi novatorum placita adeo adamavit, ut post tres annos reversus, ea etiam in patria propagare conaretur, quo quidem conamine eodem adhuc 1527. anno supplicium incurrit, haereticis destinatum, attamen semen dispersit, quod non amplius potuit suffocari. Primo quidem e clero inferiori plures specioso reformationis titulo, et proprii judicii blandimentis capti novis doctrinis animum adjiciebant, quibus progressu temporis etiam laici nobiles et viri litterati accesserunt. Quamquam clerus in eis secundum leges, contra haereticos latas,

puniendis haud segnis esset; tamen eorum numerus, posterioribus praecipue quarti decennii annis admodum crevit, quam ob rem David Beaton, qui a. 1539. ad regimen ecclesiae primatiales in Scotia, a S. Andrea compellatae accessit, cum caeteris episcoqis regem Jacobum V. ad quoddam s. inquisitionis genus instituendum permovit. Rege a. 1542. mortuo novae doctrinae continuo majores progressus faciebant, quamvis Jacobus Hamilton, qui Maria, regis filia et haerede adhuc infante, regnum administrabat, et Beaton unitis consiliis, haereticis extirpandis operam darent, et posterioris, a. 1546. a novatoribus interfecti, successor reformationem cleri, ad cujus mores corruptos illi semper provocabant, aggrederetur. Anno 1554., quo regni administrator ad munus suum deponendum, quod nunc reginae mater suscepit, permotus est, Protestantes jam nec numero, nec viris potentibus, Catholicis cedebant, et insuper multitudine Anglorum, reginam Mariam fugientium confortabantur. Itaque jam indulgente rectrice, quae eis cooperantibus locum a se desideratum obtinuerat, publicos conventus sacros agebant, haereseos causa exules, ipsos Beatonis interfectores revocabant, publice contra religionem Catholicam summa cum vehementia declamabant, sanctorum et Christi crucifixi imaginibus, reliquiis, ipsisque sacerdotibus frequenter violentas manus injiciebant. Primores vero eorum a. 1557. foedus religionis causa inter se inierunt, et anno sequenti non tantum liberum religionis exercitium, a rectrice facile eis concessum, sed etiam, ut lege publica clero potestas, de haeresi judicandi adimeretur, postularunt, quae postulatio cum eis denegaretur, seditiones et violentias minati sunt, eorum praedicatores autem, ad judicium vocati, cum tanta asseclarum multitudine accedebant, ut rectrix, inde territa, eos ut recederent, precaretur. Anno 1559. Joannes Knox, presbyter, jam a Beatone archiepiscopo propter haeresis defensionem publicam gradu dejectus, deinde

propter conjunctionem cum rebellibus ejusdem interfectoribus in Galliam deportatus, vir zelo fanatico plenus et rabidi quasi animi, qui interea Genevae in Calvini placitis et intolerantia confirmatus fuerat, populum ad sacra Catholica, quae idololatriam dicebat, evertenda eo eventu inflammabat, ut is in pluribus urbibus, denique in ipsa metropoli Edino altaria, imagines, omnem ornatum ecclesiarum, et cuncta suppellectilia ac vestimenta sacra destrueret, monasteria, thesauris eorum direptis, cum bibliothecis et tabulariis dirueret, clericos, monachos, aliosque Catholicos pessime tractaret. Simul nobiles fundos aliosque proventus ecclesiarum et monasteriorum sibi attribuebant, quo multi eorum ad novamina amplectenda pertrahebantur. Quibus violentiis cum rectrix armata manu obicem positura esset, Acatholici pariter ad arma convolarunt, et litteras gravissimis minis plenas ad eam dederunt, alias autem ad clerum, cui extirpationem, Israelitis adversus Cananitas a Deo praeceptam, minabantur, quo factum est, ut plurimi episcopi et abbates novationes admitterent, ecclesiarum autem et monasteriorum suorum bona sibi attribuerent. Iidem Protestantes, novis continuo proselytis potentibus aucti, et foedere cum Elisabetha Angliae regina confortati, non tantum eodem 1559. anno Edinum iterato armis occuparunt, sed etiam rectricem, quod militem subsidiarium Gallum e Scotia non dimitteret, instigantibus praedicatoribus, imprimis Knoxio, editis litteris publicis dignitate sua privatam pronuntiarunt, quae his afflictionibus confecta post octo menses e vita migravit. Regina Maria, ejusque maritus Franciscus II. rex Galliae, qui etiam rex Scotiae dicebatur, seditiosos Protestantes, ab exercitu Anglicano adjutos, compescere non valebant. Ii propterea continuo audaciores, ab ordinibus regni, a. 1560. congregatis, postularunt, ut religio Catholica abrogaretur, et clerici, quos fures, homicidas, rebelles, et proditores legitimae principum potestatis nominabant, omni

potestate, munere et honore privarentur. Iisdem ordinibus etiam suam fidei confessionem exhibuerunt, in qua quidem doctrina de eucharistia secundum conceptus Calvini exposita, de praedestinatione autem fere nihil contentum erat. Hanc fidei confessionem ordines approbarunt, postulationibus Protestantium annuerunt, et insuper contra illos, qui ter missae interfuerint, extremum supplicium, contra illos autem, qui quacuncque in re ad Romanum pontificem conversi fuerint, aut ejus nomine jurisdictionem exercuerint, proscriptionem et exilium statuerunt, in his omnibus prorsus illegitime contra regni constitutionem agentes, ex qua nulla lex sine regis consensu proponi, nedum rogari poterat. Sed mors regis Francisci, quae eodem adhuc anno 1560. accidit, eos a metu justae castigationis liberavit. Hinc res suas amplius firmantes novos superintendentes sibi constituebant, librum disciplinarem, in quo res ecclesiastica, secundum normam ecclesiae Genevensis ordinata erat, composuerunt, et ecclesias ac monasteria adhuc reliqua destruxerunt, eo furoris fanatici et depraedandi libidinis progressi, ut ne sepulchris quidem parcerent. Similiter nobiles, ut partem bonorum ecclesiasticorum, quae sibi vindicaverant, in bonum novae religionis aut praedicatorum ejus concederent, nullo modo permoveri poterant.

§. 649. Continuatio.

Maria, quae a. 1561. ipsa in Scotiam venit, in magnis propter suam religionem angustiis erat. Fanatici ne quidem permittere volebant, ut in sacello ejus domestico missa celebraretur. Et quamquam illa in religionem Protestanticam delinquere mox sub capitis poena interdixerat; tamen in ipso solemni ejus in metropolim ingressu, religio Catholica velut idololatria in spectaculis publicis traducebatur. Cum regina a. 1563. aliquo tempore a metropoli abesset, populus a praedicatoribus e sacro suggestu instigatus sacellum ejus

domesticum foede vastavit. Knoxius, seposita omni reverentia, reginam et coram opprobriis vehementissimis usque ad lacrymas obruebat, et e sacro suggestu conviciis proscindebat, eam Jezabel nominare solebat, et Neroni, se vero Paulo apostolo comparabat, imo diserte seditionem in concionibus praedicabat. Ejusmodi sermones Protestantes, qui jam maximam nationis partem faciebant, non dedignabantur, sed potius iis capti, reginae, quam, quod a religione Catholica non recederet, summo odio habebant, depositionem meditabantur. Ut hanc effectui darent, ansam sumserunt a caede mariti reginae, quam ea sciente et volente commissam clamabant. Igitur a. 1567. copiis caesis ipsam custodiae manciparunt, et filio ejus Jacobo, unum nato annum, rege coronato, regni administrationem spurio reginae fratri, novatorum vehementissimo et ambitiosissimo sororique semper infestissimo commiserunt. Archiepiscopum autem pristinum S. Andreae, qui copias regias duxerat, laqueo suspenderunt. Hujus ecclesiae bona, ab archiepiscopo adhuc possessa, quidam ex magnatibus nunc sibi vindicavit, ipsam autem dignitatem cum cura animarum conjunctam universitatis ibidem rectori cum modico stipendio annuo contulit. Ad hoc exemplum a. 1572. decretum est, ut etiam reliquorum episcopatuum munera et tituli praedicatoribus reformatis conferrentur. Sed hi, quibus constitutio episcopalis antichristiana erat, eam a. 1581. abrogandam decreverunt. Reapse a. 1592., frustra renitente rege, constitutionis episcopalis patrono maximo, ex decreto ordinum ipsum episcoporum nomen abolitum, et regimen ecclesiasticum, introductis synodis generalibus et provincialibus, presbyteriis et consistoriis, omnem jurisdictionem exercentibus, totum ad mentem Calvini ordinatum, atque etiam disciplina ab eodem praescripta introducta est, quo facto innovatio ecclesiae Scoticae ad finem perducta fuit.

Buchanan rerum Scoticarum historia. Memoires de Jaques Melvil, traduit de l'Anglois. Gilbert Stuart Geschichte der Reformation in Schottland. Aus dem Englischen. Robertson Geschichte von Schottland unter den Regierungen der K. Maria und des K. Jacobs VI.

§. 650. Status religiosus in Polonia.

In Polonia novae doctrinae altero saeculi 16. di-
idio latissima incrementa ceperunt. Ad haec pluri-
um contulit ipse rex Sigismundus II., Augustus co-
nominatus, qui patri Sigismundo I. a. 1548. successit,
novationibus favebat. Inter harum patronos jam pri-
is regnantis Sigismundi II. annis aulicorum, senato-
um, procerum et caeterorum nobilium plerique per-
nebant. Hinc Acatholici adeo jam audaces erant, ut
ontemtu et minis in clerum ferrentur, jus, haereticos
dicandi ei controverterent, et saltim condemnatos
oenae infligendae eriperent. Porro etiamsi novatoribus
eligionis libertas nulla lege concessa esset, nobiles
amen in fundis suis passim praedicatores habebant,
ovas doctrinas tam in ecclesiis, quam in scholis cum
mni libertate exponentes. Iidem ipsum interitum reli-
ionis Catholicae in Polonia intendebant, eumque in
nem a. 1555. in comitiis Petricoviensibus per legatos
uos concilium nationale postularunt, praeside rege et
udicibus quibusdam extraneis principibus celebrandum,
n quo theologi Protestantes, et inter hos Melanchthon,
Calvinus, et Beza, cum Catholicis disputarent, et o-
mnia secundum solam s. scripturam definirentur. Haec
pse rex approbavit, et praeter tale concilium a Paulo
papa IV. petiit, ut usus linguae vernaculae in missa,
communio sub utraque specie, et clericorum matrimo-
nium Polonis concederetur. Verum non tantum ponti-
fex summa cum indignatione haec omnia rejecit, sed
etiam episcopi constantissime resistebant. Iidem impe-
diebant, quo minus lege publica religionis libertas
Acatholicis concederetur, quam tamen rex sua aucto-

ritate urbibus Borussicis, Dantisco, Thorunio, et Elbingae annis 1557. et 58. scripto etiam documento concessit. Huic rei Stanislaus Hosius, episcopus Varmianus, vir, ob eruditionem et rerum gerendarum dexteritatem, nec non religionis Catholicae studium ab ipsa sede apostolica in rebus gravissimis consultus, cardinalitia dignitate auctus, et qua legatus a. 1563. ad concilium Tridentinum missus, auctor celeberrimae fidei confessionis, Augustanae oppositae, introductis a. 1567. in urbem Elbingam Jesuitis antidotum parare conatus est. Pontifex autem a. 1563. Joannem Franciscum Commendonium, episcopum Zacynthensem, cujus dexteritate aula Romana in rebus ecclesiasticis plurimum utebatur, legatum in Poloniam misit, qui sua prudentia, moderatione, morum suavitate, eloquentia, rei Catholicae inter Polonos plurimum profuit, et inter alia effecit, ut, quamquam ipse archiepiscopus Gnesnensis Uchansky, patriarchatum ecclesiae Polonicae intendens, novationibus clam faveret, ordines a concilio nationali postulando absisterent, et decreta concilii Tridentini acceptarent. — Ad progressus novationum paulatim minuendos nonnihil etiam dissidia inter ipsos Acatholicos conferebant, quippe qui jam in quatuor sectas divisi erant. Nam praeter Lutheranos a. 1548. magna pars fratrum Bohemicorum seu Hussitarum in Polonia consederat, reliquis in Borussiam orientalem abeuntibus. Eos anno praecedenti rex Ferdinandus propter conjunctionem cum Protestantibus Germannicis, Lutheranorum religionem maximam partem approbante, in ipsius regis detrimentum initam, e Bohemia et Moravia, ubi ultra 200 communitates habebant, expulerat. Ex Lutheránis autem complures ad placita Calviniana deflexerant, et qui ex Polonis regnante Sigismundo II. a religione Catholica deficiebant, plerique ad castra Calvini transibant, opera potissimum praedicatorum quorumdam, inter quos Joannes a Lasco celeberrimus erat, ita ut Lutherani Calvinianis numero longe infe-

riores essent. Lutherani Calvinistis et Hussitis maxime propter eorum de eucharistia doctrinam infensi erant, Hussitae utrosque propter laxam disciplinam et mores dissolutos carpebant. Quae dissidia, quum communi Acatholicorum causae noxia essent, viri inter eos concordiae et inde prodeuntis salutis studiosi, imprimis proceres, inde ab anno 1555. plures de religione collationes instituerunt, at plerumque frustraneas, donec in synodo generali, a. 1570. Sendomirii habita, fidei confessio junctis consiliis conficeretur, omnibus tribus partibus probata, quae consensus Sendomiriensis dicta est. Quoniam vero doctrina de eucharistia non ad communem quamdam mentem definita, sed verbis tantum ambiguis proposita erat; vera concordia producta non est, unde postea priores lites et opprobria, praecipue a parte Lutheranorum paulatim recruduerunt. His tribus sectis ab anno 1558. quarta Unitariorum accessit, orta ex quibusdam Italis litteratis, antiquum Antitriniariorum errorem recoquentibus, qui, cum in aliis terris propter dogma suum, etiam Protestantibus illius temporis abominabile, persecutioni obnoxii essent, in Poloniam propter majorem religionis libertatem, ibi vigentem, se receperunt. Haec dissidia tamen non obstabant, quo minus Acatholicorum multitudo et potentia perduraret. Hinc etiam efficere potuerunt, ut mortuo a. 1572. rege Sigismundo Augusto, solio adhuc vacante pax ab ordinibus iniretur, qua omnibus partibus in Polonia eadem religionis libertas et aequalia prorsus jura concedebantur, pax dissidentium dicta, quo nomine tunc temporis etiam Catholici in Polonia comprehendebantur. Hanc pacem episcopi quidem non acceptarunt; quoniam vero Sigismundi II. successores eam jurejurando confirmabant, Protestantium commoda hoc saltim saeculo intacta manserunt.

§. 651. In Hungaria et Transsylvania.

In Hungaria in pluribus quidem comitiis, sub Ferdinando I. inde ab anno 1548. celebratis, decreta contra

novationes religiosas condebantur, quibus tamen earum progressus eo minus cohibiti sunt, quia a. 1554. Thomas e comitibus Nadasdy, Lutheranismo ex animo addictus, ad supremum Palatini munus evectus est. In Hungaria Turcis subjecta Protestantismus nullo tempore progressus admodum magnos faciebat, eo majores autem in reliqua sub rege Maximiliano, qui patri suo Ferdinando a. 1564. successit. Is enim non tantum nulla ad ejus asseclas reprimendos media adhibuit, sed etiam regni primatem archiepiscopum Strigoniensem, Nicolaum Olahi, Protestantes ad reditum in ecclesiam Catholicam compellere conantem, admonuit, ut omni erga eos moderatione uteretur; ad quod accessit, quod supremus dux copiarum Caesarearum in Hungaria Lazarus de Schwendi, Lutheranismi, cui ipse addictus erat, propagationem pro viribus promoveret, et biblia in linguam Hungaricam translata, divulgarentur. Calvinistis autem Maximilianus minime favebat, sed inter alia magistratui Semproniensi, ut eos ex urbe sua expelleret, mandavit, postquam a. 1548. eorum ex universo regno ejectio decreta fuisset. Ii nihilominus magis magisque invalescebant, et in synodo a. 1558. Czengeri in comitatu Szathmariensi habita suam fidei confessionem, Czengerinam dictam, et totam Calvini placitis conformatam, composuerunt. Et quamquam a Lutheranis identidem fervide impugnabantur, quibus respondere non omittebant, numerus tamen eorum, regnante Rudolpho, Maximiliani filio et ab anno 1576. successore, qui usque ad annum 1597. pariter nihil Protestantibus adversi decrevit, continuo ita auctus est, ut illos etiam superaret. Eorum sedes principalis Debrecinum evasit. Caeterum Protestantes in Hungaria religionis libertatem, publicae legi innixam, hoc saeculo nondum consecuti sunt. Talem autem in Transsylvania jam a. 1556. obtinuerunt, ansam dante mutatione politica per Turcas adducta. His enim minantibus Transsylvani, repudiato Ferdinando, Joannem Sigismundum, Joannis de Zapolya filium principem elegerunt,

et in comitiis hac in causa anno commemorato habitis statuerunt, ut omnium confessionum asseclae eadem libertate, iisdem juribus gauderent. Simul vero omnia monasteria sublata, et bona ecclesiastica fisco adjudicata sunt. Attamen sicut in Hungaria, ita et in Transsylvania Calvinistae invalescebant, et opera potissimum praedicatorum Hungaricorum, Lutheranis frustra reclamantibus et damnantibus, duas nationes Hungarorum et Siculorum, et tandem regem ipsum sacris suis conciliarunt, ita ut nationi Saxonum Lutheranorum praevalerent. Septimo saeculi 16. decennio etiam Unitarii, regis medico, et quodam Calvinianorum praedicatore auctoribus, in Transsylvaniam irrepserunt, cumque plures magnates et ipsum regem doctrinae suae conciliassent, in comitiis a. 1571. habitis aequalia cum caeteris jura obtinuerunt, postquam a. 1566. suam fidei confessionem Claudiopoli, praecipua eorum sede, edidissent. Haec religionis libertas et jurium aequalitas, cujus praeter Catholicos Calviniani, Lutherani et Unitarii compotes facti sunt, posterioribus mutationibus politicis non sublata est, sed usque ad nostra tempora perduravit.

§. 652. Incrementa Protestantium in Gallia.

Gallia altero saeculi 16. dimidio novationibus religiosis vehementissime perturbata et concussa est. Francisci I., a. 1547. mortui filius et successor, Henricus II., acer haereticorum hostis, a. 1551. contra increscentem eorum multitudinem nova decreta severa edidit. Sed haec non impedivere, quo minus Protestantes, maxime propter vicinam Genevam, unde doctores et scripta affluebant, continuo multiplicarentur, et ex ipsis summis regni proceribus complures eis accederent, e quibus notatu digni sunt: Antonius, rex Navarrae, ejusque frater Ludovicus, princeps de Condato, capita familiae Burbonicae, regibus cognatae, et duo fratres de Colinio, Franciscus e summis belliducibus,

et Casparus, praefectus classis navalis. Ita aucti Protestantes ab anno circiter 1555. in plerisque urbibus majoribus, nominatim Parisiis, jam coetus bene ordinatos et arcte inter se cohaerentes efformabant, atque anno 1559., quo Henricus mortuus est, synodum generalem, a magna praedicatorum et seniorum multitudine frequentatam Parisiis celebrarunt, ibique fidei confessionem, et ordinem ac disciplinam ecclesiasticam condiderunt, utramque Calvini placitis conformatam, cum ab initio novatores in Gallia plerique Lutherani fuissent. Ii non multo post Hugonottae dici consueverunt, quod nomen eis primum Turonii propter nocturnos eorum conventus tributum est, cum ibidem spectra nocturna, a rege quodam antiquo Hugone, qui noctu apparere credebatur, Hugones dici solerent. Sub Francisco II., qui patri a. 1559. successit, principe juvene et infirmae valetudinis, regimen maximam partem penes ejus matrem, Catharinam Medicaeam, et penes ducem de Guisa, ejusque duos fratres cardinales, e familia ducum Lotharingiae oriundos, erat. Hi pro studio, quo in religionem Catholicam ferebantur, Hugonottis conventus sacros sub poena ignis interdixerunt. Hac re non minus, quam principum Burbonicorum a regimine exclusione irritati, 500 circiter nobiles Hugonottae, quibus ipse princeps de Condaeo clam ducem se praebuit, a. 1560. conjurationem fecerunt, ad Guisas capiendos, et regimen Burbonibus tradendum. Conjuratione detecta multi ejus participes debitas quidem poenas luerunt; attamen ab hoc tempore, incusso Guisis timore, poenae contra Hugonottas mitigabantur. Laetior adhuc horum sors facta est, cum rege Francisco non multo post mortuo, ejusque fratre ac successore Carolo IX. adhuc minorenni, reginae matri rectrici, urgentibus publicis ordinibus, Antonius rex Navarrae, nomine generalis locumtenentis regni adderetur. Nunc omnes processus contra haereticos sublati, et poenae contra eos eo usque mitigatae, ut exilio gravior nulla infligeretur. Sed nec mitigatae executioni dabantur. In

ipso

ipso palatio regio sermones sacri ad mentem Hugonottarum dicebantur. Hi patrocinio, quod sibi obtigerat, jam adeo insolescebant, ut non tantum publicos conventus sacros agerent, consistoria et synodos instituerent, sed etiam Catholicis ecclesias vi eriperent, sacras imagines et crucifixa destruerent, clericos domibus, fundis, aliisque bonis et redditibus privarent, et ipsos adeo magistratus Catholicos in locis, ubi invaluerant, deponerent, iisque suos substituerent. Cum nunc non esset, qui eos coercere posset, cardinalis de Lotharingia, ut saltim publica cum eis de religione disputatio tentaretur, impetravit. Sed haec disputatio, quae mense Septembri anni 1561. per plures dies Pisciaci, coram regia familia, pluribus proceribus, cardinalibus, consiliariis, multis episcopis ac theologis habita est, et in qua ex parte Catholicorum Claudius Espencaeus, doctor Sorbonnicus, e parte Hugonottarum Theodorus Beza, praecipui disputatores erant, consuetum ejusmodi conaminum effectum habuit, ut nempe quaevis pars victoriam sibi adscriberet, quam ob rem multi qui in fide Catholica hactenus vaccillaverant, nunc ab ea penitus ad novatores defecerunt.

§. 653. Bella inter Catholicos et Hugonottas sub rege Carolo IX.

Sed multo magis Hugonottarum numerus auctus est decreto, a. 1562. emisso, quo ad violentias eorum sedandas, regina liberum et publicum religionis exercitium eis concessit. Verum dux de Guisa, qui neque hanc religionis Acatholicae libertatem, neque suam a regimine exclusionem ferre poterat, inita cum aliis quibusdam proceribus conjunctione, eodem anno Parisiis potitus, regni administrationem ad se traxit. Quam ob rem princeps de Condato, fratre longe audacior, arma arripuit, religionis libertatem Hugonottis concessam periclitari proclamans. Hi ad eum convolantes pluribus urbibus potiebantur. Non multo post aequo marte quidem pugna-

bellum renovavit, quod pace sex mensium, a.
cta interruptum, usque in annum 1570. duravit
tio quidem ab Hugonottis, utut agmine Protes
Germannicorum adjutis, infeliciter gestum, tan
ro a Casparo Colinio, supremo eorum post Co
occisum duce, ad eum eventum perductum est
non tantum irrestricta religionis libertas, sed et
rium civilium aequalitas, et facultas, omnibus mu
publicis fungendi, concederetur. Haec Hugon
exaltatio reginae matri ejusque filiis et nonnullis
ribus Catholicis adeo gravis extitit, ut, cum ap
non possent, illos ex insidiis supprimere statuere
stitutae igitur a. 1572. nuptiae inter regis sororem
garetham et Henricum Burbonicum, regem Na
Antonii, in priori bello occisi filium et successore
quas celebrandas cum magna Hugonottarum et in
nobilissimorum multitudo ex universa Gallia
confluxisset, paulo post hymenaeum, nocte fes
Bartholomaei praecedente, jussu regis a matre a
Hugonottae, nihil tale opinantes, a militibus et
invasi ac plerique interfecti sunt, quae caedes
nuptiarum cruentarum Parisiensium et noctis S
tholomaei ad posterorum memoriam translata est

Nemausum, et Rupellas occuparunt, quae cum rex armis eis eripere conaretur, a. 1573. tertium bellum enatum est', in quo Hugonottae munimenta tanta cum fortitudine defenderunt, ut Rupellae expugnari non possent, sed potius earum, sicut et Montis Albani ac Nemausi incolis, nec non Hugonottarum nobilioribus, facta pace, liberum religionis exercitium concederetur. Sed quoniam haec pax non ad omnes Hugonottas extendebatur, neque illis selectis commoda per eam concessa sufficiebant, Hugonottae jam iterum universi bellum renovabant, quo durante rex Carolus IX. a. 1574. mortuus est.

§. 654. Sub Henrico III. Edictum Namnetense.

Carolo IX. successit frater ejus Henricus III. Is suggerente matre et proceribus quibusdam bellum contra Hugonottas continuare decrevit. In hoc aula a. 1576. ad tantas angustias redacta est, ut pacem iniret, Hugonottis utilissimam, quippe qua praeter alia commoda plena et irrestricta religionis libertas, et facultas, omnibus muneribus publicis fungendi, eis concessa, et octo urbes munitae per Galliam eis solis, excluso regio praesidio, securitatis causa relictae sunt. Haec pax fervidioribus Catholicis, quales in aula praecipue duces de Guisa erant, intolerabilis videbatur. Itaque non multo post primo Parisiis et in Picardia, quae provincia vi pacis a principe de Condato gubernanda erat, proceres caeterique nobiles, magistratus, ac cives foedus nomine ligae sacrae, ad religionem Catholicam, rejectis omnibus erroribus restituendam et conservandam inierunt. Huic foederi non tantum mox alii multi per reliquam Galliam accedebant. sed etiam ipsi ordines publici, in comitiis Blaesensibus eodem adhuc anno 1576. congregati, omnes regni incolas ad religionem Catholicam reducendos esse statuerunt. Hos eventus motus vehementes inter utramque partem, et mu-

tuae etiam hostilitates comitabantur, quibus tandem anno sequenti finis impositus est, pace Pictavii ita modificata, ut religionis libertas Hugonottis varie restringeretur, et loca in curiis eis abjudicarentur. Haec pax, anno tantum 1580. propter foederis sacri durationem et mutuam animorum aversionem ad breve tempus interrupta, usque ad annum 1585. conservata est. Ut hoc anno bellum denuo exardesceret, causa erat mors junioris fratris regis. Cum enim spes non esset, fore, ut regi ipsi proles nascantur, regnum eo mortuo ad Henricum Burbonicum, regem Navarrae, proximum illius consanguineum perventurum erat, Calvinianismo addictum. Hoc ne fieret, dux de Guisa, foederis sacri princeps, Navarrae regis patruum, Carolum Burbonicum cardinalem, futurum Henrici III. Galliae regis successorem proclamavit, et hunc ipsum, principem admodum debilem ad decretum edendum adegit, quo praeter Catholicam nulla alia religio in Gallia toleranda statuebatur, Hugonottae urbes munitas reddere, et qui in ecclesiam Catholicam non redirent, intra sex menses Galliam relinquere jubebantur. Bellum ita caetum ab Henrico rege Navarrae, Hugonottarum capite, utut viribus multum inferiori, non infeliciter gestum, Henricus III. autem, rex Galliae, a. 1589. interfectus est. Legitimus ejus successor, Henricus rex Navarrae, non tantum a foederatis, sed etiam a multis aliis belliducibus, gubernatoribus, et urbibus propter religionem suam repudiabatur. Quamquam adversarios suos identidem superaret, viribus tamen eis non praevalebat, cum rex Hispaniae copiis eos adjuvaret, pontifex vero a. 1591. ipsum excommunicaret. Quoniam igitur spes non erat, fore, ut sacris Acatholicis addictus ad tranquillam universi regni possessionem perveniat, rationibus tandem politicis et adhortationibus procerum ac ministrorum Catholicorum cedens, institutione fidei Catholicae admissa, haeresim a. 1593. publice abjuravit. Hugonottis tamen semper benevolus, anno demum

1589. remotis praecipuis obstaculis, in favorem eorum, qui tum ultra 760 ecclesias habebant, quarum multae tres aut quatuor communitates complectebantur, Namneti in Britannia minori celebre edictum, ab ista urbe compellatum edidit. Eo plena religionis libertas, eadem cum Catholicis jura, speciatim admissio ad omnia munera publica, praeterea in curiis Parisiensi, Gratianopolitana et Burdegalensi propriae deputationes, earum causas acturae, et quoad partem ex ipsorum gremio componendae, urbesque munitae, praesidio regio carentes, et a regimine publico fere independentes, eis concessae sunt. Parisiis tantum, Rhemis, Divione, Lugduno, et Tolosa, religionis eorum exercitium exclusum est, ipsi vero in festis Catholicis a labore abstinere, clero Catholico decimas praestare, et matrimonia sua secundum leges Catholicas inire jussi sunt. Clerus Catholicus, universitas Parisiensis, speciatim Sorbonna, supremae denique curiae edicto Namnetensi multum quidem reclamabant, senatus Pariensis illud in catalogum legum referre diu recusabat, donec tandem a. 1599. rex ipse in curia praesens gravi oratione ad hoc faciendum eum permoveret.

Vide de his omnibus libros, supra, locis correspondentibus allegatos.

§. 655. Progressus et effectus novationum religiosarum in Belgio.

Etiam in Belgio novationes religiosae seditiones, bella, et tandem defectionem a legitimo rege produxerunt. Philippus II. nullam haeresin in terris suis toleraturus mox primo regni sui anno, 1555. severas leges, a patre contra novatores latas confirmavit. Nihilominus eorum numerus continuo augebatur, ita ut jam coetus efficerent, praedicatoribus instructos et clam congregari solitos. Plerique eorum commercio cum vicinis Hugonottis, et fama Calvini, quem plures eorum frequentabant, ad hujus placita a Lutheranismo

deflexerant, prout apparet e fidei confessione, a quibusdam praedicatoribus Belgis a. 1561. composita. Cum igitur numerus eorum continuo cresceret, Philippus nova media ad eos supprimendos adhibuit. Talia erant: erectio 14 novorum episcopatuum, a. 1559. facta, et introductio inquisitionis generalis, ab episcopis independentis, Hispanicae similis. Utrumque non tantum Protestantibus, sed etiam Catholicis vehementer displicebat; praecipue vero contra inquisitionem a. 1565. foedus initum, et tanta oppositio exorta est, ut rex sibi cedendum esse judicaret, ac proinde inquisitionem suspenderet, poenas contra haereticos mitigaret, et foederatis veniam daret. Simul tamen, ut omnes conjunctiones et conventus cessarent, et contra immorigeros vis armorum adhiberetur, praecepit. Sed foederati et Protestantes, longe majora intendentes, a suis conjunctionibus et conventibus minime absistebant, atque nonnulli eorum, quo rei decisionem maturarent, plebem, per praedicatores Calvinianos contra cultum Catholicum, quem idololatriam dicebant, inflammatam et spe praedae allectam, ad ecclesias Catholicas invadendas clam instigarunt, unde a. 1566. primo in Flandria, postea in Artesia, Brabantia, caeterisque provinciis, Namuria et Luxemburgo solis exceptis, ferocia barbarica ecclesiae ac monasteria direpta, altaria destructa, imagines confractae, sacra suppellectilia et vestimenta, res pretiosae ac ornamenta, partim perdita, partim ablata, bibliothecae concrematae, ipsa denique sepulchra violata. Praeterea Protestantes sacros suos conventus in plures urbes introduxerunt, ecclesias Catholicis ereptas non restituerunt, imo supplici libello, ad regem ipsum dato, liberum religionis exercitium iterato petierunt. Sed Philippus jam arma in seditiosos convertit. Qui cum arma armis opponerent, sub finem ejusdem anni 1566. bellum enatum est, in quo foederati et Protestantes eo facilius succubuere, quod pleri-

que Catholici, violentiis in sua sacra commissis offensi a foedere recesserant, regisque gratiam quaesierant, et praeterea Calviniani cum Lutheranis, adhuc sat numeroris, nihil commune habere volebant. Igitur facile ubique caesi sunt. Princeps Arausionensis, aliique eorum primores in Germanniam fugerunt. Multi eorum extremo supplicio affecti sunt, alii quamplurimi ad similem sortem evitandam, patriam reliquerunt. Foedus jam penitus destructum, et medio anno 1567. totum Belgium ad subjectionem redactum.

§. 656. Continuatio.

Verum Philippus rex, cui id non sufficiebat, ad seditiosos et haereticos puniendos et penitus extirpandos, eodem anno 1567. ducem de Alva, vulgo Albam dictum, cum 10000 militum in Belgium misit. Is animo durus, insuper et severis regis consiliis responsurus, arbitrarium et saevum in Belgas dominium exercebat. Hinc iterum multa Belgarum millia in terras vicinas fugerunt, praecipue ad Guilielmum, principem Arausionensem, in Germannia copias adversus Hispanos parantem, et nunc profugis illis adeo auctum, ut jam a. 1568. Belgium invaderet. Anno 1572. tam prospero coeptorum suorum successu usus est, ut magnam Hollandiae et Seelandiae partem occuparet, quo facto Hollandiae ordines eum legitimum hujus provinciae, nec non Seelandiae, Ultrajecti, et Frisiae, quae cum Geldria et provincia Transisalana pariter in ejus partes propendebant, gubernatorem proclamarunt. Ab his provinciis adjutus ille etiam in Brabantia aliisque vicinis provinciis Hispanos repressit. Tantam jacturam passum et communi Belgarum odio oneratum ducem de Alva rex Philippus a. 1573. revocavit. Ei substitutus est Ludovicus de Zuniga, sub quo bellum ita continuatum est, ut priori tempore Protestantes res suas sustentarent, a. 1574. in synodo, Dordraci celebrata, ecclesiam suam juxta praescripta Calvini ordinarent,

et anno sequenti ad religionis doctores sibi excolendos universitatem Lugduni erigendam, sed adhuc regis nomine decernerent. Posteriori autem tempore Zuniga eis multum praevaluit, eorumque res jam in interitum vergebant, cum illo a. 1576. mortuo, iterum erigerentur. Praeterquam enim, quod nunc regimen Hispanicum in Belgio auctoritate et viribus careret, etiam milites Hispanici, qui jam a longiori tempore mercedem nullam acceperant, compensationis causa plures urbes et alia loca, nominatim Antverpiam depraedati sunt et depopulati. Eo effectum, ut ordines caeterarum provinciarum cum Arausionensibus foedus inirent, pacificationem Gandavensem dictum, quo sibi mutuum auxilium ad expellendos milites Hispanicos promiserunt, quoad religionem autem statuerunt, ut in comitiis generalibus, post obtentum illum finem celebrandis, ejus exercitium in Hollandia, Seelandia et provinciis quibusdam conterminis definiretur, in caeteris vero Catholica salva maneret. Hoc foedere Belgae viribus ita quidem aucti sunt, ut novus gubernator Joannes de Austria, ad militem Hispanicum e Belgio educendum cogeretur. Quo minus autem vera et firma inter illos concordia esset, religionis diversitas et imprimis Calvinianorum intolerantia impedivit. Hi enim libero religionis suae exercitio jam non contenti, idem in locis, ubi, etiamsi exiguo numero, existebant, Catholicis denegare, eorumque cultum etiam vi adhibita abolere nitebantur. Sic a. 1578. Amstelodami, ubi major pars incolarum religioni avitae adhuc inhaerebat, seditione excitata ecclesias occuparunt, altaria et imagines destruxerunt, et deposito magistratui Catholico Calvinianum substituerunt, qui quoniam Catholicis clandestinos conventus sacros concessit, praedicatorum aliorumque Calvinianorum indignationem incurrit. Non multo post milites Calviniani Harlemum invaserunt, in Catholicos, in ecclesia principali congregatos irruerunt, nonnullos interfecerunt, caeteros pessime tractarunt,

sias et monasteria expilarunt, suisque tradiderunt.
ia in pluribus Flandriae, Geldriae et aliarum pro-
arum urbibus facta sunt. Cum igitur inter ipsos
as foederatos Catholici et Calviniani adeo a se in-
n alieni essent, princeps Arausionensis septentrio-
saltem provincias, maximam partem Calvinianas,
us inter se conjungere satagebat, atque reapse ef-
, ut Hollandia, Seelandia, Ultrajectum, Frisia, et
ria a. 1579. Ultrajecti unionem contra omne do-
um Hispanorum inirent, qua fundamentum reipu-
e Belgii foederati positum est, cui postea aliae
ic provinciae accesserunt. Respectu religionis id
m statutum, neminem ejus causa persequendum,
erum singulis provinciis liberum fore, de ejus exer-
, quae visa fuerint, decernere. Verum neque hac
ne Calvinianorum intolerantia pacari potuit, siqui-
et nunc Ultrajecti, Antverpiae, Gandavi aliisque
urbibus, quae unioni accesserant, gravissimae in
holicos, praecipue clericos et ecclesias, violentiae
eis committebantur, praedicatoribus imprimis insti-
tibus, qui etiam juxta Calvini principia plenam in
us ecclesiasticis, praecipue in constituendis religio-
ministris independentiam a magistratu, utplurimum
iori, sibi comparare nitebantur, unde non paucae
tentiones inter utrosque, et inter ipsos praedicato-
ortae sunt. Provinciae meridionales, dialecto Gal-
, seu lingua Wallonica utentes, quae fere integrae
religione Catholica perseverabant, nunc, foedere
ndavensi, maxime propter intolerantiam Calvinia-
um relicto, legitimo regi reconciliabantur, et ducis
mensis, Joannis de Austria a. 1578. mortui, succes-
is vires augebant, qui seditiosos magis magisque
rimebat. Hi nihilominus in comitiis a. 1581. Hagae
ebratis Hispaniae regem omni jure in Belgium exu-
n pronuntiarunt, et ducem Andegavensem, Henrici
. Galliae regis fratrem, supremum sibi dominum
gerunt, Hollandi vero terram suam principi Arau-

sionensi gubernandam commiserunt. Utroque paucos post annos mortuo res eorum vaccillantes Elisabetha Angliae regina, missis subsidiis, et Mauritius Guilielmi Arausionensis filius, quem Hollandi et Seelandi gubernatorem et supremum terra marique ducem sibi elegerunt, partis magnis victoriis confirmavit, ita ut Hispani novam rempublicam, ex ampla mercatura, et terris, quas extra Europam occupabat, opibus quotidie crescentem destruere non valerent, quamquam praeter quinque illas provincias et Transisalanam atque Groningam caeteras omnes ad suum dominium et religionem Catholicam reduxerunt.

Praeter libros, supra loco correspondente citatos, Famianus Strada de bello Belgico. Meteren eigentliche und vollkommene Beschreibung des Niederländischen Kriegs.

§. 657. Status religiosus in Germannia altero saeculi 16. dimidio.

In Germannia Protestantium et Catholicorum animi post pacem Augustanam non minus ac antea ab invicem alieni erant. Utraque pars rebus suis ampliandis firmandisque intenta, pacis articulos, quantum fieri poterat, in suum commodum interpretabatur, et hinc plura sibi indulgebat, quae alteri iisdem articulis adversa videbantur, et quaerendi materiam praebebant. Sic Protestantes jam in comitiis a. 1559. Augustae habitis, et postea in pluribus aliis conquesti sunt, se a Catholicis in reformandis, i. e. ad religionem suam pertrahendis praelaturis, capitulis, parochiis, intra suos limites sitis, impediri, propter hanc rem ad tribunal camerarium deferri, in locis, ubi et sibi pars regiminis sit, a sacris suis faciendis prohiberi. Catholici e contra conquerebantur, Protestantes continuo plures episcopatus, abbatias, capitula et praebendas sibi vindicare, aut sectae suae hominibus conferre, aut diversimode vexare, episcopis jurisdictionem in Catholicos, intra ipsorum limites residuos prohibere, libellos famosos con-

tra se divulgare, sententias a tribunali camerario pro se ferendas aut reapse latas impedire, religionis Catholicae exercitium diversimode turbare aut prohibere. His accesserunt eventus quidam majoris momenti, velut cum a. 1581. plures cives Aquisgranenses, Calvinianismo Belgarum nuper infecti, quia ecclesia ad religionem suam exercendam sibi denegabatur, supremo urbis magistratu violenta manu potirentur; porro, cum Gebhardus, archiepiscopus Coloniensis, qui illicito canonissae cujusdam amore tractus, ut eam publice uxorem habere posset, Calvinianismum professus est, archiepiscopatum suum contra reservatum ecclesiasticum armis retinere satageret, et principes quosdam Protestanticos sibi opitulantes haberet, conamine ejus nihilominus frustrato. Quominus, rebus ita comparatis, jam tum novum in Germannia bellum exardesceret, imperatorum, qui altero saeculi dimidio regnarunt, moderationi et pacis conservandae studio potissimum tribuendum est.

Lehmann de pace religionis acta publica et originalia, das ist, Reichshandlungen etc. Schmidts neuere Geschichte der Deutschen.

§. 658. Speciatim in Austria.

Ex eis Maximilianus II., qui ab anno 1564. — 76. imperavit, Lutheranis in terris suis haereditariis liberum religionis exercitium concessit. Plurimum enim ibi increverant, et indies augebantur, ita ut inter proceres equitesque Catholicis numero jam superiores essent. Inter cives quoque plurimi in Lutheranismum aut propendebant, aut ei reapse addicti erant. Clerus auctoritate et numero admodum decreverat, ita ut multae parochiae vacarent. Instabant iterato ordines principi, quem placitis suis favere sciebant, quique insuper in tributis accipiendis ab eorum arbitrio non parum dependebat. Itaque partim ad majora ab eis tributa impetranda, partim ad seditiones praecavendas,

quae ex porro denegata religionis libertate metuendae erant, Maximilianus a. 1568. indulsit, ut proceres et equites Lutherani in suis arcibus, oppidis et pagis ecclesias ac praedicatores haberent, et sacra sua libere peragerent. Ut similem libertatem urbibus quoque et oppidis, immediate sibi subjectis concederet, nullo modo princeps permoveri potuit, ne Protestantes Catholicis praevalerent, aut plane eos abigerent, cauturus. Sed proceres equitesque Lutherani, indulgentiae limites mox transilientes tum aliis in urbibus, tum etiam Viennae in aedibus suis conciones sacras habebant, ad quas etiam cives admittebant, unde factum, ut inter hos quoque Lutheranismus indies magis propagaretur, praesertim cum praedicatores Lutherani, patriarchae et collegarum suorum in Germannia exteriori exemplum fideliter imitantes, ingentibus declamationibus in Catholicos velut turpissimos idololatras et Satanae mancipia, omni data occasione inveherentur. Iidem ordines Lutherani collegas suos Catholicos, speciatim praelatos, ignominia, qua praesentes afficiebant, a congregationibus publicis deterrebant, eoque negotia cuncta ad se solos trahebant, omnia munera publica, in quae potestatem habebant, sive in urbe, sive in pagis sectae suae hominibus comparabant, atque per hos quoque indies plures ad eam trahebant. In universitate Viennensi extra facultatem theologicam professores fere omnes Protestantes erant, et principia et doctrinas sectae suae spargebant. Praedicatores autem inter ipsos Lutheranos non exiguas turbas ciebant. Erant enim multi inter illos, qui vel propter malos mores, vel propter vehementem pertinaciam, qua secundum Flacium peccatum originale hominis substantiam efficere contendebant, in Germannia exteriori muneribus suis privati fuerant, in Austria autem propter defectum aliorum facile ad ministerium ecclesiasticum admittebantur. Igitur et hic sententiam suam magno fervore propugnabant, et contra diverse sentien-

tes factiones colligebant. His ex causis Rudolphus, Maximiliani filius et successor, inde ab anno 1578. Lutheranos intra limites a patre praefixos reducere coepit. Ac primo quidem nobilibus vetuit, ne quem civium aut plebejorum, inter famulos aut subditos suos non pertinentem, ad sacra sua admitterent. Quod cum facere recusarent, praedicatores ex Vienna aliisque urbibus dimittere, omnesque conventus sacros in eis omittere jussi sunt. Cumque cives Viennenses ad sacros Lutheranorum sermones audiendos in vicinos nobilium pagos excurrerent, non tantum civibus, ne hoc facerent, sed et nobilibus ac praedicatoribus Lutheranis, ne eos admitterent, imperator praecepit. Verum illi morem non gerebant, Deo magis obediendum esse quam hominibus dicentes. Hinc plures ecclesiae eorum in fundis nobilium Viennae vicinis clausae, nemo inter cives dehinc susceptus, nisi qui perseverantiam in religione Catholica promittebat, catecheses publicae in religione Catholica introductae, praelati et membra Catholica caeterorum ordinum ad priorem in congregationibus publicis auctoritatem reducti, in universitate nemo ad gradus academicos promotus, nisi fidem Catholicam professus, munera publica paulatim Catholicis concredita, ad parochias a principe, praelatis, aliisque Catholicis conferri solitas nonnisi clerici probatae fidei promoti. Talibus mediis Protestantium progressus tunc temporis in Austria cohibebantur *). — In aliis terris incolae violentis etiam mediis ad ecclesiam Catholicam reducebantur. Sic Julius, episcopus Wirceburgensis, subditos suos Lutheranos numero plurimos ad sacra Catholica amplectenda, minis, exilio, militibus adegit. Ubi quis territorii dominus ad ecclesiam Catholicam revertebatur, velut Jacobus, marchio Badensis, subditi partim exemplo, partim jussis, partim institutionibus ad idem faciendum permovebantur. Sed et contrarium eodem modo fiebat, si princeps a sacris Catholicis de-

ficiebat, id quod non multo post pacem religiosam a Carolo, alio marchione Badensi factum est. Quamquam autem eo tempore non amplius integrae civitates in Germannia ad castra Protestantium transirent; ex hactenus tamen narratis apparet, in aliis regnis eos altero saeculi 16. dimidio lata adhuc incrementa cepisse, neque in ipsa Germannia propensionem in eorum placita expirasse.

*) Raupach evangelisches Oesterreich.

§. 659. Causae latissimae novationum religiosarnm propagationis.

Si jam de causis tantae novationum religiosarum propagationis, sat brevi tempore effectae, quaeritur; aliae in conditione rerum illius temporis, quo in medium proferebantur, aliae in ipsa earum indole sitae deprehenduntur. Ex priori genere erat 1) corruptus ecclesiae status, speciatim arrogationes et exactiones, quibus pontifices clero, principibus, ipsique populo sat graves accidebant, qui insuper propter saepius eluse emendationis conamina eorum indignationem et despectionem incurrerant; opiniones et praxes superstitiosae multiplices, inter quas nonnullae adeo crassae erant, ut vel incultissima plebs earum inanitatem, absurditatem, et noxiam in mores potestatem facile intelligeret; mores depravati plurimorum clericorum, tam regularium quam saecularium a summis ad imos, quibus laicis offensionem creabant, eorum animos necessaria erga se reverentia et fiducia evacuabant, et propterea omni fere auctoritate apud eos carebant; eorumdem ruditas atque in rebus theologicis ignorantia et ineptia, qua fiebat, ut novatores, in disputando de his rebus versatos refutare, novarumque doctrinarum falsitatem demonstrare non valerent, ac propterea partim ipsi, partim auditores, stragem eorum cernentes, ad assertiones adversariorum quasi invictas amplectendas abstraherentur; denique status theologiae scholasticae, quae

ı disquisitionibus inutilibus quam plurimis occupa-
ır, religionis principia et dogmata illustrare, soli-
argumentis stabilire, et contra objectiones hetero-
orum vindicare negligebat, adeoque discipulos ad-
ıariis impares dimittebat. 2) Studium litterarum an-
arum, tunc temporis pervulgatum. Eo factum est,
nultiplices cognitiones et conceptus novi ac intel-
us magis illustratus ad plurimos laicos penetraret,
ıue superstitionum et abusuum religiosorum inani-
perspiciendae aptiores redderet; ut multi scientiis
is instructi, sed profundiori eruditione destituti, do-
ıam Catholicam potius tanquam erroneam rejice-
, quam cognitionum suarum insufficientiam agnosce-
; ut denique viri, etiam solida et ampla eruditione
ucti, tamen ex antiquorum scientiis et sententiis
a adoptarent, liberiori potius sentiendi rationi, quam
ioni Catholicae faventia, et palatum suum elegan-
in litteris ita assuefacerent, ut theologiam schola-
n et cum ea doctrinam Catholicam, tali involucro
ositam, nausearent. 3) Sententiae heterodoxae, quae
edenti periodo a Marsilio Patavino, Occamo, Wi-
, Husso, Wesselio aliisque tum ore tum calamo
inatae, utut magnam partem oppressae, in oc-
amen fructus protulerant, multorumque animos
ationes religiosas disposuerant. 4) Spiritus qui-
ertatis, qui cum in republica civili innovanda
non posset, eo majori vi in ecclesiam et reli-
convertebatur. — Ad causas latae novationum
rum propagationis, in ipsa harum indole sitas,
: 1) Speciosum et minus eruditis indubium
n de s. scriptura solo credendorum et obser-
fonte, ex se ipso interpretando. 2) dogma
us non parum arridens de bonis operibus ne-
tificationem, neque ad vitam aeternam neces-
ibertas a pluribus statutis et institutis, sen-
gratis, v. g. a jejuniis, a variis ritibus sa-
tionis exercitiis, a specialis peccatorum con-

fessionis officio, ab operibus satisfactionis sacramentalis, ab auctoritate et potestate ecclesiastica. 4) Matrimonium clericis concessum, quod ingentem numerum monachorum et clericorum ad nova sacra allexit, qui jam eo facilius plebem post se traxerunt, quod grex pastorem sequi soleat. 5) Bona ecclesiastica dominis ac principibus saecularibus partim diserte adjudicata, partim facile concessa, multos ex istis, opum augendarum cupidos, novae ecclesiae conciliarunt, quae eos praeterea a molesta pontificis et episcoporum jurisdictione liberabat, imo amplissima in rebus sacris potestate instruebat.

§. 660. Continuatio.

Nec praetereunda sunt media, quibus novationes religiosae propagatae sunt. In Anglia certe, Scotia, Suecia, Dania, et hinc inde etiam in Germannia plures mediis violentis aut vi circumstantiarum, quam spontaneo consensu ad nova sacra perducti sunt. Atque spontaneus etiam consensus apud plurimos potius mediis subdolis, velut disputationibus, in quibus novatores victoriam sibi adscribebant, bibliorum versionibus, ad novas doctrinas accomodatis, injusta religionis Catholicae tanquam idololatriae, pontificis tanquam Antichristi, sacerdotum tanquam servorum diaboli diffamatione, abusuum et superstitionum inter res Catholicae religionis essentiales relatione, quam solida de novarum doctrinarum praestantia persuasione productus est. Hoc quoque artificio novatores utebantur, ut primo manifestos abusus, excessus, et superstitiones, quarum vanitas et perversitas in oculos incurrebat, aggrederentur, ita ut plerique crederent, eis de ecclesiae reformatione, quam nationes tamdiu jam, sed frustra desiderabant, non vero de religionis innovatione agi, ideoque facile eis consentirent. Atque, etiamsi non multo post religionem ipsam innovari manifestum fieret, multi tamen, quos primo vera dixisse intellexerant, in omni-

bus

bus veritatem propugnare facile sibi persuadebant. Ex his igitur mediis et causis latissima novationum religiosarum propagatio sufficienter explicatur. — Sed post sexaginta circiter ab earum exordio annos, exceptis singulis hinc inde proselytis, nulla amplius incrementa ceperunt; quin potius in pluribus regionibus non modice decreverunt, id quod partim legi naturae, ex qua omne rerum novarum studium paulatim decrescere solet, partim ecclesiae Catholicae reformationi, qua hominibus probis et sinceris defectionis ansa ablata fuit, partim meliori cleri populique Catholici in religione institutioni, partim Jesuitis, qui non tantum populum Catholicum in fide et pietate sedulo instituebant, sed etiam haereses feliciter expugnabant, partim denique variis mediis, quibus nonnulli principes Catholici subditos suos Protestanticos ad ecclesiam suam reducere conabantur, inter quae hinc inde etiam violenta erant, in acceptis referendum est.

§. 661. Dissidia religiosa inter Lutheranos.

Sine dubio etiam dissidia religiosa, quae altero saeculi 16. dimidio inter Protestantes, praesertim inter Lutheranos multis annis, magnaque cum vehementia et mutua persecutione agitabantur, nonnullos a doctrina eorum amplectenda detinuerunt, dum ex eis intelligerent, ne inter ipsos quidem de pluribus rebus, quid credendum sit, convenire. Post plures alias lites, vivo adhuc Luthero exortas, sed hujus auctoritate mox suppressas, memoratu digniores illae sunt, quibus norma religionis, a Carolo V. interim praescripta ansam dedit. Adiaphoristicae, primo ex ea ortae, jam supra commemoratae sunt. Quoniam in altera norma interimistica, Lipsiensi, concessum fuerat, bona opera ad salutem esse necessaria, Nicolaus Amsdorf Gregorium Major, praedicatorem et theologiae professorem Wittenbergensem, sed tunc temporis ecclesiis Mansfeldensibus qua superintendentem generalem praepositum, cui in conficienda illa

norma pars fuerat, edito a. 1551. libro impetivit, eique exprobravit, quod doctrinam de justificatione per fidem solam vitiaverit. Cumqne Major assertionem illam etiam coram sacra concione propugnaret, mox, accusantibus praedicatoribus, e comitatu Mansfeldensi excedere jussus, alius autem antistes, Gothanus, qui Majoris sententiae accesserat, dure tractatus, et ad retractationem subscribendam compulsus est. In lite, ea de re agitata, Amsdorfius eo usque progressus est, ut a. 1559. opera bona saluti noxia esse scriberet. — In eodem interim Lipsiensi secundum doctrinam Catholicam dictum fuerat, hominem gratiae divinae aliquomodo cooperari posse et debere, quippe cui post lapsum haec saltim liberi arbitrii facultas remanserit, ut inspirationibus et motibus Spiritus s. vel obtemperare vel resistere valeat. Huic sententiae praeter alios praecipue Flacius Illyricus adversabatur, tunc temporis in universitate Jenensi, nuper erecta professor theologiae, fervidissimus placitorum Lutheri propugnator, animo inquietus et rixarum studiosus, qui post varios per Germanniam et Belgium errores, a. 1575. Francofordii ad Moenum mortuus est. In ipsum Melanchthonem, quem in doctrina de gratia et libero arbitrio a Luthero descivisse sciebat, vehementer impetivit, ex quo tempore lis inter theologos Saxonicos et Thuringicos seu Jenenses erupit, magno animorum aestu agitata, et synergistica dicta. Sed inter ipsos Jenenses Victorinus Strigel, theologiae professor, et nonnulli alii sententiam de hominis cum gratia cooperatione propugnabant; quapropter a duce Joanne Friderico, Medio cognominato, a. 1559. in carcerem conjecti, aliisque modis afflicti sunt. Anno tamen sequenti dux, universitate Jenensi, suoque cancellario intercedente concessit, ut Strigelius et Flacius de materia controversa, aliisque affinibus Vimariae publice disputarent. Qua in disputatione Flacius ad sententiam suam tuendam asserere non verebatur, peccatum originale esse hominis substantiam. Nec caruit asseclis, qui Substantialistae aut Flaciani vo-

cabantur, adversariis Synergistis vel Accidentariis dictis. Illorum primarii Strigelium cum sequacibus excommunicarunt. Cumque praeterea viros secum non facientes e sacro suggestu diffamarent, factionem suam etiam sparsis libellis non sine successu augere studerent, ipsique duci diversimode adversarentur; is annis 1561. et 62. professorum et praedicatorum Flacianorum magnum numerum deposuit, eisque Saxonicos substituit. Sed ejus frater J. Guilielmus, qui ei a. 1567. successit, theologos Saxonicos iterum dimisit, fervidissimos Flacianos muneribus restituit, omnesque praedicatores ad scriptum quoddam Strigelio oppositum subscribendum adegit. Nunc controversia iterum inter theologos Jenenses et Saxonicos exarsit, nec colloquio, a. 1568. Altenburgi inter utramque partem instituto, componi potuit. — Huic liti synergisticae contemporanea, quin tamen cum ea cohaereret, erat alia, quam excitavit Andreas Osiander, praedicator ille Norimbergensis, quem propter repudiatum το interim munere privatum, Albertus dux Borussiae a. 1549. primarium theologiae professorem Regiomontii constituit. Ibi conceptum de justificatione a Lutherano diversum proposuit, asseruitque eam non tam in remissione peccatorum consistere, quam in essentiali Dei justitia seu sanctitate, homini, qui Deo reconciliatus sit, per fidem collata eique immorante, seu potius in ipso Christo, tali homini inhabitante, cum Christus in s. scriptura nostra justitia dicatur, quem ergo homo per fidem secum unire debeat; unde sequatur, Christum non secundum naturam suam humanam, vel propter ea, quae qua homo egit et passus est, sed secundum naturam suam divinam (quia nempe essentialis Dei justitia justificato inesse debet) nostram justitiam, vel nostrum justificatorem esse. Novus hic justificationis conceptus nonnullis quidem Regiomontii theologis, aliisque eruditis probabatur, plerique tamen eum ceu haereticum rejiciebant, atque etiam e sacro suggestu contra eum declamabant, unde inter ipsum populum haud exigui motus orti

sunt. Hi augebantur, postquam Osiander propositiones, quibus Moerlinius concionator Regiomontanus utramque de justificatione sententiam inter se conciliare conatus fuerat, irritas declarasset, ipsumque earum auctorem ignominiose habuisset. Tum enim Moerlinius furibundus contra Osiandrum insurrexit, eum una cum asseclis excommunicavit, populumque e sacro suggestu contra eos ceu pessimos haereticos concitavit. Nunc dux a. 1551. ab ecclesiis Lutheranis in Germannia arbitrium de materia controversa expetiit, eo eventu, ut soli theologi Würtembergenses Osiandri sententiam communi conciliarent, caeteri omnes eam simpliciter rejicerent. Osiandro a. 1552. mortuo, dux theologis et praedicatoribus suis praecepit, ut secundum arbitrium Würtembergensium docerent. Cui praecepto cum palam adversarentur, fidei formulam, ab ipso duce de materia controversa compositam repudiarent, atque ut Osiandristae ad solemnem retractationem adigerentur, postularent; dux a. 1555. multos eorum e terra sua expulit, quam alii sponte reliquerunt. Cum insuper Joannes Funk, Osiandri gener et praedicator aulicus, Osiandristarum caput, qui apud ducem plurimum valebat, munera vacantia asseclis suis conferret, et rebus quoque politicis se immisceret; ordines Borussiae a. 1566. ad regem Poloniae, ceu supremum dominum feudalem Borussiae conversi effecerunt, ut ab eo judices ad finienda eorum gravamina Regiomontium mitterentur. Hi Funkium duosque ejus sectatores capitis damnarunt; quo facto orthodoxi contra ducis voluntatem praevaluerunt, Moerlinius revocatus novam fidei confessionem composuit, corpus doctrinae Prutenicum dictam et ab omnibus acceptatam, Osiandristis omnia munera tam civilia, quam ecclesiastica ademta, et sic fides orthodoxa Lutherana et pax restituta est.

Camerarii vita Melanchthonis. Adami vitae theologorum Germann. Salig Historie der Augsburgischen Confession. Arnold unparteyische Kirchen - und Ketzerhistorie. Walch

Einleitung in die Religionsstreitigkeiten der Evangelisch-Lutherischen Kirche. Planck Geschichte des protestantischen Lehrbegriffs.

§. 662. Palatinatus et Brema Calviniana.

Non minus notatu digna est defectio multorum theologorum aliorumque Lutheranorum ad Calvini placitum de eucharistia. Lis inter Zwinglium et Lutherum jam olim gesta, denuo efferbuit, et circa sexagesimum saeculi annum inter primarios utriusque partis theologos summa cum vehementia mutuisque more solito conviciis agitabatur. Fervoris ruditate caeteros praestabat Hesshusius, qui postquam a. 1558. primarius theologiae in universitate Heidelbergensi professor et superintendens generalis ecclesiarum Palatinarum factus fuisset, diaconum quemdam sententiae Calvinianae de eucharistia adhaerentem, publice in ecclesia deposuit excommunicavitque. Elector Fridericus III. utrumque dimisit, et accepto a Melanchthone de materia controversa arbitrio, quod sententiae Calvinianae magis, quam Lutheranae favebat, dimissis praedicatoribus et professoribus Lutheranis, religionem Calvinianam in terras suas introduxit, quam quidem ejus filius et successor, Ludovicus a. 1576. iterum eliminavit, hoc tamen jam anno 1583. mortuo, ejus frater J. Casimirus, comes Palatinus, qui nunc nomine minorennis patruelis, Friderici IV. Palatinatum administrabat, denuo non sine violentia reduxit, e quo tempore Calvinianismus in Palatinatu dominatum retinuit. Hesshusius ab electore Friderico III. dimissus, a. 1559. praedicator et superintendens Bremae constitutus est, ubi praedicator Albertus Hardenberg sententiae Calvinianae de eucharistia addictus erat, ubiquitatem aperte rejiciebat, imo confessionem Augustanam jurejurando approbare recusaverat. Hunc Hesshusius e s. suggestu excommunicatum et diabolo mancipatum pronuntiavit, operamque suam in id contulit, ut a. 1561. ab ordinibus publicis circuli Saxoni-

ci inferioris munere privaretur et e toto circulo ejiceretur. Verum Bürenius, civis Bremensis, praecipuus inter Hardenbergii sectatores, a. 1562. ope civium sibi addictorum, urbis praefectura potitus, Musaeum, Hesshusii successorem, et 12 praedicatores, s. suggestum conviciis contra Calvinianos implentes dimisit, quos sponte secuti sunt senatores multi, orthodoxiae studiosi. Hi quidem alias civitates contra Bremenses concitarunt, facta autem nomine imperatoris causae disquisitione repulsam tulere, et in urbem quidem recepti, senatu autem exclusi sunt. Senatus quidem contestatus est, Bremenses in doctrina Lutheri perstituros esse, attamen major eorum pars Calvinianismum amplexa est.

Löscher ausführliche Historia motuum zwischen den Evangelisch-Lutherischen und Reformirten. Struve ausführlicher Bericht von der Kur-Pfälzischen Kirchenhistorie. Alting historia ecclesiae Palatinae. Salig l. c. Planck l. c.

§. 663. Crypto-Calvinistae in Saxonia.

Verum etiam theologi Saxonici, Wittenbergenses scilicet et Lipsienses, sicut in doctrina de libero arbitrio et de bonis operibus, ita et circa eucharistiam a Lutheri sententia defecerunt, Philippi Melanchthonis exemplum secuti, unde etiam Philippistae dicti sunt, quo nomine rigidiores Lutherani, heterodoxiae, imo haereseos notam eis sicut et magistro inusserunt, multisque scriptis, opprobriorum et conviciorum plenis eos impetiverunt. Philippistae ubiquepraesentiam naturae Christi humanae palam negabant, quoad eucharistiam vero, ad veram suam mentem tegendam, formulis utebantur, quae in duplicem sensum explicari poterant. Suum tamen sensum Calvinianum diversimode prodebant, unde postea Crypto-Calvinistae dicti sunt. Augustus, tunc temporis elector Saxonicus, orthodoxiae Lutheranae quidem studiosus erat, et annis saeculi sexagesimis, a principibus et theologis extraneis admonitus, aliisque occasionibus Philippistas ad fidem suam tum scriptis

tum ore confitendam provocavit. Quoniam vero eis favebat, et viri, quorum consiliis utebatur, eis clam consentiebant, ambiguis eorum formulis, et disertis eorum contestationibus, se a Calvino diverse sentire, acquiescebat. Imo cum a. 1572. denuo ab eo provocati, novam circa eucharistiam confessionem, in qua determinatae Lutheri dictiones adjectis ambiguis Melanchthonis conciliatae, reapse enervatae erant, nomine consensus Dresdensis ei exhibuissent; eam non tantum approbavit, sed etiam a. 1573., postquam tutelam minorennium ducum Saxonicorum in Thuringia suscepisset, praedicatores hujus terrae, consensum illum non acceptantes, magno numero deposuit. Hoc electoris animo et suorum in aula patrocinio freti theologi Wittenbergenses anno tandem 1574 mentem suam penitus aperire ausi sunt edito libro, cui titulus: exegesis perspicua controversiae de coena Domini, quo non tantum Calvini sententiam de eucharistia nude exposuerunt, sed etiam Lutheranam et argumenta pro ea adferri solita diserte rejecerunt. Quapropter jam elector severe in eos animadvertit. Omnes scilicet professores theologiae Wittenbergenses et Lipsienses, cum propositos sibi articulos, orthodoxam de eucharistia doctrinam, et errorum oppositorum, eorumque auctorum rejectionem continentes, subscribere recusarent, primo in carceres conjecti, dein quidem dimissi, sed muneribus privati et relegati; alii professores, qui eis consenserunt, depositi, patroni autem eorum in aula, nominatim Georgius Cracau, electori a consiliis arcanis, et Casparus Peucer, ejus archiatra, Melanchthonis gener, perpetuo carceri mancipati sunt.

§. 664. Formula concordiae.

Jamque Augustus, elector operam suam in id collocabat, ut concordia inter Lutheranos in omnibus doctrinis hactenus controversis restitueretur. Ejusmodi conamina jam antea saepius sed frustra facta fuerant.

Nunc vero, exturbatis Philippistis, elector, consentientibus caeteris principibus Lutheranis, a. 1576. praecipuos quosdam et orthodoxiae fama gaudentes theologos extraneos et Saxonicos ad novam fidei formulam componendam, qua omnes doctrinae, hactenus inter Lutheranos controversae, ad mentem Lutheri definirentur, Torgaviae congregavit. Liber ab eis confectus et Torgaviensis vocatus, antequam publicaretur, principibus Lutheranis transmissus est, ut theologorum judicio subjiceretur et comprobaretur. Anno sequenti aliquot ex libri auctoribus in claustro Bergensi prope Magdeburgum iterum congregati, observationum a theologis factarum aliqua ratione habita, illum emendarunt, et ad ultimam formam redegerunt. Dictus est a loco, ubi id factum, liber Bergensis, et a fine suo formula concordiae. In ea igitur, quoad peccatum originale, statutum, illud non esse hominis substantiam; quoad morales hominis vires, eum quidem gratiae divinae resistere posse, caeterum autem in omnibus rebus, salutem suam attinentibus, trunco, lapidi, aut imagini mortuae similem esse. Porro Osiandri assertio de justificatione rejecta; aliqua bonorum operum necessitas concessa; lex moralis contra sectam Antinomorum, jam a Luthero suppressam, ad rudiores in externa morum honestate continendos, ad regeneratos autem de officiis instruendos utilis declarata; quoad eucharistiam Calvini sententia expresse damnata, et humanae Christi naturae ubiquepraesentia ceu fundamentum corporalis ejus in eucharistia praesentiae adstructa; denique cum Lutherani absolutam, quam Lutherus tradiderat, praedestinationem communiter deseruissent, statutum, omnes, vera poenitentia et recta fide Christum amplectentes, a Deo ad vitam aeternam et gratiam electos esse. Haec concordiae formula, lingua Germannica composita, ab omnibus civitatibus Lutheranis in Germannia ceu norma fidei acceptata est, exceptis sequentibus: Hassia, Holsatia, Anhalto, et pluribus urbibus liberis. Suscepta

postmodum iterum rejecta est in terris Brunsvicensibus, auctoribus theologis Helmstadiensibus, aliquam mutationem in ea factam et ubiquitatem praetendentibus, et in terris Brandenburgicis, postquam elector prioribus saeculi 17. annis ad castra Calvini transiisset. Extra Germanniam, nominatim in Dania et Suecia, nunquam suscepta est. Cum per eam Lutherani a Calvinianis penitus separarentur, posteriores eam mox scriptis impugnarunt. Nihilominus elector Augustus, consentientibus caeteris principibus, qui formulam concordiae acceptaverant, eam caeteris libris symbolicis Lutheranorum a. 1580. adjungi, et ita perfectam horum collectionem nomine librorum concordiae typis vulgari jussit.

§. 665. Extirpatio Crypto-Calvinianismi in Saxonia.

His non obstantibus in terris electoris Saxonici multi Crypto-Calvinistae supererant, qui sub Augusti, a. 1586. mortui filio et successore Christiano I. ope Nicolai Crell, supremi hujus administri, iterum in altum emergere, imo Calvinianismum in Saxoniam introducere conabantur. Crellius fervidus Crypto-Calvinista, summa apud electorem auctoritate et fiducia pollens, heterodoxos e s. suggestu impugnare sub poena exilii vetuit, et praedicatorem aulicum, quod contra Calvinianos declamasset, in arce montana vinculis mancipavit; munera quoque praecipua tam ecclesiastica, quam academica, Calvinianis etiam extraneis conferebat. Sed electore Christiano a. 1591. mortuo, Crellius, cunctis invisus, mox jussu ducis Saxonici Altenburgensis, qui Christiani successoris adhuc minorennis terras administrabat, in vincula conjectus est, post 10 annos propter crimina, etiam politica ei objecta, capite plexus. Praedicatores vero nonnulli Dresdenses, et professores Wittenbergenses ac Lipsienses, qui ejus coeptis praecipue colluserant, carceribus traditi, et post

aliquot menses, retractatis erroribus, libertati quidem redditi, sed muneribus privati sunt. Nunc a. 1592. ad Calvinianismum in Saxonia penitus extirpandum, omnium ecclesiarum visitatio instituta, et 4 articuli, quibus Calvinianorum doctrinae de eucharistia, Christi persona, baptismo, et praedestinatione reprobabantur, omnibus non tantum praedicatoribus, sed etiam professoribus, et quocunque munere publico fungentibus subscribendi propositi, quod qui facere recusabant, depositi sunt. Christianus II. autem, postquam a. 1602. ipse regimen suscepisset, mox jusjurandum introduxit, quo omnibus quocuncque munere publico fungentibus promittendum erat, se a doctrina in libro concordiae contenta non recessuros esse; cujus obligationis fundamentum jam a. 1538. a confoederatis Schmalcaldicis Brunsvici congregatis positum fuerat, decernentibus, se suos successores, vasallos, magistratus, officiales et subditos ad servandam confessionem Augustanam obstricturos esse. — Ex harum litium historia praeter alia intelligitur, quanta sit s. scripturae claritas, secundum Protestantes ex se ipsa tantum explicanda, et quam parum fidei controversiae, absque supremi et infallibilis judicis auctoritate finiri queant, cujus loco Protestantes, ne eorum ecclesia penitus dissolveretur, ad fidei formulas humana auctoritate compositas jurejurando se obstringere debebant, quo eorum fidei libertas adeo jactata longe infra Catholicam, nonnisi divinae auctoritati cedentem, depressa est.

Löscher lib. cit. Kiesling Fortsetzung der Löscherischen historia motuum. Anton Geschichte der Concordienformel. Hospiniani concordia discors. Hutter concordia concors. Arnold l. c. Planck l. c.

§. 666. Doctrina Lutheranorum a Graecis reprobata.

Eodem tempore, quo defectio theologorum aliorumque Saxonum a sententiis patriarchae eorum imm-

tuit, Würtembergenses aliam Catholicis satisfactionem pararunt, consensum cum ecclesia Graeca exquirentes. Theologi nempe Tubingenses, Jacobus Andreae et Martinus Crusius per praedicatorem apud Caesareum CPi internuntium, a. 1574. Jeremiae patriarchae CPno confessionem Augustanam, a Crusio, in lingua Graeca versatissimo, translatam miserunt, additis litteris eum rogantes, ut suum judicium de consensu illius cum fide Graecorum eis perscriberet. Patriarcha in suo responso praeter alia docuit, hominem non sola fide justificari, sed opera bona tum ad justificationem, tum ad salutem aeternam esse necessaria, esse 7 sacramenta divinitus instituta, et gratiam sanctificantem conferentia, in eucharistia fieri transsubstantiationem, μετουσίωσιν, singula peccata sacerdoti esse confitenda, ad remissionem peccatorum obtinendam etiam poenitentiae opera esse peragenda, pro defunctis esse orandum, sanctos invocandos, vitam monasticam magis perfectam aestimandam, traditiones sanctorum patrum praeter s. scripturam tenendas. Theologi Tubingenses in alio quidem scripto, a. 1577. ad patriarcham dato, doctrinam Lutheranam defendere conati sunt; sed patriarcha in rescripto eorum rationes refutavit; cumque Würtembergenses huic quoque refutationi nova argumenta opponerent, Jeremias quidem eis denuo respondere non omisit, simul tamen, ne amplius de rebus theologicis ad eum scriberent, monuit. Hanc doctrinae Lutheranae reprobationem ab ecclesiae Graecae capite factam, Würtembergenses quidem silentio supprimendam censuerunt; ea tamen innotuit, cum canonicus quidam Cracoviensis, exemplar primi patriarchae responsi adeptus, illud sub titulo: censura Orientalis ecclesiae, Latio data, typis publicaret.

Schelstrate acta ecclesiae Orient. contra Lutheri haeresin. Romae 1739.

§. 667. Antitrinitarii.

Quousque principium de s. scriptura, rejecta traditione et auctoritate ecclesiae, ex se sola a quovis interpretanda, tandem abducat, jam priori novationum religiosarum tempore manifestari coepit. Etenim a trigesimo circiter saeculi anno plures inter diversos populos, maxime vero inter Italos emergebant, qui principio illo utentes, textus sacros, hactenus de Christi et Spiritus s. divinitate intellectos, in alios sensus interpretabantur, adeoque ad principale et characteristicum religionis Christianae dogma de divina Trinitate negandum delabebantur, quamquam caeterum in eo, quid Christus et Spiritus s. sit, admodum inter se dissentirent. Ex his Antitrinitariis notatu dignior est Michael Servetus, a. 1509. Villaenovae in Aragonia natus, qui de multiplicibus, quas facili ingenio sibi comparabat, scientiis theologicis, juridicis, historicis, philosophicis, physicis et medicis, juveniliter insolescens, veram Christi religionem a se demum restituendam jactabat, ac quarto et sequentibus saeculi 16. decenniis Galliam peragrans, nec non aliquas Germanniae, Helvetiae et Italiae regiones visitans inter alias speciatim doctrinam de paedobaptismo, et de divina Trinitate tum ore tum calamo summa cum vehementia, et in diverse sentientes maledicentia impugnavit, de Christo sententiam professus, opinioni Pauli Samosateni similem. Viennae in Gallia, ubi artem medicam exercebat, propterea comprehensus, vinculis quidem elapsus et in effigie tantum concrematus est; at per Genevam in Italiam se recepturum Calvinus, quocum antea de eadem doctrina scriptis disputaverat, comprehendi curavit, quo facto, eodem agente, a magistratu propter haereses et blasphemias capitis damnatus, et a. 1553. lento igne combustus est.*) Similem sortem alii hujus generis viri experti sunt, speciatim nonnulli illorum, qui circa annum 1546. ad religionem a divina Trinitate aliisque

mysteriis purgandam, Vincentiae in societatem coalue-
runt, post aliquod tempus detectam et dissipatam. Tum
horum, tum caeterorum Antitrinitariorum nonnulli Po-
loniam petierunt, ubi regnante Sigismundo Augusto
major quam alibi libertas circa religionem vigebat.
Non carebant asseclis, qui postquam per aliquod tem-
pus caeteris Protestantibus permixti fuissent, viris eru-
ditis et nobilibus aucti, a. 1565. in synodo Petricovi-
ensi ab eis se separarunt, et peculiarem abhinc coe-
tum efformarunt. Dicti sunt ab initio Pintschowiani ab
oppido Pinczow, ubi sub praesidio domini loci eorum
primarii habitabant. Cracoviae quoque aliisque in locis
coetus habebant. Anno 1569. Joannes Sieniensky, Po-
liae praefectus, Racoviam a se conditam eis incolen-
m dedit, quae ab hoc tempore principalis eorum
es evasit, eisque Racoviensium nomen comparavit.
i tamen a primario suo dogmate de unica persona
na Unitarii dici maluerunt. Eos hoc tempore etiam
Transsylvania ope Georgii Blandratae, celebris me-
Itali, qui pariter propter doctrinas Antichristianas
loniam concesserat, et ab anno 1563. apud supre-
Transsylvaniae principes archiatri munere funge-
, eorumque favore fruebatur, invaluisse, et jus
is obtinuisse, jam supra narratum est. Non ta-
mnes Unitarii plene consentiebant, praesertim de
a Jesu Christi, quem alii ad modum Arianorum
n praestantissimum, Deo similem, alii merum
m credebant. Ex illis erat Stanislaus Farnovius,
68. secessione a reliquis facta, singularem inter
onem produxit, sequenti demum saeculo cae-
tam; ex istis Simon Budnaeus, qui Christo
em denegavit, a. 1584. propterea excommu-

Mich. Serveti, praefat. Mosheim. Mosheim ander-
Versuch einer vollständigen und unparteyischen
eschichte.

§. 668. Sociniani.

Novam Unitariorum systemati formam induxit Faustus Socinus, a. 1539. Senis natus, cui adhuc juveni patruus Laelius Socinus, unus ex sociis Vincentinis, et ideo ex Italia in Helvetiam, Germanniam, et Poloniam profugus, sententias Antichristianas instillaverat. Has Faustus ex Laelii scriptis, quae post ejus mortem haeres ceperat, magis excoluit, et quo his coeptis liberius vacaret, a. 1574. Basileam se contulit, systema suum jam verbo et scriptis, aliis communicans. Istud Unitariis in Polonia, quo Socinus a. 1579. devenit, ab initio tam parum probabatur, ut eum in suum coetum non susciperent. Nihilominus scriptis, quae identidem edebat, eloquentia, arte dialectica, politis moribus, industria et perseverantia primo multos viros nobiles et eruditos nec non juniores praedicatores, et paulatim tandem omnes fere Unitarios ad suas sententias hinc inde istis attemperatas pertraxit, ita ut ab eo, a. 1604. mortuo, etiam Sociniani dicerentur. Quae nunc horum fides fuerit, praecipue ex catechismo intelligitur, quem ipsis mandantibus Socinus quidem elaborandum susceperat, eo autem, priusquam absolutus esset, mortuo, alii doctores Sociniani ad finem perduxerunt, et a. 1605. Racoviae ediderunt, unde catechismus Racoviensis dictus est. Juxta hunc, cum Socini aliorumque celebrium hujus sectae doctorum scriptis collatum, Jesus Christus merus homo est, qui propter supranaturalem conceptionem unigenitus Dei filius, propter altiores autem dotes, ad homines redimendos ei collatas, et speciatim propter divinam potentiam et majestatem, post assumtionem in coelum acceptam, qua jam mundum regit, et beneficia cultoribus suis confert, nonnunquam Deus in ss. litteris vocatur, et propter altiorem hanc dignitatem omnino adorandus et invocandus est. Mortem pertulit, non ut pro peccatis nostris satisfaceret, quae nobis gratis a Deo remittuntur, sed

illa non minus, quam vitae suae sanctitate, et miraculis a se patratis divinam doctrinae suae originem confirmaret, exemplum constantiae in adversis virtutis causa perferendis praeberet, et a mortuis resurgere posset, qua resurrectione nobis certitudinem de futura nostra, et de beatitate aeterna comparavit. Spiritus s., quo nomine in ss. litteris saepius virtus quaedam divina, et Deus ipse denotatur, proprie evangelium Jesu Christi significat, sancta animi sensa in nobis excitans, nonnunquam etiam certam spem vitae aeternae, divinitus in quibusdam hominibus excitatam, eosque suaviter afficientem. Homo primus mortalis a Deo creatus, nullamque peccato naturae suae depravationem passus est. Quae ergo de peccato originali ejusque sequelis dicuntur, falsa sunt. Morales hominis vires non quidem magnae, attamen tantae sunt, ut serio conatu et auxilio divino, partim externo, partim interno supranaturali adjutus, mandata Dei omnino observare possit, quae observantia in bonis operibus conspicua, ad justificationem et salutem non minus necessaria est, quam fides in Christum. Praedestinatio nulla est, neque conditionata, siquidem Deus liberas hominum actiones infallibiliter non praevidet. Baptismus, sub quo Christus, si de ejus necessitate loquebatur, non baptismum aquae, sed spiritualem intellexit, non est necessarius, licet mos, eum conferendi, retineri potest, neque qui parvuli eum acceperunt, rebaptizandi sunt. Confessio fidei in Christum, quae baptismo fit, ei autem minime alligata est, ad remissionem peccatorum confert, alia autem virtus cum baptismo nulla conjuncta est. Sacra coena, quae nonnisi ritus est a Christo praescriptus, est mera commemoratio mortis Christi. Poenarum aeternitatem, impiis et a scelere non reversis infligendarum singuli tantum inter Socinianos negarunt. Ex his satis apparet, Socinianis, quamvis s. scripturam religionis suae fontem praedicarent, propriam tamen credendorum normam rationem humanam fuisse, ad quam illius effata ita exigebant et contorquebant, ut nihil intel-

lectui humano impervium continerent. Quoad morum praecepta, fuerunt inter Socinianos, qui magistratum gerere, militiam sequi, et poenas capitales irrogare, homini Christiano nefas existimarent. Quoad constitutionem ecclesiasticam, habebant praedicatores et superintendentes, presbyteros et diaconos, qui omnes ecclesiam regebant, et nonnunquam in synodos coibant. Inter officia praedicatorum non tantum sacri sermonis pertinebant, coram concione dicendi, sed etiam visitationes familiarum, spiritualem in finem suscipiendae, admonitiones et correptiones privatae, et frequentes preces pro coetu. Praeterea apud Socinianos in usu erat confessio peccatorum generalis publice facienda, jejunium publicum, et severa disciplina ecclesiastica, ad quam excommunicatio pertinebat. Hinc externa morum honestas ab eis non aberat. Nec deerant eis viri ingenio, eruditione et eloquentia pollentes, qui multis scriptis religionis suae systema propugnare et commendare studebant, quod eis adeo successit, ut priori saeculi 17. dimidio per magnam Poloniae et Lithuaniae partem propagarentur, et in Transsylvania circa medium ejusdem saeculi ultra 200 coetus haberent. In eadem terra Claudiopoli, in Polonia vero Racoviae aliisque in locis scholas philosophicas et theologicas, gymnasia dictas, habebant. Cum insuper multorum senatorum, magnatum et praesidum in Polonia favore et patrocinio fruerentur, status eorum hoc tempore satis laetus erat.

Sandius bibliotheca Antitrinitariorum. Lubienietsky historia reformationis Polonicae. Bock historia Antrinitariorum, maxime Socinianismi et Socinianorum. Ejusd. historia Socinianismi Prussici. (Lanny) histoire du Socinianisme.

§. 669. Lites Molinisticae.

Post concilium Tridentinum, quod secundum antiquum ecclesiae morem, nonnisi assertiones, doctrinae Catholicae aperte contrarias reapse prolatas, non autem futuro fortasse tempore proferendas damnavit

de nulla alia re majores inter theologos Catholicos controversiae agitatae sunt, quam de gratia divina et affinibus materiis. Thomistae, quales imprimis Dominicani erant, universim S. Augustini systema ea de re tuebantur, atque nonnulli eorum, dum illud pro omni ejus rigore persequerentur, assertiones inde deducebant, sancto patri non probatas, libero arbitrio et virtutis merito adversas, ac propterea a sede apostolica proscriptas. Sic Pius V. pontifex in bulla, a. 1567. edita 76 propositiones, ex scriptis Michaelis Baji, theologiae in universitate Lovaniensi professoris, a Scotistis, ad quos praecipue Franciscani pertinebant, extractas damnavit, auctoremque ad eas pariter damnandas adegit, Gregorius autem XIII. etiam facultatem theologicam ejusdem universitatis, Bajo faventem, ad sententias damnatis oppositas adstruendas permovit. Inter propositiones damnatas erant plures, quae omnes hominis actiones sine gratia divina peractas mera peccata esse, et necessitatem internam, gratia effectam, libero arbitrio et virtutis merito nihil officere adstruebant [1]). — Quoniam igitur systema S. Augustini, pro toto suo rigore sumtum cum libero arbitrio non bene conciliari posse videbatur, haud pauci theologi Catholici hinc inde ab eo deflexerunt. Inter hos erat Ludovicus Molina, natione Hispanus, e societate Jesu, qui theologiam Evorae in Portugallia tradebat. Is a. 1588. librum edidit, cujus finem titulus indicat: Liberi arbitrii cum gratiae donis, divina praescientia, providentia, praedestinatione et reprobatione concordia. Cum gratia liberum arbitrium Molina in concordiam redigere conabatur assertione, hominem nativis viribus, seu generali Dei concursu aliquid moraliter boni operari posse, quod quidem supranaturale pretium et meritum pro salute nullum habeat, quo tamen Deus moveatur ad gratiam suam homini, nativis istis viribus bene utenti conferendam; similemque talis hominis cooperationem causam esse, cur gratia sufficiens etiam efficax

fiat, et homo usque ad finem in bono perseveret. Cum praescientia divina et praedestinatione ac reprobatione Molina liberum arbitrium conciliare conabatur ope scientiae Dei, ab eo mediae dictae, qua Deus praevideat, quid ens liberum, nondum creatum, in his vel illis rerum adjunctis pro sua libertate acturum vel non acturum sit. Hac praescientia actionum humanarum libertatem minime tangi docuit, siquidem ens liberum non ideo ita agat, quia Deus praevidit, sed Deus potius pro plenissima sua cujusvis rei cognitione id praevideat, quod reapse acturum est. Eandem scientiam mediam causam esse, ob quam Deus illos, quos gratiae suae cooperaturos praevidit, ad vitam aeternam praedestinaverit, quos secus facturos praevidit, reprobaverit; igitur praedestinationem non esse absolutam sed hypotheticam seu in praevisa hominum cooperatione fundatam, talem autem libero eorum arbitrio minime officere. — Verum assertio, hominem nativis viribus aliquid moraliter boni operari, et ita cum gratia divina cooperari posse, Thomistis Semipelagiana videbatur. Similiter eis praedestinatio hypothetica displicebat, a mente S. Augustini longe aliena. Quam ob rem etiam scientiam mediam impugnabant. Dominicanis mox alii theologi, et nonnulli etiam episcopi in Hispania assentiebantur, dum Molinae multi ex confratribus accederent, ita ut jam inter duos ordines nobilissimos acris controversia oriretur, ab anno 1594. in Hispania potissimum magno animorum aestu agitata. Causa Romam perlata, Clemens VIII. utrique parti silentium imposuit, simulque episcoporum, universitatum et praecipuorum theologorum sententias de materia controversa exquisivit. Cum Dominicani judicium sedis apostolicae urgerent; pontifex a. 1598. Romae celebres disputationes instituit, a suo objecto congregationes de auxiliis, scilicet gratiae divinae, dictas, et praesidente primum Ludovico Madruccio, cardinali et episcopo Tridentino, deinde ipso pontifice usque ad annum 1605. continuatas. In his non, prae-

pontifex voluit, doctrina controversa ad mentem S. Augustini determinata, sed a quavis litigantium parte pro sua sententia disputatum est. Eventus is erat, ut maxima pars episcoporum et theologorum auscultantium, qui consultores dicebantur, sententiam Molinistarum reprobaret, et pontificis jussu illius proscriptio conficeretur, cui omnes consultores, excepto uno subscripserunt [2]). Quo minus autem ea publicaretur, mors pontificis a. 1605, impedivit. Paulus V., qui non multo post ad pontificatum pervenit, eodem anno 1605. congregationes renovavit, et usque in sequentem continuavit. Et ipse ad assertiones Molinistarum proscribendas pronus erat; sed perpendens, totius societatis Jesu, quae nuperrime in ejus cum republica Veneta litibus magna propter obedientiam ei praestitam incommoda passa fuerat, honorem inde laedendum fore, rem a. 1607. eo terminavit, ut parti utrique libertatem, sententiam suam defendendi concederet, mutuam autem diffamationem severe interdiceret. Repetitae preces, quibus Dominicani, et ipse rex Hispaniarum ad judicium ferendnm eum permovere conabantur, non alium effectum habuerunt, quam ut a. 1611. de materia controversa penitus silendum juberet [3]).

[1]) Bajana, subjuncta Baji operibus, Coloniae a. 1696. 4. editis. Du Pin nouvelle biblioth. des auteurs ecclesiast. D'Argentré collectio judiciorum de novis erroribus.

[2]) Schmalfus hist. eccles. t. V. pag. 243.

[3]) Serry historia congregationum de auxiliis divinae gratiae. Livinus Mayer historiae controversiarum de divinae gratiae auxiliis libri tres; duplex opus, alterum sub Theodori Eleutherii, alterum sub vero auctoris nomine.

§. 670. Ecclesiae Calvinianae in Germannia incrementum.

Quamquam iterata conamina, Calvini doctrinam in Saxonia propagandi, irrita fuerunt, tamen post aliquot annos plures ex principibus Lutheranis eam non tan-

tum ipsi adoptarunt, sed etiam ad subditos suos propagarunt. Praecipua causa, cur id fecerint, offendiculum fuisse videtur, quod ex doctrina Lutherana de eucharistia et ubiquitate, ceu illius fundamento capiebant. Ac primo quidem principes Anhaltini a. 1596. doctrinam Lutheranam cum Calviniana permutarunt, et praedicatores, consentire nolentes e territorio suo amoverunt [1]). Mauritius, comes provincialis Hassiae, qui a. 1604. Calvinianismum terrae suae invexit, praedicatoribus reclamantibus deponendis acquievit [2]). Joannes Sigismundus autem, elector Brandenburgicus, a. 1614. ad castra Calvini quidem transivit, et familiam suam ad idem faciendum permovit, subditis tamen suis libertatem concessit, in doctrina Lutherana perseverandi. Nihilominus haud pauci eorum exemplum principis secuti sunt. Cumque ex quadam ecclesia Berolinensi, liturgiae Calvinianae adaptanda, altare, baptisterium et imagines auferrentur; plebs a praedicatoribus excitata vehementissimam contra Calvinianos seditionem movit, in qua nonnullae istorum domus direptae, nonnulli homines interfecti sunt. Calviniani quidem a pace religiosa exclusi erant; nihilominus ejus commoda sub praetextu, se confessioni Augustanae, cujus posteriores editiones Melanchthon hinc inde, praecipue in articulis de eucharistia mutaverat, addictos esse, sibi attribuebant, idque eo magis, quia ipsi Lutherani mutatas editiones non reprobabant. Imo, quo tempore Christianus II. elector Saxoniae minorennis erat, versus finem scilicet saeculi 16. elector Palatinus primum locum inter ordines Protestanticos, religionis causa conjunctos, seu in corpore Evangelicorum, et supremam directionem causarum ecclesiasticarum, illi loco adnexam, consecutus est, ac postea quoque retinuit. Illa principum commemoratorum ad Calvinianismum defectio non minus quam formula concordiae ad Lutheranos a Calvinianos magis magisque abalienandos, imo contra eos irritandos contulit.

[1]) Beckmann Historie des Fürstenthums Anhalt.

[2]) Salig Historie der Augsburgischen Confession.

[3]) Arnold unparteyische Kirchen- und Ketzerhistorie.

§. 671. Arminiani.

Enarrato ecclesiae Calvinianae incremento non obstabant controversiae, quae eodem tempore in ea agitabantur. Inter has gravissima erat, quam excitavit Jacobus Arminius (Hermanni) tunc temporis theologiae in universitate Lugdunensi Batavorum professor. Is a. 1604. in publica disputatione, de praedestinatione habita asseruit, Deum homines non absolute, sed propter fidem, Christo adhibitam aut denegatam, ad vitam vel mortem aeternam praedestinasse, unde sequebatur, homines, etiamsi fides Dei donum sit, tamen ad eam accipiendam cooperari posse. Hanc assertionem ab orthodoxa Calvinianorum doctrina alienam mox publice impugnavit Franciscus Gomarus, Arminii collega, quocum plerique praedicatores, consuetae doctrinae fideliter inhaerentes, faciebant. Cum vero nec Arminius asseclis inter litterarum studiosos, professores, et praedicatores careret: ortae sunt duae factiones, Arminianorum et Gomaristarum, dictis et scriptis mutuo se impugnantes. Arminiani mox quamdam in rebus fidei laxitatem prodebant; cum enim Gomaristae ad publicam fidei confessionem, et ad catechismum Heidelbergensem, jussu Friderici III. electoris Palatini a Zacharia Ursino et Casparo Oleviano, theologis Heidelbergensibus circa annum 1560. confectum, atque etiam in Belgio auctoritate publica donatum, contra Arminianos provocarent; hi ejusmodi scripta symbolica de novo examinanda et corrigenda, imo potius abroganda esse contendebant. Potestas civilis partes litigantes, institutis inter eas colloquiis, et jussa mutua pace ac tolerantia ad quietem perducere conabatur, sed frustra; Gomaristae enim has lites nonnisi a synodo generaliori componi posse contendebant, et magistratui jus, suam auctoritatem interpo-

nendi, denegabant, cum e contra Arminiani, numero et existimatione longe inferiores, potestatis civilis praesidium studiose quaererent, et quo certius illud consequerentur, amplissimam in re ecclesiastica potestatem, ad ipsas fidei decisiones extensam, ei assererent, quoad synodum autem postularent, ne in ea votorum pluralitate res decideretur, sed pars accusata rationibus potius convinceretur; quod si fieri non posset, religionis tolerantia decerneretur, unitatem caeterum ecclesiasticam facile conservari posse, si ea ad doctrinas fidei fundamentales, quae admodum paucae sint, reduceretur. — Arminio a. 1609. mortuo, dissensio ab eo effecta latius adhuc et ad ipsam plebem propagabatur, ita ut subinde etiam turbae inde orirentur. Quarum cum non minus, quam depravatae religionis ab adversariis arguerentur, Arminiani a. 1610. publicis Hollandiae ordinibus, libellum, remonstrantiam inscriptum, a quo ipsi Remonstrantes dicti sunt, exhibuerunt, in quo contra illa crimina se defendebant, suamque de praedestinatione et affinibus materiis doctrinam 5 articulis proponebant, quorum summa haec erat: Deus ab aeterno decrevit, ut in Christum credituri, ac in fide et obedientia erga eum usque in finem perseveraturi, vitam aeternam consequerentur, infideles autem et peccatores non resipiscentes in aeternum damnarentur. Ad fidem illam salvificam homo quidem gratia Dei per Christum indiget, quae gratia causa inchoatae, continuatae et perfectae salutis ejus est; ea tamen nec sola nec irresistibiliter operatur. His postea addiderunt, hominem sua culpa, gratia et fide in perpetuum excidere posse. Huic libello Gomaristae aliam opposuerunt, in quo doctrina Calvini de praedestinatione proposita, simulque contra opprobrium noxiae in mores potestatis vindicata erat. Quem cum contraremonstrantiam inscripsissent, ipsi inde Contraremonstrantes dicti sunt. Ordines publici pergebant, institutis inter partes dissidentes colloquiis, unionem aut sal-

tim pacem tentare. Quum voro operam perderent, edito a. 1613. decreto, ne de praedestinatione coram populo diceretur, neve Arminiani impeterentur vetuerunt. Verum civitas Amstelodamensis ad hoc decretum acceptandum permoveri non potuit, resque ibi, inde ab anno 1617. jam eo devenit, ut Remonstrantes et Contraremonstrantes separatos conventus sacros agerent, et conjunctiones adversas inirent, plebs vero Arminianorum sacra turbaret, et domos diriperet. His non obstantibus ordines Hollandiae synodum generalem, quam Gomaristae poscebant, indicere continuo recusabant, bene praevidentes, Arminianos, ad quos ipsi plerique pertinebant in ea damnandos fore. At in congregatione ordinum generalium totius Belgii foederati, eodem anno 1617. habita, votorum pluralitate decisum est, ejusmodi synodum anno sequenti Dordraci in Hollandia celebrandam esse. Cum plerique ordines Hollandiae ei reclamare non absisterent, Mauritius supremus Belgii domi militiaeque praefectus hoc obstaculum removit, cum reclamantium primarios, quos etiam in potestate sua amplianda sibi adversos habebat, et inter eos Hugonem Grootium, syndicum Rotterdamensem, jurisconsultum, a multiplici et solida eruditione celeberrimum, subito comprehendi et carceribus mancipari curasset.

§. 672. Synodus Dordracena.

Nunc synodus absque difficultate statuto loco congregata est. In ea praeter Batavos theologi ex omnibus ecclesiis Reformatis extraneis, excepta Gallica, Anhaltina, et Brandenburgica, sed intraneis numero longe inferiores adfuerunt. Simon Episcopius, ab anno 1611. theologiae in universitate Lugdunensi professor, hoc tempore primarius Arminianorum theologus, et 12 alii horum doctores citati comparuerunt quidem; attamen synodum judicem agnoscere recusarunt; postularunt potius, ut utraque pars de materia controversa inter

se conferret, in ea examinanda non doctrina consueta, vel libri symbolici, eam continentes, sed sola s. scriptura respiceretur et norma haberetur, ut nulla fidei definitio fieret, sed tantum amica rei compositio, de qua, si inter utramque partem conveniri non posset, magistratus, quid et quomodo docendum sit, praescriberet, ita tamen, ut qui rem ab eo praescriptam approbare non posset, munere quidem ecclesiastico nullo fungeretur, attamen religionis libertate frueretur. Sed synodus eos propter ejusmodi postulationes severe increpavit, nihilque amplius eis concedere voluit, quam ut sententias suas exponerent, et adductis rationibus defenderent, caeterum ab impugnanda doctrina consueta abstinerent, et judicio a synodo ferendo se subjicerent. Quod cum iterato admoniti facere detrectarent, synodus eos tandem abegit, eisque censuras intentavit, his omnibus modum, quo ecclesia Catholica cum novatoribus agere solet, et cum ipsius antecessoribus egerat, ipso suo facto approbans. Arminianis amotis, qui nunc ex scriptis suis judicabantur, synodus fidei decretum de materia controversa, sed ad mentem Infralapsariorum (i. e. eorum, qui deserto horrendo Calvini commento de praedestinatione ante vel supra lapsum facta, hanc infra vel post lapsum factam fuisse statuebant,) condidit, et a. 1619. in ecclesia principali publicavit. Simul judicium contra Remonstrantes promulgatum, quo eorum doctores adulteratae religionis, ecclesiae discissae, gravissimi scandali dati, denique intolerabilis pervicaciae synodo oppositae rei pronuntiati, theologi, qui ad synodum citati fuerant, depositi, caeteri minoribus judiciis ecclesiasticis sive corrigendi, sive deponendi commissi sunt, statutumque ut nemini in posterum munus ecclesiasticum concrederetur, qui synodale fidei decretum subscribere renuisset. Quod judicium, postquam ab ordinibus generalibus confirmatum fuisset, 200 circiter praedicatores Remonstrantium depositi, Episcopius cum illis, qui in synodo fuerant, et caeterorum

80 e Belgio foederato relegati, conventus s. Arminianorum interdicti, et ubi interdicto non parebant, velut Rotterdami, in qua urbe 5000 eorum existebant, militibus dissipati sunt, qua occasione plures eorum vitam amiserunt. Etiam in extraneis Calvinistarum ecclesiis, excepta Brandenburgica, decreta Dordracena acceptata fuere, nominatim in Gallica, ubi synodus Alectensis a. 1620. celebrata statuit, ut omnes professores et praedicatores ea jurejurando approbarent, quod, qui non praestabant, muneribus privati sunt. In Anglia quoque rex Jacobus ab initio illa approbavit, postea vero, mente mutata praedestinationem publice praedicari vetuit.

§. 673. Ulterior sors et fides Arminianorum.

Arminiani pulsi maximam partem in Brabantiam se receperunt, quia tunc temporis induciae inter Hispanos et Belgas foederatos obtinebant. His autem a. 1621. ad finem vergentibus, alii eorum in Galliam, alii, a duce Holsatiae Friderico IV. invitati, in Slesvicum concesserunt, ubi urbem condiderunt, in ducis honorem Fridericopolim dictam. Ex laicis, qui in patria remanserunt, nonnulli, Warmondi habitantes, in aedibus privatis conventus sacros agebant, in quibus alius preces recitabat, alius particulam e s. scriptura praelegebat, et qui valebant, etiam sermonem dicebant. Posterius auctores horum conventuum mox adeo adamarunt, ut praedicatores suos, qui apud eos clam munere suo functuri erant excluderent, dein penitus a caeteris Arminianis se separarent, et propriam sectam efformarent, cujus membra Rhenoburgorum et Collegiantium nomine compellata sunt, illo quidem, quia post aliquod tempus praecipuam sedem suam Rhenoburgi haud procul a Lugduno constituerunt, isto autem, quia eorum conventus collegia dici cousueverunt. Ita separati, praeterquam quod praedicatores praedestinationem, et omnia fidei symbola rejicerent, etiam morem, per immersionem baptizandi apud se introduxerunt, statueruntque homini Christiano neque magistratum, neque bellum

gerere licere. — Interea Arminianis, mortuo a. 1625. Mauritio principe, semper eis infesto, melior sors obtigit; nam frater ejus Fridericus Henricus, qui ei successit, persecutionem Remonstrantium nunquam approbaverat. Ejus igitur benevolentia freti, continuo plures ex praedicatoribus Arminianis in patriam revertebantur, et publicos conventus sacros agere coeperunt. Nec spes eos fefellit; non tantum enim tolerabantur, sed etiam a. 1630. eis indultum, ut Amstelodami ecclesiam et scholam extruerent, in qua futuri eorum religionis doctores in litteris philosophicis et theologicis erudirentur. Qui eas tradebant plerique ingenio et eruditione, nec non scriptis operibus magnum inter litteratos nomen consecuti sunt, velut Simon Episcopius, Stephanus Curcellaeus, Arnoldus Poelenburg, Philippus Limborch. Jam primus eorum a doctrinis religionis Christianae characteristicis magis magisque recessit, et sententiis Socinianorum appropinquavit. Equidem in fidei confessione, quam a. 1621. composuit, anno sequenti ab omnibus praedicatoribus Remonstrantium approbata, pauciora tantum occurrunt, quae animum in rationalismum et indifferentismum propendentem produnt, velut: fidei symbolis modicam auctoritatem tribuendam esse, inter fidei doctrinas pauciores esse necessarias, caeteras solummodo utiles, theologiam scientiam esse potius practicam, quam speculativam; sacram coenam esse annuntiationem mortis Christi et signum communicationis cum corpore et sanguine ejus. At vero in institutionibus suis theologicis, lectionibus scholasticis, Amstelodami traditis, et in responsionibus ad quaestiones theologicas, a discipulis in privato disputationum collegio Amstelodami ei propositas, filio Dei et Spiritui s. consubstantialitatem cum patre abjudicavit, addens eam credere non esse ad salutem necessarium, sicut nec illud: qua ratione Christus incarnatus fuerit; porro peccatum originale negavit, et mortem primis tantum parentibus poenam peccati fuisse asser-

ruit; denique consuetam baptismi formulam neque necessariam neque ab apostolicis adhibitam esse contendit. Haec omnia secundum ejus assertionem in s. scriptura contenta sunt, cujus claritatem graviter defendit. Quo magis autem doctrinas intellectui ingratas abigere posset, principium non minus impium, quam sanae rationi adversum statuit: praeter paucas veritates religionis fundamentales non esse necessarium caeteras, utut in s. scriptura reapse contentas tenere. Quale instituentibus talibus doctoribus, systema theologicum Arminianorum evaserit, non opus est, ut moneatur. Hi caeterum etiam in Anglia, favente potissimum Guilielmo Laud, ab anno 1633. archiepiscopo Cantuariensi, inter Episcopales plurimum propagati sunt.

Caspar Brandt historia vitae Jacobi Arminii. Ejusd. vita Hugonis Grotii. Limborch vita Episcopii. Gerard Brant Historie der Reformation in Niederland. Hales historia concilii Dordraceni, ex Anglico Latine reddita a Mosheim. Grotius annales et historiae de rebus Belgicis,

§. 674. Controversiae inter Hugonottas,

In Gallia, ubi doctrina, a synodo Dordracena statuta, graviter praescripta fuit, Moses Amyraldus, ab anno 1633. theologiae in schola Salmuriensi professor, primariae Arminianorum sententiae unionis causa ita appropinquare conabatur, ut simul orthodoxam doctrinam illaesam servaret. Edito nempe a. 1634. libro de praedestinatione docuit, Deum utique neminem hominum absoluto quodam decreto ad miseriam aeternam praedestinasse, sed potius omnes salvare decrevisse, ea tamen conditione, si in Christum essent credituri, unde haec doctrina universalismus hypotheticus dicta est. Ita quidem duram praedestinationis absolutae faciem primo aspectui obvelavit, sed ulterius eam explicans propius intuenti nonnisi doctrinam ecclesiae suae propriam exhibuit. Etenim illam salutis conditionem non sicut Arminius, aliqua ex parte in hominis potestate

posuit, sed totam a Dei arbitrio derivavit, ita ut nonnisi illi ad fidem, et per consequens ad salutem pervenire possent, quos Deus particulari decreto ad eam elegerit, facultatem sic dictam moralem, fidem capiendi eis tribuens, simul et ipsam in eis producens. Quamquam igitur hic universalismus hypothetius a particularismo Dordraceno reapse non differt; tamen vel nova forma, sub qua propositus erat, pluribus displicebat, eo quod aliquam cum sententia Arminiana similitudinem referret, quam tamen formam Amyraldus et primarius ejus sectator, Paulus Testardus, praedicator Blesensis, qui Amyraldi doctrinam in singulari libro, Irenico inscripto, exposuit, recte propterea adoptarunt, ut via ad unionem Arminianorum cum orthodoxis pararetur. Cum igitur dictis et scriptis publice accusarentur, a synodo a. 1637. Alenconii in Normannia habita ad rationem reddendam vocati sunt, ubi mentem suam ita explicarent, ut synodus eos honorifice dimitteret, et id solum eis injungeret, ut a certis quibusdam locutionibus, quae minus peritis offendiculum creare possent, v. g. Christum pro omnibus pari modo mortuum esse, abstinerent. Nihilominus postea quoque a pluribus et inter suos claris theologis sententia Amyraldi velut Arminiana et Semipelagiana impugnabatur, quibus ille respondere non omittebat, praesertim cum insignes sententiae suae patronos et defensores nactus esset. Ne vero exinde majus dissidium oriretur, synodus a. 1644 Carentonii celebrata, omnibus praedicatoribus et professoribus de materia controversa scribere, disputare, et praedicare vetuit. Eo tamen litigationes suppressae non sunt, quae serius demum paulatim expirarunt.[*)]Priusquam hoc fieret, Josua Placaeus, theologus pariter Salmuriensis novas excitavit, in dissertatione, a. 1640. edita contendens, peccatum originale non consistere in ipso actu inobedientiae protoparentum, quem nos in eis participaverimus, sed in vitiositate naturae nostrae moralis, ex illo orta et ad nos derivata, seu

sicut id postea ipse expressit: peccatum Adami non immediate, sed mediate nobis imputari. Quae assertio, cum sententiae de peccato originali vulgo receptae adversa esset, synodus nationalis, a. 1654. Carentonii habita, eam velut erroneam damnavit, omnibusque praedicatoribus et professoribus eam tradere vetuit. Imo Genevenses, agente Francisco Turretino, theologiae apud eos professore, a. 1675. omnibus religionis doctoribus, Placaei sententiam tradituris, depositionem intentarunt. At ille non tantum plures inter eruditos Protestantes asseclas nactus est, sed etiam nonnullae synodi provinciales decretum Carentonianum effectui dare detrectabant, unde Placaeus post 10 ab illa synodo annos, sententiam suam, edita nova dissertatione propugnavit. Sed non ampliores inde lites ortae sunt. [2])

[1]) Blondel actes authentique des eglises Reformées de France, Germanie, Grand-Bretaigne, Pologne, Hongrie, Pais-Bas etc. Walch Einleitung in die Religionsstreitigkeiten ausser der evangelisch-lutherischen Kirche.

[2]) Jablonsky instit. historiae eccles. Christ. recent.

675. Calvinismus ab ecclesia Graeca proscriptus.

Quemadmodum Lutherani, ita et Calviniani testimonium ecclesiae Graecae de utriusque doctrinae consensu, quod contra Catholicos jactare possent, obtinere studuerunt. Ad hanc rem opportunus eis erat Cyrillus Lucaris, Cretensis, qui postquam Patavii litteris vacassset, varias Europae terras peragravit, eaque occassione, praesertim Genevae, doctrinae Calvinianae cognitionem et amorem attraxit. In Graeciam reversus, et a. 1602. Patriarcha Alexandrinus factus, conjunctionem cum doctoribus Calvinianis initam communicatis litteris continuavit, e quibus singulare in Calvinismum studium eluxit. Anno 1621. ad sedem CPnam evectus idem studium non tantum non dissimulavit, sed etiam a. 1629. fidei confessionem edidit, doctrinae Calvinianae prorsus con-

formem. Hanc Latine redditam Batavorum apud aulam Turcicam internuntius typis imprimi curavit, eandemque velut totius ecclesiae Graecae fidem et doctrinam Calviniani per Belgium aliasque terras venditarunt. Verum Cyrillus Lucaris ob hoc facinus et haeresin a suis mox depositus est; et quamquam magna pecuniae vi, quam internuntius Belgicus ei suppeditabat, dignitatem patriarchalem postea saepius recuperaret, anno tamen 1638. ea iterum privatus, simulque ob machinationes seditiosas laqueo suffocatus est. Ejus successores haeresin Calvinianam in pluribus synodis proscripserunt. Hac occasione etiam Petrus Mogilas, metropolita Chiovensis, concurrentibus suffraganeis suis aliisque theologis, fidem ecclesiae Russicae manifestavit libro quodam symbolico, cui titulus: declaratio fidei Russorum, qui a. 1643 a Constantinopolitano caeterisque patriarchis subscriptus, orthodoxa fides omnium Graecorum dictus, et postea quoque a pluribus synodis approbatus, in universa ecclesia Graeca auctoritatem consecutus est. Nihilominus Calviniani, praecipue in Gallia, duce Joanne Claudio, theologo suo, tunc temporis fere primario, consensum doctrinae suae cum Graecanica, etiam scriptis contra Catholicos jactare non erubescebant, contendentes fidei confessiones, a Graecis subinde editas, vel suppositas vel auro impetratas esse, vel eos clam saltim doctrinas Calvinianismo consentientes fovere. Hinc Nectarius patriarcha CPnus responsum edidit ad convicia et calumnias Claudii Galli, in quo doctrinas Lutheri et Calvini absurdas nominavit, quae totum Occidentem perturbarint, ab ecclesia Graeca autem, prout ostendere conatur, nunquam probatae fuerint. Quoniam vero Hugonottae ad consensum Orientalium, specialim circa eucharistiam provocare non cessabant; Dositheus patriarcha Jerosolymitanus a. 1672. synodum congregavit, a qua, praemissa exceptione contra Cyrilli Lucaris confessionem tanquam vel suppositam, vel inscia ecclesia editam, nova fidei confessio concepta fuit, quae

in erroribus Calvini refutandis fuse versatur, et sub titulo innotuit: clypeus orthodoxae fidei, seu apologia adversus haereticos Calvinistas. Tandem cum Joannes Caryophylles, logotheta ecclesiae Constantinopolitanae, errores Cyrilli Lucaris Calvinianos resuscitaret, et transsubstantiationem impugnaret; Callinicus patriarcha a. 1691. CPi synodum celebravit, in qua doctrina de conversione panis et vini in verum et substantiale corpus et sanguinem Christi ceu ab apostolis oriunda et semper in ecclesia tradita declarata, et ad eam exacte exprimendam vocabulam μετουσιωσις, quod Latinorum transsubstantiationi respondet, jam a longiori tempore Graecis usitatum, publica auctoritate sancitum est. — Haec, quae ad fidem nostram contra criminationem Protestantium, doctrinam Catholicam mediis saeculis a scholasticis, monachis et pontificibus adulteratam fuisse, vindicandam non modice conferunt, memorabiliora sunt, quae labente hac periodo in ecclesia Graeca acciderunt. Ea caeterum nec quoad doctrinam nec quoad ritus aut disciplinam aliquam mutationem subiit, nec, cum propter jugum Turcicum status litterarum admodum exilis esset, operibus theologicis inclaruit.

Leo Allatius de ecclesiae Occident. atque Orient. perpetua consensione. L. III. Narratio historica turbarum, quas CPi moverunt Jesuitae advers. Cyrillum patriarch. a. 1627. et 29. per Chrysocolum, logothetam magnae ecclesiae. Le Quien Oriens Christianus.

§. 676. Sors Calvinianorum in Anglia. Independentes.

In Anglia Calviniani seu Puritani versus medium saeculum 17. Episcopalibus praevaluerunt. Jacobus, rex Scotiae, qui Elisabethae, a. 1603. mortuae successit, licet inter Puritanos in Scotia educatus, intelligens tamen, principia democratica, quae illi circa regimen ecclesiasticum fovebant, regiae quoque potestati inimica esse, Puritanos in Anglia, sub eo in altum emergere

nabat, plus quam Puritanis favebat. Ejus filius
lus I., qui ei a. 1625. successit, episcopis major
huc potestatem concessit, et Catholicis plus patr
bat, cum ejus uxor, e regio Gallorum sanguine
da, Catholica esset, ad cujus consilia de religio
tholicae propagatione adjuvanda, Guilielmus La
chiepiscopus Cantuariensis, acerrimus Puritanort
stis, ritus Anglicanos Catholicis magis conformavi
vero, quo forma ecclesiae episcopalis in Scoti
que dominans redderetur, non tantum episcopis
constitutis publica munera, eaque amplissima c
bat, sed etiam a. 1637. liturgiam Anglicanam in
cere conabatur. Verum populus in seditionem pr
pens id impedivit, et anno sequenti ipsi regni c
in unum congregati, episcopos et omnia a Jac
Carolo ad horum regimen firmandum introducta
frustra reclamante abrogarunt. Carolus Scotos ja
mis ad obedientiam adigere conabatur, sed bell
de enatum a. 1640. minus prosperum pro eo succ
habuit. Subsidiis indigens rex ordines Angliae nun
vocavit. Sed a populo ad comitia deputati pleriq
infesti erant. Scilicet plura hactenus sibi indulserat,
publicae libertati adversa videbantur. Eo magis d

io, praedicatore in comitatu Norvicensi orta, plurinum invaluit. Brownistae principiis democraticis anarhica substituerunt, docentes, quemvis coetum ecclesisticum a reliquis omnibus prorsus indepedentem esse, nde paulo post Independentes dicti sunt; porro praediatores a singulis quidem cujusvis coetus membris votoum pluralitate constituendos et pro arbitrio deponendos sse, attamen praeter istos cuivis jus esse, ad concioem sacram dicendi. Ad haec caeteras regiminis formas elo quodam fanatico adeo detestabantur, ut ad eas abogandas etiam vim in Episcopales adhiberent, et in psam reginam Elisabetham inveherentur, quam ob rem onnulli eorum morte mulctati sunt, reliqui in Belgium ugerunt. Exinde Joannes Robinson, qui apud coetum orum Lugdunensem praedicatoris munere functus fueat, pertinacia, qua is omnem principiorum suorum miigationem rejiciebat, offensus, a. 1610. in Angliam reersus est, ibique Londini primum coetum Independenum condidit. Hi quidem Brownistis in eo erant mitios, quod ecclesias a sua regiminis forma alienas non leo impeterent, neque cuivis pro concione dicendi postatem facerent. Interim tamen sicut Puritani a regiine coercebantur, quapropter nonnulli in Americam sentrionalem, Anglis subjectam migrarunt.

§. 677. Puritanorum superioritas. Hibernorum oppressio.

In Anglia autem Independentes, praesertim eo tem-, quo rex Carolus ordines congregavit, magis mae aucti sunt, ita ut caeteros Puritanos numero et us superarent. Ita factum est, ut inter populi depu-, qui sic dictam cameram inferiorem constituunt, ue sive Puritani, sive Independentes essent. Hi ro summo, quo in episcopos odio flagrabant, prichiepiscopum Laud, deinde caeteros episcopos ple- in vincula conjici jusserunt, quo facto legem uerunt, ex qua episcopi comitiis publicis ex-

cludebantur. Haec lex tum regi, tum camerae superiori, quae tunc omni auctoritate carebat, a. 1642. approbanda erat. Camera inferior, continuo ulterius progrediens, a. 1645. archiepiscopum Laud capite plecti jussit, et anno sequenti, episcopis penitus abrogatis, Calvinianam regiminis ecclesiastici formam, presbyteriis, classibus, synodis provincialibus et nationalibus distinctam, in Angliam introduxit. Ex democratibus et independentibus ecclesiasticis brevi facti sunt politici, principia sua ab episcopis ad regem transferentibus. Hic quidem contra camerae iniquitates armis se defendere conabatur, et priori tempore non infeliciter pugnavit. At junctae Scotorum et camerae Anglicanae vires, maxime vero dexteritas Olivieri Cromwell, ducis in exercitu Independentium, qui milites suos fanatismo religioso implere callebat, Carolum regem ad tantas angustias redegerunt, ut Scotorum fidei sese committeret. Verum hi Anglis exposcentibus eum tradiderunt, quo facto in vincula conjectus, et agente eodem Cromvellio laesae religionis et libertatis publicae accusatus, a. 1649. capite plexus est. Novae reipublicae, nunc introductae Cromvellius protectorem se praebuit, majori utens potestate, ac reges unquam usi fuerant. Cum e Puritanis esset, hi principatum jam obtentum usque ad ejus mortem, quae a. 1658, accidit, retinuerunt. Imo Episcopales nunc graviter vexabantur, episcopi ipsi et primarii illorum patroni honoribus et redditibus cunctis privabantur. Caeterum Cromvellius cuique, exceptis Catholicis, libertatem concessit, eam religionem profitendi, quae sibi verior videretur. Idem Catholicos in Hibernia iniquissimae et durissimae sorti addixit. Haec terra sub Jacobo I. demum tota ab Anglis occupata fuerat. Quos Henricus VIII., Eduardus VI. et Elisabetha sub sua potestate habebant Hibernos, his maxime invitis novationes religiosas vi et crudelitate obtrudere conabantur. Simul Anglis, qui in terra occupata colonorum in morem consederant, maxima pri-

legia in detrimentum indigenarum concessa. His omnibus irritati Hiberni, quorum plerique religioni Catholicae fideliter inhaerebant, regnante Carolo I. arma arripuere, et multa Protestantium millia interfecere. In bello inde exorto Cromvellius tandem ita praevaluit, ut cunctos Catholicos ex universa terra in unam provinciam coageret, mortem cuivis intentans, ejus limites transgressuro. Hoc facto illis, qui seditionem participaverant omnes fundi, qui tres circiter quartas totius terrae partes efficiebant, ademti et colonis Protestantibus ex Anglia venditi sunt. Ita Catholici in Hibernia ad paupertatem redacti, simul inextirpabile semen turbarum et seditionum ibidem sparsum.

Rapin Thoyras histoire d'Angleterre. Hume Geschichte von Groſsbritannien. Benthem neu eröffneter engländischer Kirchen- und Schulenstaat. Mosheim institt. historiae eccles. antiq. et recent.

§. 678. Religionis vicissitudines in Austria interiori.

In Germannia quoque scissio religiosa novum bellum illudque maxime diuturnum excitavit. Ab altera parte Protestantes res suas in detrimentum Catholicorum continuo ampliare, ab altera isti statum suum conservare, et terras suas a doctrinis sibi adversis purgare conabantur. Id praecipue in terris Austriacis factum. Ordines Stiriae, Carinthiae, et Carniae, jam majori ex parte Protestantes, denegatis subsidiis, ad bellum contra Turcas aliasque indigentias publicas necessariis ducem suum Carolum adegerant, ut a. 1578. non tantum nobilibus in castris eorum, sed etiam civibus in quatuor urbibus, Graecii, Judenburgi, Clagenfurti et Labaci liberum religionis exercitium concederet. Sed Protestantes mox plura sibi indulgentes non tantum in multis aliis oppidis et pagis ecclesias sibi extruxerunt, sed etiam iis in locis, ubi jus patronatus vel duci vel clero competebat, exclusis parochis Catholicis, pastores

augebantur, ita ut modica adhuc pars incolaru
gioni Catholicae inhaereret. Ferdinandus Carol
et successor, qui a. 1597. regimen suscepit, p
religionis Catholicae zelo, quem ei potissimum
culus ejus, Guilielmus dux Bavariae instillavera
ditos suos ad sacra Catholica reducere constituit
que mox anno sequenti decretum edidit, quo
praedicatores, omnesque laici, qui ad ecclesiam
licam redire nollent, emigrare jubebantur. Ad h
cretum executioni dandum commissarii, militibus i
ti, ad singula loca missi sunt; ecclesiae Lutheran
que dirutae, libri concremati, parochi Catholic
tuti, ab omnibus denique jusjurandum, se in re
Catholica perseveraturos, exactum, et nobilibu
indultum, ut sine religionis exercitio et profe
placitis Lutheranis inhaererent. Alii subditorum
principis voluntati se submiserunt, alii vim oppo
vi ad eam faciendam coacti sunt, alii emigraru
factum, ut brevi tempore religio Protestantica e
Ferdinandi exularet, quamquam illorum, qui e
favebant, praecipue inter nobiles numerus non e
longo adhuc tempore perduraret.

Waldau Geschichte der Protestanten in Oesterreich,

ximilianus II. Protestantibus sat numerosis, a. 1572. tradita sibi fidei confessione, Augustanae mutatae simili, liberum religionis exercitium concesserat, sed ore tantum, quia ordines Catholici documentum scriptum, quo pactum, cum Utraquistis olim initum mutaretur, acceptare recusabant. Iidem pacis causa Protestantes considerabant velut Utraquistas, cum plerique eorum ab his descenderent, ipsi hoc nomine compellari vellent, suosque praedicatores archiepiscopo Pragensi ordinandos offerrent. Concessa Protestantibus seu Utraquistis religionis libertate, fratres Bohemici, quorum multi ex Polonia in Bohemiam reversi fuerant, sua quoque sacra sub isto nomine libere exercere coeperant. Sed a. 1602. Rudolphus imperator fratrum ecclesias claudi jussit, cumque de eo Protestantes universi conquererentur, imperator non aliis Utraquistis, quam qui compactata Basileensia observarent, religionis libertatem competere declaravit. Protestantes inde intelligentes, principi in animo esse, concessionem a Maximiliano II. sibi factam tollere, jam eum subtimidum et auxilio destitutum improviso impetu ad religionis libertatem scripto sibi concedendam adegerunt. In documento a. 1609. desuper confecto, et litterae majestatis dicto, proprium Pragae consistorium, a quo in posterum eorum pastores ordinarentur, novarum ecclesiarum in fundis eorum extructio, et defensorum, libertati concessae invigilantium constitutio eis concedebatur. Eodem circiter tempore etiam Protestantibus in Austria prior religionis libertas, a Maximiliano concessa, et a Rudolpho intra praefixos limites reducta, ampliata est, cujus rei occasio haec erat: Stephanus Botskay, magnas quidam Hungaricus excitata seditione Transsylvaniam et magnam Hungariae partem occupabat, Turcasque sibi auxiliantes habebat. In hoc rerum discrimine, cum Rudolphus media, hostibus cohibendis sufficientia non adhiberet, caeteri archiduces a. 1606. Matthiam ejus fratrem familiae caput constituerunt, qui imperatorem sup-

pleret. Is inita eodem anno cum seditiosis Hungaris et Turcis qualicuncqne pace, periculum, cuncta amittendi avertit. Sed Rudolphus neque locum Matthiae se inscio concessum, neque pacem ab eo initam confirmare voluit, ordines Germanniae contra eum irritare conabatur, et Ferdinando Stiriae duci, Matthia excluso, successionem in regnis suis comparare meditabatur. Hinc Matthias, ulterius progressus ad Hungariam, Austriam et Moraviam sibi cedendam a. 1608. eum adegit. Quae coepta cum potissimum ope ordinum Protestantium perfecisset, Austriaci jam ab eo religionis libertatem a Rudolpho sibi restrictam postularunt, nec prius homagium ei praestiterunt, quam a. 1609. licet invitus et diversimode resistens non tantum nobilibus liberum religionis exercitium in fundis eorum concessisset, sed etiam indulsisset, ut cives oppidorum et urbium, principi immediate subditorum, ecclesias Lutheranas in vicinis pagis erectas frequentarent.

Khevenhiller annales Ferdinandei. Carafa commentarii de Germannia sacra restaurata. Raupach evangelisches Oesterreich. Schmidt lib. cit.

§. 680. Bellum tricennale.

Interea in reliqua Germannia dissidia inter Catholicos et Protestantes propter religionem mutuaque gravamina perdurabant, et subinde novis augebantur. Protestantes non cessabant, monasteria in suis ditionibus sita, imo episcopatus a suis terris circumdatos sibi vindicare, ita ut a tempore pacis Augustanae magnum numerum monasteriorum et 14 episcopatus, in Germannia boreali sitos ad se traxerint. Protestantes maxime irritabantur proscriptione urbis Donauwerdae, cujus incolae Protestantici cives Catholicos jure civitatis et publico religionis exercitio violenter privabant, et imperatoris monitis, jussis et commissariis nonnisi convicia, minas et seditiones opponebant, quam ob rem urbs a. 1607. libertate privata duci Bavariae, sententiae

executori subjecta, atque ab hoc ad sacra Catholica amplectenda coacta fuit. Cum his aliisque rebus Protestantes gravatos se arbitrarentur, complures eorum, agente potissimum Palatinatus electore, a. 1608. foedus inter se inierunt, unionem vocatum, cujus finem solam quidem libertatis suae politicae et religiosae defensionem contra futuras violationes possibiles dicebant. Sed cum Henricus IV. rex Galliae, domum Austriacam omnibus extra Hispaniam possessionibus privaturus, totamque Europam inversurus unitos consiliis suis facile conciliasset; hi a. 1610. Alsatiam, principi cuidam Austriaco subjectam, et episcopatus Catholicos invaserunt, jam non diffitentes, sibi de eo agi, ut praelati caeterique principes Catholici terris suis exuerentur. Effectus erat, ut et hi eodem adhuc anno foedus inter se inirent, ligam dictum, eoque mox ad bellum parati et viribus satis validi, unitos ad absistendum a coeptis suis adigerent, qui Galliae rege tunc temporis interfecto, etiam sperato auxilio destituti erant. — Rudolpho ineunte anno 1612. mortuo, ejus frater Matthias imperator electus est. Eo regnante ordines Protestantici Bohemiae suum animi propositum, regi in omnibus, quae sibi non placerent, adversandi, jam sub Rudolpho manifestatum, denuo prodiderunt. Ansam dederunt Acatholici, archiepiscopo Pragensi et abbati Braunaviensi subditi, qui a. 1615. contra voluntatem dominorum suorum ecclesias sibi extruxerunt, Quas cum praelati a rege adjuti occupassent, et cives quosdam vim opponentes in vincula conjecissent; ordines Protestantici eorum causam apud imperatorem agendam susceperunt, facultatem, ecclesias aedificandi in litteris majestatis nonnisi ordinibus concessam, ad quoscuncque Protestantes arbitrarie extendentes. Imperator eorum libello, quo a. 1618. sibi ut satisfieret, postulabant, litteris opprobria et minas continentibus respondit, quo facto, incentore potissimum comite Henrico Matthia de Turre, propter ademtum sibi munus comi-

tis castrensis arcis Carlstein imprimis irritato, eousque progressi sunt, ut palatium regium Pragae irruentes duos gubernii consiliarios, prae caeteris sibi invisos, quos responso regio conficiendo cooperatos putabant, e fenestra dejicerent, dein constitutis 30 directoribus totum regimen ad se traherent, aes publicum sibi vindicarent, milites conducerent, iisque totam Bohemiam, exceptis aliquot urbibus cum iis facientem occuparent. Ita vero bellum excitarunt, quod 30 abhinc annos plerasque Germanniae terras foede vastavit. Cum enim imperator eorum ausis copias opposuisset, mox principes Protestantes, unionis participes, quibus haec belli contra Catholicos occasio exoptata erat, exercitum eis auxilio miserunt. Ita adjuti Bohemi mox duce Matthia de Turre in Moraviam profecti sunt, quam terram non minus ac Silesiam et Lusatiam ope Protestantium, ubique admodum numerosorum et in seditionem pronorum ad communem secum rem faciendam permoverunt. Scientes Bohemi, Protestantes in Austria animo similiter affectos esse, in hanc quoque terram contenderunt, et Viennam usque penetrarunt, ubi mortuo 10. Martii anni 1619. Matthia, Ferdinandus Stiriae dux, regimen nuper adierat. Hunc, jam ante duos annos Bohemiae regem proclamatum et coronatum Protestantes, etsi sponte confirmationem libertatum et privilegiorum scriptam transmisisset, acceptare recusabant, siquidem vivo adhuc Matthia, et ipsi, et principes Protestantici, unionis participes, clam constituerant, alium regem eligere. Similiter et Austriae ordines Acatholici Ferdinando homagium denegabant, praetextu quidem, potestatem id faciendi, ab Alberto, Matthiae fratre, qui jus suum in terras Austriacas Ferdinando cesserat, scripto transmissam, justa forma carere, re vera autem, quia Ferdinandum ob studium Catholicismi et persecutionem Protestantismi oderant ac metuebant, et Bohemorum, quibus se adjungerent, adventum praestolabantur. Ordines Protestantici supra Onasum jam vivo Matthia, se-

cundum exemplum Bohemorum se armaverant, et terrae aditus intercluserant, eo autem mortuo regimen ad se traxerant. Protestantes autem infra Onasum nunc, cum hostes ad portas Viennae jam adessent, a Ferdinando, ut confoederationem, quam cum Bohemis inituri erant, et arma, quae parabant, scripto approbaret, importune et quasi per ludibrium postulabant. Sed princeps medius inter hostes, et omni auxilio humano destitutus, sola pia in Deum fiducia inconcussus perserverabat, cum subito, miraculo quodam providentiae, 500 equites, a summo copiarum duce missi, urbem ingrediuntur, et insolentes ordinum deputatos, terrore perculsos in fugam conjiciunt. Non multo post etiam Bohemi, accepto nuntio cladis, ab eodem duce suis in Bohemia illatae, maturato itinere ad Pragam tuendam reversi sunt, quo facto Ferdinandus ad novi imperatoris electionem Francofordium profectus coronam Caesaream ipse retulit.

§. 681. Continuatio.

Sed eodem fere tempore Bohemi consilium jam dudum captum effectui dederunt. Ferdinandum scilicet, causis quibusdam inanibus praetensis, regno exutum pronuntiarunt, et Fridericum V. electorem Palatinum novum sibi regem crearunt. Quamquam vero huic principes uniti, illi ligati auxilia ferrent, tamen inter utramque partem convenit, ut mutuum certamen ad causam Bohemicam restringeretur, respectu autem mutuorum gravaminum pax servaretur. Maximilianus dux Bavariae et foederis Catholici director exercitum in Austriam duxit, ordines supra Onasum, homagium, quod ordines infra Onasum, accepta privilegiorum tam religiosorum, quam politicorum confirmatione jam praestiterant, Ferdinando hucusque denegantes, ad subjectionem compulit, et dein copiis Caesareis sibi adjunctis in Bohemiam penetravit, ubi a. 1620. Friderici exercitum prope Pragam ita fudit, ut ipse (Fridericus),

cujus terram haereditariam ad Rhenum Hispani int
occupaverant, usque in Belgium foederatum fug
Ejusdem non multo post proscripti dignitatem ele
ralem et terras Cisrhenanas imperator Bavariae
contulit. Bohemia et provinciae ad eam relatae, b
tempore Ferdinando penitus subjectae, unio an
principum Protestanticorum a. 1621. eodem posce
soluta. Nihilominus aliqui belliduces et principes G
mannici bellum continuarunt; et postquam hi conf
deratorum Catholicorum potentiae succubuissent, co
plures ordines circuli Saxonici inferioris, duce Ch
stiano IV. Daniae rege, qui ducatum Holsatiae in
dem circulo possidebat, a. 1625. arma ceperunt, si
quod rebus suis timerent, sive quod Catholicorum
imperatoris potentiam infringere cuperent. Verum
hi continuo devicti post duos annos pacem petierunt
impetrarunt. Nunc Catholici superioritate sua utend
rati, Ferdinandum permoverunt, ut a. 1629. Protesta
tes omnia bona ecclesiastica post transactionem Pass
viensem occupata reddere juberet. Is partim religioni
Catholicae studio agitatus, partim molestiis permotus,
quas sibi et decessoribus suis subditi Protestantici,
postquam praevaluissent, creaverant, paulo antea reli-
gionem Protestanticam in terris suis haereditariis peni-
tus suppresserat. Equidem in Bohemia et Moravia,
(Silesiis elector Saxoniae, qui a. 1620. Ferdinando au-
xilia ferens eorum terram occupaverat, religionis liber-
tatem impetrabat; Lusatia vero eidem electori in pi-
gnus sumtuum, auxilio impensorum, relicta fuerat)
inde ab anno 1621. praedicatores, et a. 1627. omnes,
qui sacra Catholica amplecti recusarent, emigrare jussi
sunt, quod multa millia, praecipue Bohemorum fece-
runt. Anno sequenti Ferdinandus idem pro Austria de-
crevit, et simili modo, quo jam in terris patriis usus
fuerat, ubique effectui dedit. Inde vero factum, ut ru-
stici in terra supra Onasum seditionem excitarent, et
in magnum agmen coalescentes suam religionis liber-

em armata manu tueri conarentur. Verum copiis
itra se missis impares in pluribus praeliis devicti,
rimi occisi, reliqui dissipati et ad subjectionem
icti sunt. In Germannia exteriori restitutionis edi-
m Protestantium animos vehementer quidem percu-
sed perculsi et debilitati, illius executioni, copiis
fultae, armatam manum opponere non sunt ausi.
eriorem executionem impedivit Gustavus Adolphus
Sueciae, qui partim studio periclitanti rei Prote-
nticae succurrendi, partim cupidine gloriam et ter-
acquirendi incitatus a. 1630. exercitum fortem,
li molestiis et victoriis assuetum in Germanniam
xit. Ei ordines Protestantici vix non omnes, sed alii
ius, alii tardius se adjunxere, et Galli insuper, do-
m Austriacam debilitatam, imo destructam cupien-
, pecunias suppeditabant. Ita adjutus Gustavus brevi
npore magnam Germanniae partem occupavit.

truv ausführliche Historie der Religionsbeschwerden zwischen
den römisch - katholischen und evangelischen im deutschen
Reich. Schmidt l. c. Heinrich deutsche Reichsgeschichte.
Pufendorf commentar. de rebus Suecicis.

§. 682. Pax Westphalica.

Gustavo a. 1632. in proelio apud Lützen in Saxo-
cciso, bellum 15 adhuc annis varia fortuna conti-
m, postremo autem ita gestum est, ut Sueci a
Protestantibus continuo adjuti, fere ubique su-
es essent, et pacis, de qua jam diu in urbibus
halicis, Monasterii et Osnabrugae tractabatur,
ones dictarent. Ea, a. 1648. conclusa, pax reli-
ugustana confirmata, et ad Calvinianos quoque,
nte tamen Saxoniae electore, extensa; reser-
cclesiasticum etiam respectu Protestantium sta-
riderici proscripti posteris Palatinatus redditus,
s electoralis, attamen octavo loco concessa,
universum perfecta Catholicorum, Lutherano-
lvinianorum aequalitas tam in religionis ne-

gotio, quam in rebus politicis et civilibus decreta. Respectu publici religionis exercitii bonorumque ecclesiasticorum, extra terras Austriacas, annus 1624. cen normalis statutus est, ita ut quas ecclesias, quae bona ecclesiastica quaevis pars prima Januarii illius anni possederit, quibusque in locis religionem suam exercuerit, idem pro futuro tempore valiturum sit. Caeterum episcopatus a Protestantibus post pacem Augustanam occupati, et hactenus principibus saecularibus nondum traditi, nunc sumtuum bellicorum compensandorum causa, nomine ducatuum aut principatuum diversi principibus saecularibus concessi sunt. Sic Sueci praeter Pomeraniam episcopatum Bremensem et Verdensem, elector Brandenburgicus Magdeburgensem, Halberstadiensem, Caminensem et Mindensem, dux Brunsvico-Lunaeburgensis Osnabrugensem, alternis vicibus possidendum, Megalopolitanus Suerinensem et Raceburgensem, Hasso-Casselanus abbatiam Hersfeldensem retulit. Hi principes reliquias religionis Catholicae, in illis terris superstites brevi tempore extirparunt. Cum igitur hac pace Protestantes desideriorum suorum plene compotes facti, ordinum jura accurate definita, ipsi vero suis in terris fere independentes redditi fuissent: materiae et ansae mutuorum gravaminum ac collisionum in religionis negotio jam maxima ex parte cessarunt, mutua tamen concordia, fiducia et benevolentia, quae ante scissionem religiosam omnes Germanos in unam nationem potentem conjunxerat, restituta non est, quin potius mutua diffidentia, et animorum aversio tota hac periodo et ultra perduravit.

Godef. de Meyern acta pacis Westphalicae. Adam relatio historica de pacificatione Osnabrugo-Monasteriensi. Woltmann Geschichte des Westphälischen Friedens als Fortsetzung von Schillers Geschichte des dreyſsigjährigen Krieges.

§. 683. Fata Protestantium in Hungaria.

In Hungaria Protestantes indulgentia quidem Maximiliani, sed nullo decreto aut lege publica liberum

religionis exercitium consecuti fuerant. Cum propterea indies latius diffunderentur, multasque ecclesias Catholicorum ad se traherent; Rudolphus rex a. 1597. decretum de eis refroenandis et cultu eorum abrogando edidit, quod a. 1604. ademtis eis ecclesiis et praedicatoribus eorum pulsis effectui dari coepit. Quaerelis Protestantium Rudolphus in comitiis Posoniensibus a. 1604. renovationem legum, ad conservandam religionem Catholicam latarum, et severum interdictum, ne imposterum gravamina circa religionem in comitiis proferrent, opposuit. Motibus eo inter Protestantes ortis usus est Stephanus Botskay, qui seditione excitata Transsylvania potitus fuerat, ad Hungariam quoque invadendam, ubi major pars Protestantium mox ei se adjunxit. Cum et Turcae eodem anno imperatori bellum intulissent, hic vero in viribus eis opponendis tepesceret; hostes tantos paulatim progressus fecerunt, ut a. 1606. jam Austriam quoque et Moraviam invaderent. In his rerum angustiis archidux Matthias, Austriae gubernator, nomine Rudolphi eodem adhuc anno Viennae pacem fecit, qua praeter alia nobilibus et urbibus regiis liberum religionis tam Calvinianae, quam Lutheranae exercitium concessum est. Hac primum pace, a. 1608. in comitiis inter leges publicas, reclamante tamen clero relata, Protestantibus in Hungaria legitima religionis libertas obtigit. Ea ad res suas firmandas et ampliandas egregie utebantur, praesertim cum regni palatini ab anno 1608.—1616. ex eorum gremio essent. Verum Petrus Pazmany e societate Jesu, cui rex Matthias a. 1615. archiepiscopatum Strigoniensem contulit, aliique Jesuitae scriptis et dictis multos ex magnatibus et nobilibus ad ecclesiam Catholicam reduxerunt. Eorum labores Ferdinandus II. muneribus et dignitatibus, quas proselytis conferebat, non parum adjuvit. Conversi nunc subditos quoque suos libero religionis exercitio prohibebant, eosque ad ecclesiam Catholicam reducebant, qua occasione Protestantibus quam plurimae

bus in Hungaria religionis libertas una cum ademtis et praedicatoribus pulsis restitueretur d est. Ea quidem inter regni leges relata est, s ex Catholicis, imprimis clerus eam vehementer barunt, et reddendis ecclesiis se opposuerunt Protestantes nequaquam omnes receperint.

Vid. libros supra loco correspondente citatos.

§. 684. In Polonia.

In Polonia religio Catholica iterum increm pit sub rege Sigismundo III., qui ab anno 1633. isti regno praefuit. Erat is filius Joannis I ciae regis, qui patri, Gustavo Wasae, a. 1568. serat, et cooperante uxore, e regio Polonoru guine oriunda, tantum in religionem Catholica rem conceperat, ut liturgiam Suecicam Catholi modum conformaret, Jesuitas velatos hinc inde res constitueret, et his aliisque rebus religion tholicam inter Suecos propagare conaretur, ipse eam amplecteretur. Attamen post aliquot partim quod pontifex communionem sub utraq cie, linguam vernaculam in liturgia, aliasque l

At patruus ejus Carolus, qui eo absente Sueciam administrabat, fervidus Lutheranus, liberum religionis Catholicae exercitium, ejus progressus, Jesuitas etc. torvis oculis intuens, Suecis auctor extitit, ut religionis Catholicae exercitium prohiberent, et regi, id non ferenti armata manu resisterent. Qui cum in bello inde exorto victus fuisset, Sueci a. 1599. ab eo postularunt, ut religionem Lutheranam amplecteretur, idque recusantem a. 1602. deposuerunt, eique eundem Carolum substituerunt [1]). Feliciori cum successu Sigismundus in Polonia dilatandae ecclesiae Catholicae intentus erat, quem in finem Protestantes e senatu supremo paulatim exclusit, et alia quoque munera ac dignitates publicas fere solis Catholicis contulit. Eo non minus quam opera Jesuitarum, religionis Catholicae veritatem demonstrantium, nec non extincto jam novitatum ac reformationum studio, multi nobilium Polonorum ad religionem Catholicam reducti sunt, qui jam subditos quoque suos, ereptis ecclesiis aliisque mediis ad exemplum suum sequendum permoverunt. Caeterum cum Wladislaus IV. Sigismundi filius et successor (1633. — 1648.) et reliqui Poloniae reges minori, sacra Catholica propagandi studio animati essent; Protestantibus religionis libertas per totam hanc periodum integra conservata est [2]).

[1]) Dalin Geschichte des Reiches Schweden. Dorigny (Jesuitae) la vie du P. Possevin.

[2]) Vid. libros supra de rebus ecclesiast. Poloniae allegatos.

§. 685. Conamina ecclesias dissidentes uniendi.

Quantum animi eorum, qui in religione dissidebant, ab invicem alieni fuerint, ipsa unionis conamina labente hac periodo instituta, satis ostendunt. Ea vel Catholicorum et Protestantium, vel Lutheranorum et Calvinianorum unionem intendebant. Hunc in finem vel colloquia seu collationes de mate-

et amice determinarent, unde colloquium istu
tivum aut etiam fraterna collatio dictum est.
Ernestus comes provincialis Hasso-Rheinfel
lerianum Magni (e comitibus Mediolanensib
dum, Capucinum, ordinis sui ministrum g
ob suum ecclesiam Catholicam dilatandi st
Urbano papa VIII. missionarium apostolicum
manniam, Poloniam et Hungariam designatu
non tantum in theologicis scientiis, sed etia
sicis et politicis bene versatum), et duos
Giessenses in arce sua Rheinfels congregavi
praesente de criteriis verae ecclesiae et de i
tate disputarent, quod eo eventu factum est,
provincialis ad sacra Catholica transiret. —
conciliatoria seu irenica, suo loco alleganda m
derunt, e quibus inter Catholicos illi, qui n
thodos, rem controversam paucis dirimendi int
proponebant, Methodistae dici consueverunt. Tal
Bertholdus Nihusius, Brunsvicensis, ex Luthe
1622. Catholicus, postea suffraganeus episco
guntini; († 1652.) Adrianus et Petrus fratres
lenburg, Rotterdamenses ad Catholicismum
quorum ille Moguntiae, iste Coloniae munere

diuturna possessione essent, adeoque praescriptionis
ulo gauderent, qua accusati, doctrinam suam pro-
re non tenerentur, sed potius Protestantibus, qua
cusatoribus et novatoribus onus, novationes suas
obandi incumberet; qui insuper ad hoc praestandum
serta s. scripturae testimonia adferre et ab omnibus de-
ctionibus ac conclusionibus abstinere deberent. Eodem
eronio in disponendis, quae animo conceperat, unio-
s consiliis usus est cardinalis Richelieu, primarius
idovici XIII. Galliae regis administer, sub cujus no-
ine post ejus mortem a. 1651. Parisiis liber compa-
it, in quo ad Protestantes brevi convincendos, tota
ntroversia ad assertionem, Romanam esse veram ec-
esiam revocabatur, potissimum ex continua Romano-
im pontificum serie, usque ad apostolum Petrum re-
eunte comprobandam. Alia methodo, fructibus non
acua, usus est Jacobus Benignus Bossuet, a. 1627.
ivione in Gallia natus, prius episcopus Condomen-
s, deinde, postquam munere, regis successorem in-
ruendi perfunctus fuisset, ab anno 1689. Meldensis,
is praeterea amplis muneribus auctus, vir in erudi-
ne theologica et eloquentia sacra nemini inter Ca-
licos tunc temporis secundus, mortuus a. 1704. Is
ens, Protestantium plerosque superstitiones plebejas
sententias scholasticas cum ipsa religione Catholica
miscere, speransque, eos huic animum magis adje-
os esse, si, quae pura et propria doctrina Catholi-
sit, cognovissent, hunc in finem a. 1671. librum
lice scriptum edidit, sub titulo: expositio doctrinae
esiae Catholicae in materiis controversis. In hoc
o doctrinae Catholicae a Protestantibus rejectae
ndum solas definitiones concilii Tridentini exposi-
et quantum salva veritate fieri poterat, mitigatae
t. Cum ei approbationes plurium cardinalium alio-
que praelatorum Romanorum et ipsius pontificis
ocentii XI. quas Bossuetus paulatim obtinuit, prae-
e essent; haud pauci Protestantes, imprimis in Gal-

ı, Bataviam, Daniam et Sueciam itinera fecit, et
tantum cum theologis, sed etiam cum principibus
ımque administris de unionis negotio deliberavit,
pta quoque diversa de eo tractantia in lucem emi-
Idea ejus haec erat, ut missis controversiis, do-
nae, in quibus utraque pars conveniat, in commu-
symbolum, cui omnes acquiescant, conjungerentur.
initio quidem ejus consilia passim benevole exci-
ɔantur; postea vero multos deprehendit, qui illa
penderent, eis repugnarent, lites cum eo necterent,
motiva inhonesta ei adjudicarent; atque Joannes
tthiae, Strengnasianus in Suecia episcopus, quod
tica Duraei consilia adjuvisset, scriptisque commen-
set, munere suo privatus est. Calviniani ad toleran-
n saltim faciliores erant. Sed Lutherani doctrinis,
quibus ab illis discrepabant, pondus longe gravius
nentes, unionem cum eis plerique aversabantur,
sque non minus quam Catholicos abhorrebant, at-
e Joannes Hülsemann, theologus Lipsiensis singulari
ro a. 1654. edito Calvinianismum Lutheranismo irre-
nciliabilem esse ostendere conatus est. Catholici qui-
m in rebus hierarchicis, ritualibus, et disciplinaribus,
religionis essentiam non pertinentibus, Protestanti-
s cedere, et sub hoc respectu talem, qualis cum
ribus Christianorum Orientalium generibus obtine-
t, unionem cum eis inire potuissent, quamquam ad
faciendum pauciores proni erant. Quod vero doctri-
m attinet, ab ecclesia jam definitam, adeoque im-
ıtabilem, unio nonnisi eo effici poterat, ut Protestan-
propriam ecclesiae Catholicae doctrinam recte cogni-
n sine omni restrictione adoptarent. Collationes er-
, a Catholicis cum Protestantibus institutae, alium
em habere non poterant, quam ut praeconceptae eo-
m circa doctrinas Catholicas opiniones tollerentur, ipsi
ro de earum veritate convincerentur. Quod cum in
nta utriusque partis de fontibus ac norma religionis
ssensione vix fieri posset, atque, etsi in colloquenti-

tione et damnatione convenerunt, adeoque sal
rantiam aliquomodo praepararunt. Catholici a
gulos duntaxat ex ipsis principibus et erudit
stantium religioni suae identidem conciliarunt
bus praeter jam commemoratos notari merent
gangus Guilielmus, comes Palatinus Neoburg
1614. conversus, qui religionem Catholicam
ter subditos suos propagavit; Christina Sueci
na, Gustavi Adolphi filia, a. 1654. post regnu
situm; Fridericus Augustus, elector Saxoniae
eo tempore, quo ad regnum Polonicum aspira

[1]) Prechtl Friedensbenehmen zwischen Bossuet, Le
Molan.

[2]) Walch Einleitung in die Streitigkeiten ausser der
lisch-lutherischen Kirche.

§. 687. Lites syncretisticae inte Lutheranos.

Inter Lutheranos nemo magis in unionem e
rum dissidentium propendebat, quam Georgius
tus, proprie Callison, a. 1586. in ducatu Sle
natus. Is jam inde a juventute historiae, specia

eruditione, sed et novis sententiis plenis, meliorique methodo concinnatis inclaruit, et amplis paulatim muneribus ecclesiasticis auctus est. Ejus in unionem ecclesiasticam propensio inde potissimum orta est, quia in pluribus doctrinis magis cum Calvinianis et Catholicis, quam cum suis consentiebat. Sic communicationem proprietatum divinarum cum natura Christi humana, eaque nixam Lutheranorum ubiquitatem velut Eutychianismum reprobavit, Deum indirecte, seu per accidens, auctorem peccati dici posse asseruit, praeter s. scripturam traditionem seu consensum patrum ex quinque aut sex prioribus ecclesiae saeculis ceu normam credendorum et definiendarum fidei controversiarum tenendam esse statuit, docuit, missam omnino sacrificium non tantum pro vivis, sed etiam pro defunctis dici posse, pontifici ex jure humano primatum in ecclesia et supremam jurisdictionem in omnes patriarchas competere, hominem non sola fide justificari, bona opera ad salutem necessaria esse, et hominibus quodammodo vitam aeternam promereri. Praeterea contendit, omnes ecclesias, quae tria antiquissima symbola et definitiones septem priorum conciliorum generalium accipiant, in fidei fundamento convenire, cum articuli fidei fundamentales in istis symbolis et conciliis omnes contineantur, haereses autem, et discrepantes sententiae, postea exortae, etsi non contemnendae, tamen non magni momenti sint, adeoque conjunctionem ecclesiarum dissidentium impedire non debeant. Haec liberalitas Calixti, plerisque Lutheranis non potuit non displicere, utpote quibus merito persuasum erat, esse praeter commemoratos articulos plures alios maximi pro fide et salute momenti. Hinc eum ejusque asseclas, ad quos fere omnes non tantum theologi, sed etiam caeteri professores Helmstadienses pertinebant, [illegible] indifferendistas impugnabant et syncretistas appellabant, quo nomine intelligebantur viri, qui neglecta et violata religionis veritate ecclesias dissidentes uni-

inspiratione, et de canone librorum sacrorum
Mirum igitur non est, Calixtum, talia communi
una cum suis unionis consiliis a caeteris eccl
theologis, tunc temporis orthodoxae doctrin
ranae admodum studiosis, vehementer et
impugnatum et tanquam apostatam traductum

§. 688. Continuatio.

Primus, qui calamum contra Calixtum ej
seclas strinxit, erat Statius Buscher praedic
noveranus, qui a. 1639. librum edidit sub tit
pto-papismus theologiae Helmstadiensis, in q
sertiones Calixti ejusque sequacium, sic dict
Julio, seu libris symbolicis, auctore Julio, du
vicensi collectis, adversae notabantur. Post B
nulli vehementiora et frequentiora contra C
scripta ediderunt, quam theologi Saxonici, p
Wittenbergenses. Hi omnes non tantum com
tas doctrinas, Lutheranismo contrarias, se
varias sententias mere scholasticas, et doctri
blicam non afficientes, eis vitio vertebant. Cum
tini adversariis respondendo minime deessent.

impetebant, ita ut etiam motus publici inde orirentur. Sed et principes lites istas participabant. Etenim Georgius I. Saxoniae elector a duce Brunsvicensi, ut theologos Helmstadienses ad ordinem redigeret, petiit, sed frustra; dux potius eis patrocinabatur, et ordinibus Evangelicis auctor extitit, ut a. 1654. in comitiis Ratisbonensibus ab electore peterent, ut theologis suis silentium imponeret, qui vero illis respondit, eos qui libris symbolicis contradicant, calamo interdicendos, Spiritui autem s. os non obstruendum esse. Idem consensit, ut theologi Saxonici a. 1655. librum sub titulo componerent: consensus repetitus fidei vere Lutheranae, in quo omnes Helmstadiensium a doctrina Lutherana aberrationes notabantur et reprobabantur. Sed liber iste, cui Saxones supremi consistorii approbatione et theologorum Lipsiensium ac Wittenbergensium subscriptione auctoritatem publicam et quasi symbolicam comparare velle videbantur, novum litibus fomentum subministravit, eumque nemo magis impugnavit, quam Calixti, a. 1656. mortui filius, Fridericus Ulricus, et ipse theologiae in universitate Helmstadiensi professor, sed patri nec eruditione par, nec animi moderatione. Ipse et theologus quidam Wittenbergensis, Aegydius Strauch in lite, de consensu repetito agitata, usque ad publica convicia, ad judicem delata delapsi sunt. Majorem in tota hac causa moderationem et aequitatem observarunt theologi Jenenses, exemplo praeeunte duce eorum Gothano, Ernesto Pio, aequitatis et pacis amante, ad quam conservandam sic dictum collegium Hunnianum instituere meditabatur, i. e. collegium quoddam theologorum, a Nicolao Hunnio, superintendente Lubeccensi propositum, cujus membra sufficienti auctoritate instructa controversias in ecclesia Lutherana orientes mox dirimerent. Sic meliores inter ipsos Protestantes agnoverunt, quantis in desideriis sit supremus judex controversiarum fidei, et s. scripturam, literam mortuam, diversissimarum interpretationum capacem iisque obnoxiam, judicem istum nullatenus esse

posse. Sed quis apud eos auctoritate, cui omnes se submitterent instrui posset! Igitur saltim Glassius, unus theologorum illorum, mandante duce, quid de materiis, inter Calixtinos et orthodoxos controversis sentiendum sit, scripto judicavit, ea quidem ratione, ut multas illorum sententias vel mitigaret vel excusaret. At vero theologus quidam Wittenbergensis jam ipsos Jenenses 103 errorum in gravissimis fidei doctrinis arguit. Huic respondit Musaeus, alius theologus Jenensis, qui insuper in libro, a. 1680. mandante principe, nomine totius facultatis suae confecto, ostendere conatus est, consensum repetitum fidei vere Lutheranae sine sufficienti circumspectione compositum fuisse, nihilque magis ad lites componendas facturum, quam si partes litigantes silentium observaverint. Atque hoc tandem civitatis rectores procurare nitebantur, siquidem cum Abrahamus Calov, unus ex primariis theologis Wittenbergensibus a. 1682. historiam Syncretisticam, animis magis adhuc irritandis accommodatam, in lucem emisisset, elector Saxonicus omnia exemplaria mox supprimi curavit. Ut autem penitus tandem lites syncretisticae expirarent, partim morte fervidissimorum pugilum, qui annis octogesimis in requiem ingressi sunt, partim novis litibus Pietisticis, qui animos Lutheranorum magis adhuc afficiebant, effectum est.

Calov historia Syncretistica, das ist, christliches, wohlgegründetes Bedenken über den lieben Kirchenfrieden und christliche Einigkeit. Arnold unparteyische Kirchen- und Ketzerhistorie. Walch Einleitung in die Religionsstreitigkeiten der evangelisch-lutherischen Kirche.

§. 689. Fata Mennonitarum.

Secta quoque Anabaptistarum post mortem Mennonis variis dissidiis exagitata est. Ea pluribus in terris non exigua incrementa ceperat, quod partim frequenti locorum bibliorum usui, quem ejus propagatores in sermonibus suis faciebant, partim bonis moribus et pietatis speciei, quam omnia sectae membra prae

se ferebant, partim denique fortitudini, qua persecutiones ipsamque mortem sustinebant, adscribendum esse videtur. Laetior sors Mennonitis primo in Batavia, principali eorum sede affulsit. Postquam enim jam posteriori saeculi 16. tempore, Guilielmi principis Arausionensis, quem collata ad bellum pecunia sibi conciliaverant, et quorumdam magistratuum favore tolerari coepissent; a. 1626. publica ordinum lege plena religionis libertas eis concessa est, quo facto plurimi eorum industria et vitae frugalitate magnam opulentiam, nonnulli etiam auctoritatem in negotiis publicis consecuti sunt. In Germannia non eadem semper et ubique sorte fruebantur. Ferdinandus I. eos a. 1548. ex Austria, ubi tum admodum frequentes erant, expulit. Nihilominus ineunte saeculo 17. iterum maximus eorum numerus, praesertim in regionibus Moraviae conterminis deprehendebatur, ubi multos fundos possidebant, et religionem suam publice exercebant. Cum industria sua caeteris illarum regionum incolis copiam, victum sibi parandi, subtraherent, Rudolphus II. eos a. 1601. sub ipsa capitis poena excedere jussit, quo facto plerique eorum in Moraviam meridionalem concesserunt, ubi brevi tempore adeo invaluerunt, ut a. 1618. septuaginta circiter eorum millia numerarentur, quorum permulti ex re rustica, locatis nobilium praediis vitam sustentabant. Sed paulo post eadem sors, quam Ferdinandus II. omnibus Acatholicis in terris suis Germanicis paravit, in ipsos quoque cecidit. Igitur nunc multi eorum, qui religionem Catholicam amplecti nolebant, in Transsylvaniam migrarunt. In reliqua Germannia Mennonitae coetus habebant in Holsatia, Frisia orientali, in principatu Mindensi, in Palatinatu superiori et inferiori, in ducatibus Juliacensi et Cliviensi. In omnibus his terris, sicut et in Polonia ac Borussia Polonis subjecta, tolerantia eis indulta interrupta non est. Eo minus autem in Helvetia tolerabantur. Ibi a Calvinianis, ab anno potissimum 1536. exilium, bonorum ad-

emtio et verbera contra eos decreta et freque
ctui data sunt. Omnium severissime in eos an
tebant Bernenses, qui a. 1659. in eos inquiri j
et non obstante Batavorum intercessione, a. 16
qui ex exilio reversi deprehendebantur, ergast
ticis, stigmatibus, ipsique morti addixerunt.

§. 690. Dissidia inter eos.

Fidem suam Mennonitae pluribus confess
labente hac peric[illegible] e[illegible]s, quibus vero nullan
ritatem symbolicam trib[illegible]ebant, declararunt. J
las doctrinae, quibus a caeteris Acatholicis diff
hae fere erant: Christi corpus in utero Mariae
a Deo creatum fuisse; abstinendum esse a vocibu
substantialis, persona divina, trinitas, eo quo
scriptura non occurrant; homini in id nitendu
ut Christus in eo habitet, ei se revelet, eum i
emendet, perficiat, et divinae suae naturae par
faciat; hominis justitiam fide consequendam,
regeneratione oriri; baptismum nonnisi credent
poenitentibus esse conferendum; sacram coena
memoriale Christi, et panem ac vinum in ea ess
bola summi boni, quod ut a Deo efflagitemus,
perceptione monemur; ecclesiam e solis sanct
consistere; excommunicationem, peccatoribus
admonitis, diligenter infligendam, hos etiam a D
parare; magistratum a Deo quidem ordinatum,
que reverentia et obedientia colendum, a vero t
Christiano non gerendum; arma aut bellum gere
jusjurandum emittere, a Christo prohibitum; matr
monium cum iis, qui alienae religionis sunt, inire
licitum esse. — Sed de pluribus harum rerum et
quibusdam non omnes Mennonitae idem sentiebant.
de in plures partes scissi sunt. Antiquissimum diss
um, jam ante Mennonem ortum et quod per tot
hanc periodum perduravit, excommunicationem c
cernebat, quam alii frequentius, nulla praemissa adm

nitione inflictam, et ita observatam volebant, ut excommunicatus ab omni cum caeteris consortio, conjuge et liberis non exceptis, arceretur, aliis contraria omnia statuentibus. Hi, qui etiam in aliis quibusdam rebus, ad disciplinam morum pertinentibus, mitius sentiebant, propterea mitiores seu grossi, illi autem, severiores vel subtiles vocati sunt. Et quoniam primi, qui mitius, in Watterlandia, parte Hollandiae septentrionalis, qui severius sentiebant, in Flandria et Frisia habitabant; hinc universim mitiores Waterlandiorum, severiores Flandrorum et Frisonum nomine compellari consueverunt. Posteriores iterum propter varias res admodum minutas, vestitum, liturgiam et similia concernentes, in plures factiones separati sunt. Progressu temporis saepius diversi coetus severiorum uniones inter se inierunt, et posterioribus hujus periodi temporibus multi eorum, aetate animi sensa et mores emolliente, cum mitioribus quoque conjuncti sunt, ita ut pauciores tantum pristinis moribus et rigori morali ac disciplinari inhaererent, qui jam antiqui Flamingi seu Flandri vocari consueverunt. Sed et mitiores ab anno 1664. in duas partes separari coeperunt, auctore Abrahamo Galeno, aestimato inter eos medico, qui simul praedicatoris munere Amstelodami fungebatur. Is enim secundum exemplum Arminianorum docuit, parum interesse, quid quis de dogmatibus credat, religionis summam in observatione praeceptorum moralium consistere, cui principio conformiter sententias Socinianas prodebat, et fidei confessiones rejiciebat. Multi ei adhaerebant; caeteri autem duce Simone Apostoclo, alio medico et praedicatore Mennonitarum Amstelodamensium, principia illorum improbantes, secessionem ab eis fecerunt; unde, cum etiam coetus extra Amstelodamum alterutram partem sequerentur, Mennonitae mitiores in duas Galenistarum et Apostolorum factiones abierunt. Galenistae pro sua sentiendi ratione omnis generis sententias de doctrinis religionis theoreticis inter se tole-

rabant, imo hanc tolerantiam ceu criterium verae ecclesiae praedicabant; plerique tamen sententias Socinianas, imprimis de divina Trinitate et redemtione per Christum fovebant. Iidem etiam magistratum et bellum defensivum gerere, ac jusjurandum assertorium emittere haud illicitum existimabant, adeoque fere sola opinione de nullitate baptismi, parvulis collati, caeteris Anabaptistis conjungebantur. In cultu autem Dei externo, atque in constitutione ecclesiastica a caeteris Mennonitis nihil differebant, quemadmodum hi universim iisdem in rebus parum a reliquis Protestantibus distinguebantur, nisi quod severiores simulque in tota vitae ratione simpliciores essent, praedicatoribus suis salarium et proprium vestitum denegarent, et causas ecclesiasticas communi omnium suffragio definirent. Severiores litteras minus curabant, quam mitiores, qui saeculo 17. proprios pro excolendis futuris praedicatoribus professores constituerunt, et variorum operum theologicorum, imprimis apologeticorum, polemicorum, dogmaticorum et asceticorum, sed profundiori eruditione destitutorum auctores inter se habuerunt.

Ott annales Anabaptistici. Rues aufrichtige Nachrichten von dem gegenwärtigen Zustande der Mennoniten, wie auch der Collegianten oder Rheinsburger in den vereinigten Niederlanden. Walch neueste Religionsgeschichte, 8. 9. Theil. Gründliche Historie von den Begebenheiten, Streitigkeiten, Trennungen, so unter den Mennoniten bis aufs Jahr 1615 vorgegangen. Starck Geschichte der Taufe und der Taufgesinnten.

§. 691. Baptistae.

Anabaptistis in Europa continenti multum dissimiles erant Baptistae, inter Presbyterianos in Anglia priori saeculi 16. dimidio exorti, unde etiam nulla inter utrosque communio ecclesiastica intercedebat. Etenim nec magistraturas, nec bellum, nec jusjurandum illicitum credebant, et in hoc tantum cum Anabaptistis conveniebant, quod baptismum parvulorum invalidum cen-

ntes, adultos ad se transeuntes rebaptizarent, qua in
ab illis eo iterum differebant, quod baptismum ple-
corporis in aquam immersione conferendum esse
tuerent. Caeterum Baptistae a Presbyterianis nec alio
gmate nec ritibus distinguebantur; in constitutione
clesiastica cum Independentibus conveniebant, in mo-
ns, disciplina, et excommunicationis usu eis severi-
es erant. Quemadmodum vero Presbyteriani respectu
gmatis Calvini de praedestinatione inter se dissentie-
nt, aliis eam approbantibus, aliis universos homines
vitam aeternam vocatos esse statuentibus; ita haec
ersitas etiam in Baptistas transiit, eosque in duas
tiones Universalistarum et Particularistarum discidit,
orum priores alias quoque doctrinas Calvinianas mi-
curabant, et Socinianas quoque sententias inter se
erabant. — Ab initio Baptistae severe puniebantur,
aque morte mulctabantur, quapropter aliquamdiu
tentias moresque suos occultabant. Postquam autem
rolus I. rex Angliae cum subditis suis collidi coepis-
, resumto animo a. 1633. iterum in lucem prodie-
t, et singularem sectam constituere coeperunt. Cro.n-
lio summa rerum potito, libertate, quam usurpator
nibus sectis concessit, et ipsi fruebantur. Sub Caro-
II. variis quidem modis premebantur, sed Jacobus II.
ut aliis sectis, ita et Baptistis tolerantiam concessit,
ae sub ejus successore Guilielmo III. publica lege
plenam religionis libertatem, perpetuo duraturam
versa est. Sub his vicissitudinibus complures Bapti-
rum in Americam septentrionalem, Anglis subjectam
rarunt.

berti Briefe, betreffend den allerneuesten Zustand der Religion und der Wissenschaften in Grofsbritannien. Hannover 1752.

§. 692. Quaeckerorum origo.

Mennonitis in pluribus rebus similes erant Quae-
, eo tempore in Anglia orti, quo Presbyterianis et

meditatione, lectione s. scripturae, jejunio,
ad opus, quod aggressurus erat, se praepara
1649., aetatis 25. publice in mediis Angliae
progressus, revelationes, quas sibi divinitus
cari opinabatur, primo quibusdam amicis, n
bus sibi obviis proponebat. Earum summa i
sistebat, ut homines ad lumen divinum, quod
rum animis indiderit, attenderent, ejusque
nes sequerentur. Simul vitia et mores, etiam
caeteris non inhonesti videbantur, nominatim
externos, oblectationes, pompas, luxùm, g
tuperabat, jusjurandum, et bellum illicitum d
homines rebus istis deditos, speciatim judice
catores magna cum vehementia increpabat,
vero clericis corruptam religionem, superbiam
ritiam exprobrabat, et eousque fanatismi pro
praedicatores in ecclesiis increpationibus suis i
pens publica sacra saepius turbaret. Has o
quenter a populo male tractatus, a judicibus,
super conviciis lacessebat, saepius in carcer
ctus, eo tamen, quasi injuriis, pro Dei causa
tis, in coeptis suis magis firmatus, obtenta lib
semper aucto fervore continuabat, plerasqu

ex praedicatoribus, ex aliis viris litteratis, ex nobilibus quoque accesserunt. Inter hos notatu digniores erant, Samuel Fischer, antea praedicator apud Baptistas; Georgius Keith, ex praedicatore Presbyterianorum Foxii sectator, Robertus Barclay ex nobilissimo et perantiquo Scotorum genere, et Guilielmus Penn, filius celebris praefecti classis navalis Anglorum.

§. 693. Eorum doctrina.

Hi confusas magistri ideas scriptis illustrarunt, et in quoddam systema redegerunt, cujus summa fere haec erat: Omnes posteri Adami quidem corrupti, et Deo recte cognoscendo inepti sunt; is tamen pro immenso suo in homines amore, cujusvis, sive Christianus sit, sive nihil de Christo sciat, aliquo saltim vitae tempore, animum ad bonum cognoscendum et faciendum illustrat ac movet, seu ei particulam luminis divini indit, quod quia Dei voluntatem eloquitur, verbum internum, et quia a Christo descendit, et ab eo inseparabile est, ita ut is in homine quasi habitet, Christus internus vocatur. Si nonnulli homines lumen illud non percipiunt, id non inde venit, quasi eis denegetur, sed quia sive per negligentiam sive per pravas cupiditates illud non excitant, siquidem recessione a rebus externis et attentione interna studiose excitandum est. Eo duce omnes homines, Ethnici non minus ac Christiani, ad salutem pervenire possunt, et omni tempore potuerunt. Idem fons est, e quo sacri Christianorum libri manarunt, qui proinde revelationes divinas continent, non tamen eas, quas unice tenere et tanquam regulam credendorum agendorumque habere oporteat, cum potius verbum internum, e quo scriptura manavit, fons revelationis, adhucdum perdurantis semperque duraturae et librorum sacrorum interpres censendum sit. Hos libros nec sufficientes, nec adeo perspicuos esse, ut ex se ipsis penitus explicari possint, adeoque alio adhuc revelationis fonte et scripturae interprete opus esse,

bant. Alii enim omnia in ea contenta, sens
credenda esse statuebant, alii hoc non ne
esse, sed sufficere contendebant, si quis univ
dat, revelationes in ea contineri, quas caet
primis historicas, in medio relinquere et o
interni in sensus allegoricos interpretari pos
Quaekeri, etsi pro suo religionis principio
sent, mysteriosas tamen religionis Christian
nas passim removebant, et in quemdam Deis
debant, sed sensionibus potius quam ratiocini
Inde est, quod vocibus: Trinitas, persona div
substantialis etc. sollicite abstinerent, quamq
terum de Patre, Filio et Spiritu s. loquerentur
nunquam etiam Filii divinitatem, sed probabi
quam orthodoxo sensu profiterentur. Idem vale
te Christi expiatoria, quam quidem subinde fu
tum justificationis humanae statuebant, hanc i
tem potius a sanctificatione, per lumen internum
derivabant, unde eos bona opera ad justificatione
tem necessaria, hujusque meritoria habuisse sequ
quoque, sicut cum eorum mysticismo, ita etiam cu
propensione in Deismum convenit, quod sacra
spuerent, baptismum de animi regeneratione, e

vim, alteri oppositam illicitam haberent, ideoque non tantum arma gerere, sed etiam aes aut alia subsidia ad bellum conferre recusarent, quod decimas aut alia tributa ecclesiastica dare prohiberent, quia clerici falsae ecclesiae inserviant, et vitiis, imprimis superbia et avaritia laborent, quod alios salutare aut aliter quam secunda persona singulari alloqui, aut caput denudare, aut alios honores cuiquam, ipso rege non excepto, exhibere, nefas declararent, quod denique oblectationes, pompas et luxum in vestitu ac suppellectili tanquam res, sensualitatem nutrientes animumque distrahentes evitare praeciperent.

§. 694. Quaekerorum propagatio.

Foxius, qui ab ambitione et sectam condendi ac regendi studio non alienus erat, et aemulationem discipulorum auctoritate conspicuorum prodebat, in sententiis suis propagandis indefessus erat, eumque in finem non tantum Angliae provincias peragrabat, sed etiam in Scotiam, a. 1671. in Americam septentrionalem, Anglis subjectam, et a. 1677. in Bataviam et Germanniam profectus est. († 1691.) Simili proselytos faciendi studio, eoque satis fanatico, etiam ejus asseclae animati erant, quorum multi, etiam faeminae, secundum exemplum magistri, Angliam peragrantes, importuna cum vehementia, lumen internum annuntiabant, hominesque religionem et ecclesiam corruptam deserere, et placita sua amplecti jubebant. Anno 1654. auctore quodam juvene, Boroughio, primus coetus Londinensis coaluit. Idem Foxii opiniones eodem anno Scotiae, sequenti Hiberniae intulit. Nonnulli paulo post in Americam, alii in Bataviam, alii in Germanniam, aliqui etiam in Galliam, Italiam, Turciam et Palaestinam sententiae suae propagandae causa profecti sunt. Sed disparem conaminum suorum eventum habuerunt. Numerosissimos asseclas nacti sunt in septentrionalibus Angliae provinciis et in Valesia, in reliquis pauciores, tot tamen, ut

decimo post Foxii initia anno in omnibus provinciis aliqui saltim Quaekerorum coetus existerent. Qui ad eos transibant, plerique erant e sectis Independentium et Baptistarum, pauciores e Presbyterianorum aut Episcopalium ecclesiis. Inter Scotos et Hibernos Quaekeri ab initio admodum tenues et nunquam amplos progressus fecerunt. In America, ubi Independentes principatum tenebant, et in omnes, a se diverse sentientes intolerantissimi erant, Quaekeri primo tempore legibus admodum severis et fere crudelibns, relegatione, verberibus ipsaque capitis poena arcebantur. Haec tamen in eos severitas cessavit, postquam a. 1660. Carolus II Angliae thronum conscendisset, et non multo post retuisset, ne cuiquam Quaekerorum in America, poena corporalis aut capitalis infligeretur, sed comprehensi in Angliam mitterentur. Sub eodem rege Quaekeri in America admodum aucti et plenam tranquillitatem consecuti sunt. Etenim Guilielmus Penn, qui in sociorum suorum propagatione et prosperitate promovenda, verbo et opere, ore et calamo per totum vitae tempus († 1718) plurimum laborabat, a. 1681. a Carolo rege impetravit, ut pro aere alieno, quod regimen Anglianum ei debebat, amplissimus terrae tractus, ad Delawarum fluvium situs, tunc quidem incultus et sylvis horridus, cum pleno jure proprietatis, attamen supremae regni Anglicani potestati subordinatae sibi concederetur. Hanc terram a se Pennsylvaniam dictam et legibus instructam, inter quas omnium religionum tolerantia, et civium in legibus ferendis et republica administranda participatio, seu libertas religiosa et constitutio democratica, principales erant, Pennius religionis suae sociis incolendam obtulit, eo quidem e[ventu], ut multa eorum millia ex Europa eo migrarent, [ple]rique etiam illorum qui per Americam dispersi [ha]que degerant, eodem concederent, ac Penns[ylvania] principalis Quaekerorum sedes fieret. Extra [...] et terras ei subditas Quaekeri sententias suas [...]

t ad aliquod tantum tempus in Belgio et Ger-
persuadere potuerunt, cum magistratus et prae-
praedicatores dictis et scriptis vehementissime
opponerent. Harlingae tantum in Frisia Belgica
nnonitis, principium Quaekerorum adoptantibus,
nnum 1660. numerosus coetus exortus est, qui
stantibus praedicatorum declamationibus, et le-
ordinibus contra eos lata perduravit.

§. 695. Eorum sors in Anglia.

ipsa Anglia sors Quaekerorum satis diu dura et
erat. Non tantum homines privati eos propter
unam conversionis methodum, et propter convi-
ecclesiam et clericos effutita aversabantur et ma-
tabant, sed etiam magistratus propter jusjuran-
t decimas denegatas, aut propter turbatos sacros
tus praescriptis poenis, bonorum ademtione, ver-
s, carceribus, afficiebant, in quibus plures eo-
erierunt. Exilio brevi tantum tempore, morte
nunquam mulctabantur; neque propriae leges
eos latae sunt. Cromvellius, quo regnante in lu-
merserunt, eis favebat, suumque favorem par-
et vinctos libertate donando manifestabat. Cau-
s favoris erat, sive quod et ipse in mysticismum
deret, sive quod et Quaekeri ejus consilia con-
lesiam hactenus dominatam adjuvarent. Carolus
II., qui post Cromvellium ab anno 1660. re-
ab illis persequendis pro sua animi indole lon-
nus erat, multosque eorum in carceribus deten-
ertati restituit, caeterum impedire non potuit,
inus magistratus et ordines publici, aucto fervo-
nas eis infligerent, contra legum, quas violare
ssabant, transgressores statutas. At Jacobus II.
tri Carolo a. 1686. successit, mox magistratibus
uit, ne quemquam ad jusjurandum, quo regi fide-
romittenda, aut suprema ejus in re ecclesiastica
s contestanda erat, compellerent. Non multo

post omnes Quaekeros e vinculis dimisit, et anno sequenti leges ab Elisabetha contra illos latas, qui sacra Episcopalium non frequentarent, abrogavit. Haec, etsi potissimum propter Catholicos, quorum religioni Jacobus addictus erat, statuerentur, tamen etiam in Quaekerorum bonum cedebant, quibus rex favebat, Pennio familiariter conjunctus. Jacobo a. 1688. per Guilielmum, Bataviae gubernatorem pulso, Quaekerorum sors non deterior reddita, sed eis potius, sicut caeteris ab ecclesia Episcopali dissentientibus, libertas, publica lege perpetuo valitura, concessa, et postea, a. 1695. etiam indultum est, ut solemnis eorum assertio loco jurisjurandi a judicibus haberetur. Ita Quaekeri versus finem hujus periodi securitatem et tranquillitatem consecuti sunt, quamquam propter denegata tributa ecclesiastica, saepius adhuc cum potestate publica colliderentur.

§. 696. Eorum constitutio ecclesiastica, cultus divinus publicus, et mores.

Constitutio ecclesiastica, cultus divinus, et mores Quaekerorum, eorum principiis omnino conformes erant. Cum enim lumen internum cuivis hominum inditum sit, et sine discrimine sexus et status externi vim suam exerere possit ac soleat; non indigebant religionis doctoribus, qui eruditione theologica ad verbum divinum praedicandum excolerentur. Hinc peculiarem ordinem praedicatorum inter se non habebant. Duplicis tamen generis ministri religionis et ecclesiae apud eos erant, apostoli, qui ad sententias sectae propagandas alio abibant, et seniores, qui in singulis coetibus pauperes et infirmos visitabant, eleemosynam inter eos distribuebant, et ordini in conventibus sacris invigilabant. Ad haec ministeria omnes, qui apti videbantur, sine omni ritu solemni, nec in perpetuum assumebantur. Similiter omnes sine discrimine voce decisiva gaudebant in conventibus, quos singuli Quaekerorum coetus ad communes causas de-

iendas, v. g. ad seniores eligendos, ad socios vitiosos
dmonendos vel excludendos, ad proselytos probandos
t admittendos, ad natos, nuptos et mortuos scripto
onsignandos, ad licentiam nubendi dandam, ad susten-
ationem pauperum et institutionem parvulorum defini-
endam, singulis mensibus instituebant. Praeter has con-
gregationes menstruas Quaekeri majores habebant, ad
quas pro negotiis majoribus et communioribus tractan-
dis plures coetus omni trimestri deputatos mittebant, et
generales, quae ad definiendas causas, totam societatem
ttinentes, singulis annis tum Londini, tum in pluribus
mericae septentrionalis provinciis convocabantur, quae
idem ab invicem non dependebant, attamen inter se
mmunicabant, et sic unitatem totius sectae conserva-
nt. — Ad sacra convenire, quod die Dominica bis,
n multis locis etiam nonnullis diebus ferialibus sole-
t, Quaekeri propterea necessarium existimabant,
d lumen internum in conspectu sacrae congrega-
is magis excitetur, atque ut audiatur, quid ver-
n internum per alios pronuntiet. At sacra eorum
e singularia erant, et in eo solo consistebant,
d, prout quis a spiritu agitabatur, nudato capite
ad dicendum surgeret, vel ad orandum in genua
umberet, caeteris surgentibus, et viris pariter
t denudantibus. Si, quod nonnunquam accidit,
ni quid in mentem venerat, totus coetus, ne
o quidem audito, iterum discessit. Aliis ritibus
s Quaekeri penitus carebant. Hinc etiam eorum
esiae omni sacra suppellectili vacuae erant, ni-
e in eis conspiciebatur, quam scamna, ne colo-
s quidem illinita et ad utrumque parietem ita ad-
ta, ut in altero latere viri, in altero faeminae con-
rent. — In moribus Quaekeri simplicitate, gravi-
et affectuum moderatione distinguebantur. Simpli-
is erat, quod omnem luxum in vestitu et suppel-
li vitarent, nullum discrimen ordinum aut mune-
inferiorum et superiorum inter se agnoscerent,

nia, frugalitas, beneficentia, amor erga pa
juges et liberos inter eos frequentes essen
tur erant Quaekeri, qui hoc nomen, quo
Anglica trementes denotat, primum a jud
accepisse dicuntur, qui, quod Foxius eum
Dei tremere juberet, hunc ejusque asse
causa trementes vocaverit. Alii tamen put
inde appellatos fuisse, quod in verbum D
tes tremere solerent. Ipsi se confessores l
cos vocare consueverunt.

Sewel die Geschichte von dem Ursprung, Z
Fortgang des christlichen Volkes, so Quäker
den. Wilhelm Penn kurze Nachricht von d
und dem Fortgange der christlichen Gesellsch
de, die man Quäker nennt. Aus dem Engl
historia Quakeriana. Histoires des Trembleurs
richtige Nachricht von der Religion, Gottesd
und Gebräuchen der Quäker.

§. 697. Jansenius. Ejus liber a po prohibitus.

In ecclesia Catholica post lites Molini
culo 17. aliae, longe graviores et diuturni

ersarium se exhibebat. Anno 1637. Iprae in Flandria
piscopus factus, ibidemque jam anno sequenti mor-
uus est. Liber ille, quem Jansenius post 22 annorum
aborem, brevi ante mortem suam finiverat, curanti-
us amicis, a. 1640. sub titulo comparuit: Augustinus,
eu doctrina S. Augustini de naturae humanae sanita-
e, aegritudine, medicina, adversus Pelagianos et Mas-
ilienses. In prima ejus parte haeresis Pelagiana de-
cripta, in altera status primorum hominum ante et post
apsum, adeoque peccatum originale et mali ejus ef-
ectus, speciatim defectus liberi arbitrii, in tertia de-
ique systema S. Augustini de auxilio gratiae medici-
alis et de praedestinatione expositum, ubique vero
ententiae Molinisticae quorumdam Jesuitarum refuta-
e, earumque, cum Semipelagianismo affinitas demon-
rata erat. Hinc Jesuitae librum Jansenii mox pu-
lice impugnarunt, contenderuntque, in eo propositio-
es contineri Bajanas, jam a Pio V. damnatas. Cum,
ansenii amicis doctrinam in libro contentam defen-
entibus, jam lites scripto agitarentur; pontifex, tunc
emporis Urbanus VIII. singulari bulla, a. 1642. edita,
ansenii Augustinum prohibuit, tum quod propositio-
es contineat, jam a prioribus pontificibus proscriptas,
m quod contra horum prohibitionem, nihil, quod ma-
riam de auxilio gratiae divinae controversam, atti-
t, vulgandi, typis mandatus fuerit; quam eandem
causam etiam caetera scripta, pro Jansenii libro et
tra eundem edita pontifex simul prohibuit. Verum
versitas Lovaniensis, episcopi plerique, et maxima
s reliqui cleri Belgici, Urbani VIII. bullam acce-
re recusabant, contendentes in libro Jansenii non
Augustini doctrinam expositam esse, atque ad pon-
cem ipsumque Hispaniae regem conversi, ne ad bul-
acceptandam adigerentur, impetrare satagebant.
d frustra; quinimo novus pontifex Innocentius X.
operante Guilielmo Leopoldo, archiduce Austriae,
anno 1647. Belgii gubernatore, Jesuitarum fautore,

effecit, ut rex Hispaniae a. 1651. bullam illam acceptari et observari juberet, cui jussui tandem clerus et universitas se submiserunt.

§. 698. Quinque propositiones damnatae.

Eadem Urbani VIII. bulla etiam in Galliam transmissa fuerat. Ibi Joannes du Vergier de Havranne, abbas monasterii Benedictini ad S. Cyranum, Jansenio familiaritate eodemque in systema S. Augustini studio conjunctus, vehemens Jesuitarum adversarius, qui assertiones admodum heterodoxas, tanquam S. Augustino consentaneas proposuerat, et plures annos in custodia detentus fuerat; nec non Antonius Arnaud theologiae doctor, abbatis de S. Cyrano discipulus, similisque doctrinae Augustinianae affectator, Jansenii libro multorum animos praeparaverant. Cumque nonnulli, praecipue Jesuitae, errores Calvinianos in eo contineri assererent; Arnaldus in duabus apologiis a. 1644. pro Jansenio editis, ostendere conatus est, nonnisi Augustini doctrinam ab eo propositam esse. Hinc Sorbonna, cui eodem anno bulla Urbani una cum regiis litteris, quibus eam acceptare jubebatur, proposita fuit, solas propositiones, quae tanquam a prioribus pontificibus jam damnatae in ea allegabantur, notavit, omnibusque ad se pertinentibus, de iis disputare prohibuit. Sed Jansenii adversarii jam plures propositiones Calvinismo affines, e libro illius extraxerunt, easque Sorbonnae dijudicandas tradiderunt. Sorbonnistarum alii judicium recusarunt, alii eas haereticas et s. scripturae contrarias esse judicarunt. Huic judicio 85 episcopi Gallici a. 1650. Parisiis congregati accesserunt, quo facto propositiones illae a judicibus cum litteris ad Innocentium X. missae sunt, in quibus rogabatur, ut quinque priores accurate examinari curaret, et quo sensu teneri possint, definiret. Pontifex, etsi undecim alii episcopi Gallici, Jansenii doctrinae faventes, ab hoc faciendo variis rationibus eum dehortarentur; tamen a

1651. quatuor cardinalibus et tredecim consultoribus examen demandavit, eo quidem eventu, ut post plures examinatorum congregationes, pontifex a. 1653. bullam emitteret, in qua quinque illae propositiones tanquam haereticae, et ex parte etiam impiae ac blasphemae damnabantur. Erant autem sequentes: 1) Aliqua Dei praecepta hominibus justis, volentibus et conantibus, secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque iis gratia, qua possibilia fiant. 2) Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur. 3) Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. 4) Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem, et in hoc erant haeretici, quod vellent eam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. 5) Semipelagianorum error est, dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.

§. 699. Lites inde exortae.

Bulla Innocentii X. ab omnibus fere Galliae episcopis lubenti animo fuit admissa; cumque propositiones in ea damnatae revera Calvinianismum saperent, eas jure proscriptas esse, ipsi Jansenii amici, qui ab eo Jansenistae dicebantur, adversarios autem suos Molinistas dicebant, negare non sunt ausi. Id tamen contendebant, eas nec quoad verbum, nec quoad sensum a pontifice intentum, in libro Jansenii contineri. Cum primarii inter eos, Antonius Arnaldus, Blasius Paschalis, Petrus Nicolius eruditione multiplici tam profana quam sacra, ingenii acumine, facundia, libris ingeniose et eleganter scriptis, denique morum honestate ac severitate multum excellerent; assertionem suam multis aliis persuaserunt, quam Arnaldus a. 1655. etiam singulari libro defendit. Hinc eorum adversarii, quibus contraria erat persuasio, per ipsam Galliae regi-

nam novum pontificem, Alexandrum VII. permoverunt, ut alia bulla, a. 1656. edita, illos, qui quinque propositiones damnatas in libro Jansenii contineri negarent, perturbatores publicae tranquillitatis et filios iniquitatis pronuntiaret. Hanc pontificis constitutionem Galliae episcopi a. 1657. congregati, non tantum promptè acceptarunt, sed etiam quamdam fidei formulam condiderunt, ab omnibus clericis subscribendam, qua eandem constitutionem pontificiam a se sincere acceptari contestarentur; cumque Jansenistae, speciatim Arnaldus, scripto quoque declararent, ecclesiae non esse potestatem, fideles ad fidem in rem mere historicam adigendi, iidem episcopi ab ipso rege admoniti a. 1660. decreverunt, ut, qui contra constitutiones pontificias, in causa Jansenii editas, scripsissent, doctrinam suam retractarent, et qui ex clericis formulae a se conditae subscribere renuerent, haeretici haberentur. Nihilominus praeter caeteros Jansenistas, ex ipsis episcopis quatuor subscriptionem denegabant, unde non exiguae contentiones et motus inter clerum Gallicanum exorti sunt. Jamque in nonnullos Jansenistarum animadverti coepit, speciatim in moniales coenobii ordinis Cisterciensis, portus regius dicti, haud procul a Parisiis siti, cujus praeposita soror erat Arnaldi, et juxta quod Jansenistarum duces aliaeque utriusque sexus personae, pleraeque nobiles, habitabant, relicto saeculo vitam asceticam ibi viventes, omnes Jansenismo addictae. Cum jam moniales commemoratae formulae simpliciter subscribere recusarent, primum a. 1661. alumnae et novitiae ex monasterio ablatae, dein a. 1664. moniales ipsae ab archiepiscopo Parisiensi usu sacramentorum prohibitae, in custodias abductae, et dure tractatae, et anno sequenti monasterio quidem restitutae, attamen usque in annum 1668. a militibus, multa incommoda eis creantibus, custoditae sunt.

§. 700. Harum litium incrementum et decrementum.

Ludovicus XIV. rex Galliae, existimans, Jansenistas pontifici citius obedituros esse, ab Alexandro VII. petiit, ut ipse formulam quamdam a clero Gallicano subsribendam conderet. Igitur pontifex a. 1665. bullam in Galliam misit, qua sub censuris praeceptum erat, ut omnes clerici, moniales, et scholarum moderatores formulam a se conditam, qua quinque propositiones damnatae, eodem, quo damnatae erant, sensu, ex libro Jansenii excerptae dicebantur, cum jurejurando subscriberent. Verum, etiamsi rex hanc pontificis constitutionem, additis in immorigeros poenarum minis, confirmasset; tamen tum caeteri Jansenistae, tum quatuor illi episcopi in sua renitentia perseverabant, contendentes, ecclesiam in definiendis quaestionibus, fidem non attinentibus, haud infallibilem esse. Ita factum est, ut nunc non tam de quinque propositionibus et libro Jansenii, quam potius de infallibilitate et auctoritate ecclesiae atque pontificis ageretur. Hanc Jansenistae deprimere et vilipendere videbantur, quapropter usu venit, ut universim omnes, qui de pontificis auctoritate humilius sentiebant, Jansenistae vocarentur, etsi caeterum Jansenii libro minime patrocinarentur. Ludovicus rex, contra quatuor illos episcopos irritatus, a. 1667. a pontifice petiit, ut ex episcopis Gallicis aliquos constitueret, qui de illorum inobedientia judicarent. Verum illi non tantum inter collegas suos, sed etiam inter aulicos, magistratus, monachos, tot tantosque patronos nacti sunt, ut eos judicare haud consultum videretur. Cumque pro eis 19 episcopi, tum apud novum pontificem Clementem IX. virum pacificum, tum apud regem intercederent, ab utroque a. 1668. concessum est, ut Alexandri formulae tantummodo sincere, non vero simpliciter subscriberent, i. e. in quantum declaratio formulae quaestionem juris, non autem facti concernat.

currerunt. Tales erant, quod defenso Jansenii
ipsam ecclesiam ab Augustini systemate de g
bero arbitrio descivisse arguerent, quod ec
pontificis auctoritatem vilipendere viderentu
dientiam eis denegarent, quod omnes Christ
scripturam legendam obligari contenderent, e
ctionem omnibus modis promoverent, quod ex
tatis opera, interna pietate destituta, rejicere
me vero, quod disciplinam morum, quam Jes
debant, quasi laxiorem, et hominum corruptio
modatam, dictis et scriptis traducerent, et ali
rigidiorem praescriberent, juxta quam homini
vitam continua poenitentia agenda, et caro
exercitiis mortificanda erat, ita ut haud pauci
nitatem suam destruerent et vitam abbreviar
omnibus invidia contra eos sustentata est, effe
ut post decem annorum pacem eorum adversa
permoverent, ut a. 1679. simplicem formulae A
VII. subscriptionem ab omnibus personis eccl
exigeret. Quam cum Jansenistae iterum denega
nuo variis persecutionibus subjecti sunt, quas
animo pertulerunt, alii fuga in terras exteras,
tim in Belgium declinarunt, quos inter erat A

§. 701. Socinianorum fata posteriora.

Altero saeculi 17. dimidio secta Socinianorum in Polonia, prospero, quo hactenus gaudebat, statu penitus excidit. Ac primo quidem in comitiis, a. 1638. Varsoviae habitis, decretum est, ut ecclesia, schola, et typographia, quae Racoviae habebant, eis adimerentur, et doctores eorum, ibidem constituti, in exilium mitterentur. Huic decreto, quod etiam effectui datum est, ansam dedit impia insolentia quorumdam sectae adolescentium, Racoviae litteris vacantium, qui crucifixum, in oppidi vicinia publice erectum, lapidibus petitum diruerunt et penitus destruxerunt. Hoc facinus aversationem, qua non tantum Catholici, sed etiam Protestantes propter rejectas principales religionis Christianae veritates in eos pleni erant, nutrivit. Hinc factum est, ut cum a. 1657. eorum primores Cracoviam, sub Suecorum tunc Polonia potitorum praesidium se contulissent, patriae hostibus proditae accusarentur, et omnes, nisi qui religionem Catholicam amplexi forent, Poloniam usque ad annum 1660. relinquere publico decreto juberentur. Alii quidem ad hanc sortem evitandam a secta sua defecerunt, plerique vero exilium praetulerunt. Ex illis, qui ad Socinianos in Transsylvania iter fecerunt, admodum pauci ibidem advenerunt, reliquis per varios casus adversos aut dissipatis aut consumtis. Alii in Dania, alii in Holsatia, alii in Silesia, alii in Palatinatu domicilia impetrare, sed frustra conabantur, partim quod Protestantes non minus quam Catholici eorum religionem ceu impiam et a Christianismo alienam abhorrerent, partim quod Sociniani cum tolerantia non contenti, antequam suscepti essent, placita sua verbo et scripto, inter caeteros terrarum incolas propagare niterentur. Solus elector Brandenburgicus, Fridericus Guilielmus indulsit, ut, licet invitis ordinibus publicis, plures Socinianorum, in quibusdam Borussiae orientalis et Brandenburgi locis con-

siderent, et paucos coetus, qui perdurarunt, efforma-
rent. Singuli ex Socinianis, praesertim eruditis, in
Batavia, quamvis ordines hujus reipublicae eodem
tempore sententias et scripta Socinianorum propagari
publico decreto prohiberent, refugium et subsidium
apud Arminianos et Mennonitas liberiores, qui prin-
cipia Socinianismo affinia jam adoptaverant, eosque
etiam ad sacrorum suorum communionem admittebant,
invenerunt. Reditus in Poloniam Socinianis in perpe-
tuum interclusus manebat. Cum enim nonnulli eorum
clam ibi commorantes deprehenderentur, leges se-
verissimae contra illos latae sunt, qui eos occultarent.
Leges autem contra Socinianos ipsos latae saepius tum
17. tum sequenti saeculo renovabantur. Sic ergo haec
secta in Polonia extirpata est *). — Qui in Transsyl-
vania erant Sociniani, religionis libertatem, juriumque
omnium cum caeteris Christianis Occidentalibus aequa-
litatem, priori tempore obtentam, semper conservave-
runt. In litterarum cultura Polonicis longe inferiores
erant. Eo firmius et fidelius primigeneo Socini syste-
mati inhaerebant. Numerus illorum, qui Christo ado-
rationem denegabant, magis magisque inter eos decre-
vit, ita ut sequenti saeculo penitus evanesceret **). —
Praeter hos nonnulli inter Anglos doctrinas Socinianas
propagare conati sunt; nominatim Joannes Biddle, lu-
dimagister in quodam oppido provinciali, qui inde ab
anno 1644. plura scripta contra dogma Christianum de
SS. Trinitate vulgavit, et quamvis propterea saepius
in carcerem, imo in exilium mitteretur, semper tamen
libertati aut domicilio redditus, systema suum, quod
Sociniano parum diversum, imo ex scriptis Socinia-
rum, quorum plura in linguam Anglicam ille transtu-
lit, potissimum haustum erat, renovato fervore propa-
gavit, imo societatem quamdam asseclarum collegit, qui
ab anno 1652. in ejus aedibus ad s. scripturae explicatio-
nem et ad colloquia de materiis religiosis congregari so-
lebant. Biddlejo autem mortuo, quamquam patroni [illegible]

stianismi perdurarent et propagarentur, societas disso-
luta est, nec facile alia coalescere poterat, quia lege,
qua regnante Guilielmo III. a. 1689. sectis dissentienti-
um tolerantia concessa est, Antitrinitarii exclusi, eorum-
que conventus graviter interdicti erant.

[1]) Vid. libros superius apud Socinianos citatos.

[2]) Bod histor. Antitrinitar. in Transsylv. Abhandlung von dem Zustande der Socinianer in Siebenbürgen, in Walchs neuester Religionsgeschichte. 5. Th.

§. 702. Status ecclesiae Russicae.

Qui ecclesiae Russicae hactenus fuerat status, per
totam hanc periodum sine mutatione perduravit. Sub-
jecta manebat patriarchae suo Moscoviensi, qui a nullo
alio externo dependebat, plenitudine potestatis ecclesia-
sticae instructus erat, atque etiam sat magna in rebus
saecularibus pollebat, neque a regimine civili in ea exer-
cenda impediebatur, aut limitabatur. Caesar tamen Alexius
clerum immunitate personali, qua hactenus gavisus fuerat,
privavit, eumque in finem tribunal, ex laicis compositum,
quod eum judicaret, erexit. Huic novationi patriarcha Ni-
con omnibus viribus, sed frustra restitit, eoque Caesaris
indignationem incurrit, quam cum hic publice manifesta-
ret, patriarcha sponte in monasterium se recepit. Prin-
ceps tantum aberat, ut eum inde revocaret, ut potius in
synodo, a. 1666. ex omni clero ecclesiae Russicae con-
gregata, advocatis etiam tribus patriarchis ecclesiae Grae-
cae externis iisque auro corruptis, eum tanquam novato-
rem et ecclesiae suae desertorem excommunicari et deponi
curaret. Caeterum Russi omnes, tum clerici, tum etiam
laici religioni suae tenacissime inhaerebant, non tantum
doctrinis, sed etiam sacris ritibus. Haereticos, inter quos
omnes referebant ad sic dictam ecclesiam orthodoxam
non pertinentes, adeo aversabantur, ut eos ne Christi-
anos quidem haberent, et ad se transeuntes rebaptizarent,
ecclesiam, in quam haereticus fuerit ingressus, ver-
rerent et incenso purgarent, imo ut ipse Caesar manum

opinionum haereticarum suspecti ad ejus tri
bantur, et qui haeresis rei deprehensi fueri
ferro enecabantur. Caeterum crassa ignoranti
tio, et morum feritas non tantum laicos, sed
ricos in Russia occupatos tenebat. Exceptis e
bus monachis et episcopis, quorum nonnulli p
dam scripta, de religione tractantia, eaque m
menti composuerunt, caeteri fere omnes litt
pertes erant, nihilque ab eis desiderabatur,
pedite legere et ritus sacros dextere perage
Inter laicos autem quam plurimi erant, qui ne
quidem Dominicam et symbolum apostolicum
tenerent. Superstitionis, quae inter Russos do
erat, quod mutationi rituum, utut ab ips
praescriptae multi summa cum pertinacia resi
potius vitam ac sanguinem funderent, quam e
terent, quod speciatim factum est, cum a syn
minorenni celebrata, ad quam etiam patriarch
externi adhibiti fuerant, sub capitis poena pra
fuisset, ut in posterum laici, cruce se signant
tantum, non vero tribus, sicut clerici, digitis
Quod denique mores attinet, intemperantia in
tuque, feritas, animus servilis, habendi cupido, vi

ationis occasio sequens erat. Cum lapsu tem-
. scripturam, et libros liturgicos multa menda,
a aut oscitantia librariorum irrepsissent; cu-
riarcha Nicone a. 1655. Moscoviae synodus ad
os emendandos congregata est, quae adhibitis
e collatis quam plurimis vetustis codicibus, ex
sia Graeca allatis, opus sibi propositum sedulo
batur, quod tandem in synodo a. 1666. cele-
finem perductum est. Sed multi tum clericorum
rum sibi persuadebant, originarium et genui-
um eo corruptum, adeoque veram doctrinam
fuisse. Praeterea alias mutationes, quas Nicon
, praesertim in signatione cum signo crucis in-
at, tanquam totidem religionis corruptiones im-
it. Igitur illum haereticum, clericos ab eo or-
nullos, sacramenta ab his administrata invalida
amque ecclesiam apud illos interiisse clamabant,
s emendatos, et novationes a Nicone introdu-
isissent. Hinc ab eis se separarunt, omneque con-
cum eis vitabant, veram ecclesiam penes se so-
gloriantes, utpote qui presbyteros sibi addebant,
ordinatio a Niconis antecessoribus descendebat.
ni suae, veram ecclesiam penes se solos subsi-
uo veritatis speciem conciliarent, severiorem
n morum disciplinam apud se introduxerunt,
pta jejunia majori cum rigore observantes, a vi-
risque potibus sanguinem calefacientibus absti-
imo matrimonium tanquam rem Deo non pro-
nis interdicentes. Posteriori tempore etiam omnes
anseuntes rebaptizabant. In caeteris doctrinis et
b ecclesia dominante non recedebant. Orthodo-
eos Rascolnicas, i. e. schismaticos nominabant,
men ipsi repudiant, Starobriazos, i. e. homines
fidei addictos se nominantes, de discessu eorum
gravissimas contra eos persecutiones excitarunt,
extirpaturi aut ad ecclesiam reducturi. Sed neu-
m finium obtentus est. Rascolnicae potius in ra-

biem acti, enormes excessus committebant, in se et alios saeviebant, speciatim autochiriam tanquam actionem Deo placentem frequenter tum contra se ipsos exercebant, tum alios ut sibi necem inferrent, adigebant. Maximo autem odio in clericos orthodoxos flagrabant, partim quod hi persecutiones contra eos promoverent, partim quod ex illis ipsis plures propter injurias, quas sibi illatas credebant, ad Rascolnicas deficientes, horum contra clerum orthodoxum odium inflammarent. Postquam regnante Caesare Petro I. trecenti eorum, ne comprehenderentur et a judice punirentur, cum ecclesia in quam confugerant, ipsi se concremassent; princeps inde commotus jam ab eis persequendis abstinuit, et id tantum praecepit, ut centone rubri coloris, vestimento eorum affixo, a caeteris distinguerentur, quod probri genus plures quam severissima poena ad ecclesiam reduxit. Nihilominus magnus semper eorum numerus superfuit, in Sibiria admodum frequentes erant, Cosaci ad Tanaim sedentes fere omnes ad eos pertinebant. Constitutione ecclesiastica bene ordinata non gaudebant, neque dispersi eorum coetus inter se conjuncti erant. Caeterum in sectas quam plurimas abierunt, qui vel singularibus quibusdam opinionibus, vel uno alterove ritu sibi peculiari, vel eo, quod clericos haberent, aut non haberent, ab invicem discrepabant. Ex eis notatu dignissima erat secta Philipponum, duce quodâm Philippo Pustoswiaeto in Polonia exorta, in quam terram multi ex Rascolnicis ad persecutiones in patria evitandas eo magis fugerunt, quia propter sedulam agrorum et sylvarum culturam a nobilibus Polonis in fundos suos libenter suscipiebantur. Hi magis quam caeteri Rascolnicae a religione ecclesiae orthodoxae recesserunt. Etenim sacramenta confirmationis, eucharistiae, ordinationis et matrimonii abjecerunt; quoad poenitentiae sacramentum peccata sua presbytero quidem, vel ab antecessore vel a populo constituto confitebantur, absolutionem autem ab eo nullam

ipiebant, Deo soli potestatem a peccatis absolvendi
ervantes. Eorum liturgia, quam vel in oratoriis, vel
aedibus privatis, vel etiam in horreis exercebant, in
solo consistebat, quod dirigente presbytero ante et
t lectionem ex evangelio unum psalmum decantarent.
uper jusjurandum emittere et militiam sequi nefas pu-
ant, et magistratui, quem, sicut aliae Rascolnicarum
tae abrogatum volebant, obedire detrectabant. Prae-
ea admodum feri, ac in furta et rapinas proclives erant,
amen temperantiae et parsimoniae virtutes eis non de-
nt.

e Mayerberg iter in Moscoviam. Potocki Moscovia, sive
brevis narratio de moribus magnae Russorum monarchiae.
Rentenfels de rebus Moscoviticis. Bergius exercitatio histo-
rico-theologica de statu ecclesiae et religionis Moscoviticae.
Backmeister Beyträge zur Lebensgeschichte des Patriarchen
Nikon. Martini Entwurf der russischen Kirchengeschichte,
in der Nachricht aus Rufsland. Stäudlin kirchliche Geogra-
phie und Statistik. Wagner Geschichte des russischen Reichs.

§. 704. Novae lites inter Calvinianos.

Postquam Amyraldus in doctrina de praedestinatio-
Calvini systemate aliquantulum recessisset, alius
ogus Calvinianus in Gallia, Claudius Pajonius, pri-
aedicator, postea ab anno 1666. theologiae in scho-
muriensi professor, in doctrina de viribus homi-
ralibus et de gratia divina plane ad Pelagium re-
est. Docuit enim, nativam hominis vitiositatem non
ere in quadam voluntatis perversitate, quae po-
natura in bonum tendat, sed in solo intellectu
o, quo mens in errores, falsa judicia, et pra-
tationes inclinet. Voluntatem suppeditata veri-
nitione, admotisque justis motivis facile ad bo-
gendum determinari. Hinc hominis conversio-
effici, ut ei per verbum Dei salutares verita-
unicentur, quas sponte sequatur, quin imme-
itus s. in ejus mentem aut voluntatem opera-
essaria sit. Haec Pajonii sententia, ex levi sui

bant porro divisa Hugonottarum inter Calvi
larismum et Amyraldi universalismum hypoth
dia, imo in vicinam rempublicam Genevense
ta sunt, ibique gravia non tantum inter pro
pastores, sed etiam inter laicos dissidia, m
xas mutuas produxerunt, quae nonnisi seve
interdicto, ne quis porro de gratia divina, m
ro de gratia universali disputaret, tolli potu
niam vero metus erat, ne per juvenes, qui
Hugonottarum litteris vacabant, novae opini
istos disseminatae, per Helvetiam propagaren
logi quidam Helvetici, Henricus Heidegger
Franciscus Turretinus Genevensis, et Lucas
Basileensis, impetrato magistratuum consens
quamdam fidei formulam condiderunt, form
sensus ecclesiarum Helveticarum dictam, qua
Placaei, et aliorum quorundam sententiae re
tur, earumqne reprobatio omnibus religioni
bus praescribebatur. Hanc formulam inde ab a
omnes ecclesiae Calvinianae in Helvetia accept
lae tamen, quae idiomate Gallico utuntur,
cunctatione et restrictione. Hugonottae vero,
ricus Guilielmus, elector Brandenburgicus, alii

elut munerum ademtio, carceres, sic dictis Pietistis
ıfligebantur, qui eo tempore praecipue in civitate Ber-
ensi frequentissimi erant, ad quos inquirendos et pu-
iendos a. 1699. proprium collegium, camera religionis
ictum, Bernae erectum est.[2])

[1]) Walch Einleitung in die Religionsstreitigkeiten ausser der evangelisch-lutherischen Kirche. Jablonsky institutiones hist. Christ. recentioris.

[2]) Heidegger succincta ac genuina formulae consensus Helveticae historia. Memoires pour servir a l'histoire des troubles arrivès en Suisse a l' occasion du consensus. Pfaff schediasma theologicum de formula consensus Helv.

§. 705. Sors Hugonottarum.

Statns Calvinianorum externus altero saeculi 17. di-
idio pluribus in terris deterior redditus est. Equidem
Gallia usque ad annum 1681. ut plurimum pace et
osperitate fruebantur. Regnante Ludovico XIII. solum
unímenta, quae eis, ut libertatis edicto Nannetensi
ncessae securitatem haberent, tradita fuerant, amise-
ınt, idque sua culpa. Iis enim confisi regi non in omni-
ıs obediebant, et desideriis sibi denegatis, se gravatos
xistimantes, saepius ipsa arma contra eum ceperunt.
lunimentis eis ademtis, vires eorum politicae fractae
rant. Caeterum in pace, a. 1629. facta prior religionis
ibertas, nec non jura civilia, quae vi edicti Namneten-
is possidebant, eis confirmata sunt, non tamen ex pa-
to, sed ex speciali regis gratia. Status igitur eorum sa-
s prosper erat, habebant theologicas aliasque scholas,
nodos absque impedimento celebrabant, ad summa
unera civilia, politica, militaria, qui inter eos apti
ant, promovebantur. Prosper hic eorum status etiam
oribus regni Ludovici XIV. annis perdurabat. At in-
ab anno potissimum 1670. postquam pace Clementis
lites inter Catholicos in Gallia compositae fuissent,
n regem ipsum, tum alios Catholicos majus quoddam,
gonottas in sinum ecclesiae reducendi, et religionis

unitatem in Gallia efficiendi studium incessit, praesertim cum eo tempore insignis bellidux Turennius et plures praedicatores ad sacra Catholica transiissent. Jamque Catholici in eo praeprimis laborabant, ut majorem praedicatorum numerum ad idem faciendum permoverent, sperantes, fore, ut eorum exemplum maxima pars laicorum sequatur. Qui labor cum frustratus fuisset, conversiones per pecuniam tentabantur, quo quidem media aliquot millia ecclesiae Catholicae conciliata fuere. Quum vero id minime sufficeret, inde ab anno 1681. severiora media adhibebantur. Ac primo quidem decretum, ut vel septennium parvulorum declaratio voluntatis de amplectenda religione Catholica valeret ad eos, invitis parentibus, Catholice educandos. Parentum nonnullorum renitentia militari manu compescebatur, ad quas violentias evitandas jam plures Hugonottae patriam relinquere coeperunt. Deinde eodem adhuc 1681. anno, Louvois administer regem permovit, ut ad conversiones accelerandas militibus in provincias, ubi Hugonottae frequentissimi erant, mittendis consentiret. Igitur milites in domos, in cubicula illorum, qui sacra Catholica amplecti recusabant, collocati, multiplicibus molestiis et violentiis eos afficiebant. Hoc medio multa quidem Hugonottarum millia ad sacra Catholica perducti sunt, sed longe maxima pars in religione sua constanter perseveravit; ultra 200,000, labentibus tribus annis e Gallia fugerunt, quamquam emigratio sub severis poenis interdicta esset, iique, qui in fuga deprehendebantur, in carceres compingerentur, imo in ergastula nautica mitterentur. Tandem a. 1685. rex edictum Namnetense formaliter revocavit, et nonnisi praedicatoribus Hugonottarum licentiam e Gallia emigrandi concessit. Caeteri vi adhibita ad sacra Catholica frequentanda adigebantur. Reliquis pertinaciores in Americam septentrionalem deportabantur. Interea clandestinae multorum emigrationes perdurabant, quae etiam per aliquod tempus indulgebantur. Fugitivi in Helvetia, Batavia, Anglia et Germannia propter se-

am in opificiis, artificiis et manufacturis dexteritatem libenter excipiebantur. Imprimis Fridericus Guilielmus, elector Brandenburgicus, cui Calviniani in Germannia commoda, pace Westphalica sibi concessa debebant, oblatis maximis privilegiis et emolumentis, eos in suas terras invitavit, eo eventu, ut Berolini, Magdeburgi, Halae, Francofordii coetus Hugonottarum coalescerent. Qui in Gallia remanserunt, partim hypocritas agebant, partim sine omni religionis exercitio perdurabant.

Benoit histoire de l'edit de Nantes. Thulieres eclaircissemens historiques sur les causes de la revocation de l' edit de Nantes, et sur l' etat des Protestans en France. Erman et Reclam memoires pour sevir a l' histoire de refugiés François dans les etats du roi de Prusse.

§. 706. Fata Waldensium in Pedemontio.

Similem ac Hugonottae sortem Waldenses in Pe-emontio, religione eis affines, experti sunt. Hi a. 1653. ionasterium in pago Villario, nuper extructum suc-enderunt, et monachos abegerunt. Praeterea in multa ica sese diffuderant, in quibus habitare et religionem xercere ex pristina concessione eis minime licebat. gitur dux Sabaudiae a. 1655. praecepit, ut qui eorum eligionem Catholicam amplecti nollent, aut bona sua on vendiderint, sine mora domicilia sua relinquerent, t in duobus locis, Villario et Bobio, congregarentur. lures quidem paruerunt, caeteri autem armata manu ucis jussui se opposueruut, quapropter copiae contra os missae, a quibus multi in pugna occisi, alii capti rmentis enecati sunt. Non multo post civitates Hel-ticae, religioni Calvinianae addictae, pro Waldensi-s apud ducem Sabaudiae intercesserunt, eumque co-rante Gallorum legato permoverunt, ut eis liberum gionis exercitium illis in locis denuo indulgeret, in bus eis olim concessum fuerat, imo in compensatio-n damni, quod passi fuerant, tributa in aliquot an-remitteret. Hic status Waldensium usque ad an-

num 1685. perduravit, quo Ludovicus XIV., qui eodem anno edictum Namnetense revocavit, simul ducem ad abrogandum religionis exercitium, Waldensibus concessum permovit. Igitur praeceptum, ut eorum ecclesiae diruerentur, eorum liberi in religione Catholica educarentur, praedicatores et ludimagistri intra tres dies terra excederent. Quoniam vero Waldenses huic ducis edicto non ultro se submittebant, copiae contra eos missae sunt, illud executurae. Quibus cum Waldenses arma opponerent, bellum enatum est, quo copiae ducis omnes Waldensium sedes occuparunt. Horum plerique patriam reliquerunt; speciatim ultra 2000 virorum in vicinam ditionem Bernensem fugerunt, e qua, multis fugitivis Hugonottis aucti, a. 1689. suas sedes, militibus tum vacuas irruerunt, easque duce conivente, insuper et bello cum Gallis non multo post implicito, usque ad annum 1698., quo dux cum Gallis pacem fecit, tenuerunt. Vi hujus pacis dux Waldenses nunc e ditione sua expulit, unde plerique iterum in ditionem Bernensem se contulerunt. Plura autem centena eorum a. 1699., concesso libero religionis exercitio, propria constitutione ecclesiastica, jurium civilium aequalitate, datisque ad excolendum agris sylvestribus, in ducatum Würtembergensem recepta sunt.

Leyers allgemeine Geschichte der Waldenser. Aus dem Französischen. Moser actenmäfsige Geschichte der Waldenser überhaupt und ihrer Aufnahme und Anbau im Herzogthume Würtemberg insbesondere. Koller kurze Geschichte und gegenwärtiger Zustand der Würtembergischen Waldenser in Henkes Archiv für die neueste Kirchengeschichte. Bd. 4. St.

§. 707. Vicissitudines ecclesiasticae in insulis Britannicis. Sub Carolo II.

Etiam in Anglia Calviniani seu Puritani altero saeculi 17. dimidio aliquamdiu afflicti sunt. Carolus II. a. 1660. ad solium patris evectus, episcopos mox restituit,

atque ordines regni a. 1662. statuerunt, ut nemini eucharistiam administrare liceret, nisi qui liturgiam Episcopalium approbasset, et ab episcopo ordinatus esset, quo statuto ultra 2000 praedicatorum Presbyterianorum munera sua deposuerunt. Inde lites inter utramque factionem aucto fervore exarserunt. Episcopi de Puritanis adeo abjecte sentiebant, ut non tantum eorum praedicatores, ad se transeuntes denuo ordinarent, quod Catholicis non faciebant, sed etiam laicos, ecclesiae Episcopali accedentes rebaptizarent. Puritani e contra Episcopalibus multas reliquias ecclesiae Romanae magna cum vehementia exprobrabant. Rex Carolus, ut lites istas componeret, tales potissimum summis regni muneribus praeficiebat, qui e numero sic dictorum Latitudinariorum erant. Hi ex Arminianis descendebant, quorum principia, ab illis ipsis, qui synodo Dordracenae interfuerant, in Angliam allata, praecipue archiepiscopus Laudius foverat. Proprium Latitudinariis erat principium: pauca esse, ad salutem scitu et creditu necessaria, in quibus, cum Episcopales et Presbyteriani consentiant, opus non esse, ut propter reliquas res, minus graves, tam acriter inter se pugnent. Cum hac ratione viam ad coelum latiorem ostenderent, nomen suum indepti sunt. Reipsa genus erant indifferentistarum. Vivo Cromvellio principium suum caeteris persuadere non poterant, sed potius ut Deistae aut certe Sociniani plerisque invisi erant. Nunc quoque pauciores eis adstipulabantur, religionis studio, quo plerique occupati erant, animum ejusmodi laxioribus principiis occludente. Neque edictum tolerantiae, quod Carolus II. in favorem Nonconformium a. 1672. promulgavit, cum absque ordinum auctoritate, et a mente inter Episcopales tunc dominante alienum conditum esset, effectum sortitum est. Magistratus legibus potius, inde ab Elisabetha latis insistentes, plura millia Nonconformium partim carcere, partim pecunia mulctarunt. In ipsa Scotia Presbyteriani similem sortem experti sunt,

perstruxerunt, summis principibus deberi obedie illimitatam, adeoque etiam onerosas et injustas e leges, etsi non lubenti animo suscipiendas, at patienter tolerandas, seu obedientiam etiam pass eis praestandam, ac proinde eis nunquam resisten multo minus eos deponendos esse; cum e contra qui obedientiam erga summos principes, activam etam, ad ea duntaxat restringerent, quae ab *illis* ju leges regni fundamentales praescripta fuerint. Obedi tiae passivae defensores porro ecclesiam in *rebus* a civili potestate prorsus independentem, adeoque o illos episcopos illegitime depositos esse asserebant, cum caeteri regi et ordinibus amplissimam in res ecclesiasticas et in clerum potestatem vindicarent. Cum igitur illi de juribus regum, ecclesiae, et episcoporum conceptus adeo altos foverent, eorum factio ecclesia alta, opposita autem humilis dicta est.

Wood Athenae Oxonienses. Burnet histoire des derniers révolutions d'Angleterre. Ejusd. histoire de ce, qui s'est passé de plus memorable en Angleterre pendant la vie de Gilbert Burnet. Hume's Geschichte von Grofsbritannien. Ien them neu eröffneter engländischer Kirchen- und Schulstaat. Alberti Briefe, betreffend den allerneuesten Zustand der Religion und der Wissenschaften in Grofsbritannien.

§. 709. Balthasarus Becker.

Non quidem scissio, attamen commotio haud gua, hoc tempore in alia ecclesia Reformata, Bat scilicet, excitata est libro quodam, quem Baltha Becker, praedicator Amstelodamensis, jam antea tentiis heterodoxis notatus, a. 1691. Amstelod lingua Batavica sub titulo: mundus incantatus vulgavit. In hoc libro; secundum exemplum qui jam ante eum numerum et vim daemonum, bus sacrae litterae loquuntur, restrinxerant, tiam quidem bonorum et malorum angelorum attamen omnem in mundum et homines op

ris abjudicavit, atque huic placito convenienter scripturae loca, ubi de eis sermo instituitur, ex principio accommodationis interpretanda esse docuit, re vera autem sub diabolo vel pravas cupiditates, vel homines perversos, vel alias res intelligendas esse contendit. Itaque jam protoparentes non a diabolo, serpentis formam vel corpus induto, sed a concupiscentia sua seductos, Christum non a diabolo tentatum, sed de tentationibus cogitantem descriptum, daemoniacos non a diabolo obsessos, sed certis gravibus morbis affectos esse statuit; atque haec omnia multa cum fiducia, additis satyris et irrisionibus asseruit, et opinionem de ... monum in naturam et homines operatione, quae ... superstitione Ethnica ad Judaeos et Christianos ... missa fuerit, moralitati noxiam declaravit. Ejus ... r mox a consistorio Amstelodamensi et a synodo ... dam damnatus, auctor autem, cum retractare nol... a. 1692. ab alia synodo depositus, et a consistorio ... communicatus est. Hoc non obstante ejus liber mul... adeo placuit, ut non tantum saepius in lingua ori... ali recuderetur, sed etiam in Italicam, Hispanicam Germannicam verteretur, eumque effectum habuit, exinde quam plurimi in Batavia et extra eam, non tum spectra, magiam et similia, quae Beckerus pa... er impugnaverat, sed etiam, quae in sacris litteris angelis bonis et malis leguntur, non amplius cre... rent.

...enthem holländischer Kirchen- und Schulenstaat. Walch Einleitung in die Religions-Streitigkeiten ausser der evangelisch-lutherischen Kirche.

§. 710. Sors Protestantium in Hungaria.

In Hungaria sors Calvinianorum aeque ac Lutheranorum altero saeculi 17. dimidio pariter deterior red... a est. Ansam dedit conjuratio, quam a. 1667. plu... ex summis regni proceribus contra regem Leopoldum I. inierunt. Quam cum plurimi Protestantium,

sa, et a fidelitate erga regem aliena habe
universim liberum religionis exercitium eis
multisque in locis, praesertim Catholicoru
subjectis, ecclesiae et scholae eis ademtae,
tra illam Hungariae partem, quam Turcae
cultus divinus Protestantium publicus in p
bus vigeret. Anno tamen 1681. cum Apafius
Transsylvaniae ad quamdam Hungariae part
sibi arrogabat, occupandam, exercitum illu
multipue Hungari, imprimis Protestantes ei
viderentur, in comitiis Semproniensibus res
sublata, et Protestantibus facultas data, pra
relegatos revocandi, iisque in locis, ubi pr
sias habuerant, novas, salvo tamen jure d
fundi, aedificandi.

Vid. libros supra loco correspondente citatos.

§. 711. Lites Pietisticae inter Luthe Germannia. Spenerus.

In aliis terris status Lutheranorum ext
tempore turbatus non est. At inter eos ipso
mannia, posterioribus saeculi 17. annis, hau
lites et motus exorti sunt. His ansam dedit

ımmuni captui accommodata, ad practioos vitae transferre solebat, conventus privatos domi suae uebat, in quibus aliquos versus e n. t. practice ınabat, et maribus praesentibus facultatem conce-, suas desuper cogitationes et quaestiones pro-ndi. Quorum omnium finis, cum piorum animi rum et consiliorum excitatio esset, conventus isti gia pietatis dicti sunt. Quum inter Lutheranos ma-norum corruptela esset, imprimis vero pietas pas-ıegligeretur, et plerique in fide theoretica exter-e cultus divini actibus acquiescerent; praedicato-tiam, qui ipsi a pietate longe remoti erant, haec ırgerent, et in concionibus nonnisi dogmatice ac ıice versarentur, (quippe qui ipsi in universita-nonnisi in philosophia, dogmatica, polemica et etica instituti fuerant): Spenerus, horum omnium nationem desiderans a. 1675. librum vulgavit, pia eria inscriptum, in quo non tantum statum illum rsum descripsit, sed etiam media, quibus emen-posset, proposuit, velut: frequentiorem s. scriptu-praecipue n. t. lectionem, collegia pietatis, qua-ıse habebat, extensionem sacerdotii ad omnes tianos eo sensu, ut praeter ordinatos praedicato-uivis fidelis, ingruente indigentia, munera spiri-, praecipue munus institutionis, adhortationis, con-onis peragat, sedulam et jam parvulis frequenter itam admonitionem, fidem theoreticam non suffi-sed religionis caput in observandis mandatis con-e, emendationem institutionis theologicae, et ora-m ad sacram concionem dicendarum. Respectu ıtionis theologicae in piis desideriis, et in aliis is, postea editis, id imprimis ursit, theologiam onsistere in erudita cognitione veritatum religio-quae solummodo philosophia de rebus divinis no-i mereatur, sed potius in eo, ut veritates illae ı animum doctoris penetrent, et fontem pietatis pso et pro aliis in eo efficiant; unde porro infe-

reb hominem perversum, seu non regene
nomii s theologum non esse, et munus pr
non conversi exigui esse valoris. Hinc porr
theologiae candidati frequenter et graviter a
tur, majorem pietati, quam litteris operam e
dam, ut ex disciplinis philosophicis ad su
gica eis traderetur, ut philosophia, seu meth
lastica, terminis technicis referta, e theolog
gmatica penitus eliminaretur, ut polemica a
rias tantum controversias moderate gerenda
geretur, ut prae is studium biblicum,
erudito apparatu philologico, critico, et arch
sed potius meditatione et applicatione ad v
similiter doctrina morum coleretur, nec theo
stica negligeretur. Quae et similia cum Spe
mone modesto et mansueto, ab omni irrisio
hementia, opprobrio ac vituperatione alien
neret; ejus desideria et consilia, utut mori
dominantibus et inveteratis, plurimisque pro
versa, ab initio a paucis tantum impugnata
tra multorum approbationem nacta sunt. Ips
tum poterat, ut effectui quoque darentur,
exemplo, tum juvenibus ad sua consilia in
tum motis hinc inde reipublicae rectoribus,
dabat; et postquam a. 1686. supremus praedi
licus et consiliarius ecclesiasticus Dresdae fa
set, effecit, ut examina ex catechismo introdu
et praelectiones exegeticae in universitatibus
berentur.

§. 712. Pietistae.

Anno 1689. tres magistri in universitate I
inter quos Augustus Hermannus Franke ali
apud Spenerum vixerat, praelectiones in n. t.
tem Speneri in lingua vernacula habere co
quidem eventu, ut a pluribus centenis, int
am cives erant, frequentarentur. Haud pauci

i haec pietatis collegia, ut vocabantur, frequenta-
nt, non minus ac ipsi magistri, animi pietatem etiam
terne, devoto et modesto sermone, vestitu totoque
rporis habitu, abstinentia a consuetis oblectationi-
s, denique fervido quodam studio, pietatem ubique,
am in conventibus conversantium promovendi ma-
estabant. Quibus omnibus cum a caeteris hominibus
tinguerentur, singulari Pietistarum nomine compel-
antur. Hoc nomen, quocum adversarii conceptum
iae et affectatae pietatis conjungebant, postea omni-
tributum est, qui ad exemplum Speneri pieta-
n promotam volebant. Sed primis illis Pietistis Li-
ensibus Joannes Benedictus Carpzovius, theologiae
universitate Lipsiensi professor, ipsi Spenero variis
causis infensus, nec non praedicatores et consisto-
m Lipsiense se opposuerant, nec prius quieverunt,
am collegia pietatis, qualia etiam a nonnullis civi-
jam instituebantur, et universus pietismus edictis
licis prohibitus esset, et magistri illi a. 1691. Li-
am reliquissent. Haec eo minus a Spenero impediri
uerunt, quia ipse ante aliquod tempus electoris in-
nationem eo incurrerat, quod ejus mores in sacro
fessionis tribunali liberius arguisset. Incommodis
e sibi enatis permotus a. 1691. Berolinum abiit, ubi
epositus apud ecclesiam S. Nicolai et assessor con-
orii factus est. Ibi consilio suo effecit, ut in nova
versitate, quam tum elector Brandenburgicus Halae
onum erigebat, Frankejus, aliique a se informati
ecum consentientes, theologiae professores consti-
entur, qui jam theologiam secundum novam me-
um, a Spenero dudum propositam, tradere coe-
int. Eo autem indignatio aliarum universitatum,
sertim Saxonicarum excitata est. Pietistae nunc
n Halenses et Speneriani vocabantur, et jam plu-
s inter Lutheranos invisi esse coeperunt. Ad hanc
iam producendam illud quam maxime contulit,
l inter illos, qui ad exemplum Speneri pietatem

promotam volebant, haud pauci essent, qui
moderato ejus judicio destituti, vel animo aut
sia exaltata praediti, nimium progrediebantur,
consilia pervertebant. Sic in collegiis pietatis,
post Francofordiensia mox in pluribus urbibus
tuebantur, propter licentiam loquendi, omnib
tam, variae turbae et contentiones acciderunt, qu
pter in pluribus civitatibus prohibita, in aliis no
missa sunt. In nonnullis locis Pietistae ex superba
dam de sanctitate sua opinione cum caeteris velut
ditis hominibus sacra frequentare detrectabant,
paratos conventus sacros agebant, quod Franco
jam praesente Spenero acciderat. Nonnulli Pietist
totam doctrinam et constitutionem ecclesiae Luther
quam Babylonem vocabant, mutatam volebant.
que Spenerus in piis suis desideriis et alias s
spem melioris status ecclesiae prodidisset; non
recocto chiliasmo, novum regnum, a Christo
terris condendum annuntiabant. Multi sacra
ca, munus praedicatorum, philosophiam, theolog
omnemque eruditionem tanquam res verae pietat
versas vilipendebant et rejiciebant.

§. 713. Impetus in Spenerum.

Ipse Spenerus praeter ea, quae commemorat
rebus nimia et minus considerata protulit, etiam
ctoritatem librorum symbolicorum depressit, eos n
omnino necessarios, neque admodum utiles, neque
roribus prorsus vacuos judicans, eisque qui in illo
bros nonnisi eatenus, quatenus cum s. scriptura
sentiant, jurare volebant, parcendum esse existim
Porro exorcismum in baptismo usitatum, tanquam
tilem ritum, qui facile offendiculum praebere po
abrogatum voluit; atque cum quidam ex ejus disci
lis, praedicator Berolinensis permultis, quos indig
judicabat, in confessionis tribunali absolutionem de
garet, et in libro, eodem tempore edito, in totam

onalem, prout tunc agebatur, vehementer, nec
uviciis invectus fuisset; Spenerus in concioni-
sedandos motus inde excitatos habitis, non il-
esse declaravit, etiam sine absolutione; post
orationem praeparatoriam, et perceptam ab-
iem generalem ad mensam Domini accedere;
ue, ut elector cuivis libertatem ita agendi de-
t. Talia erant, quibus patroni antiquorum mo-
sententiarum, Orthodoxi aut Wittenbergenses
ti, contra Pietistas et Spenerum, quem tan-
eorum antesignanum considerabant, excitaban-
annes Fridericus Mayer, antea professor Wit-
ensis, nunc praedicator Hamburgensis a. 1690.
n reversale composuit, cui subscribentes polli-
r, se a libris symbolicis nullatenus recessuros,
qui ab aliquo tempore innotuissent, laxiores
os, nec non omnes phantasiastas reprobaturos,
cros, a majoribus acceptos fideliter conserva-
et omnes novationes evitaturos esse. Hoc scri-
ni Spenerus aliique contradixerunt, omnes mi-
clesiastici Hamburgenses subscripserunt; exce-
is, quos inter Horbius erat, Speneri affinis,
ayerus in suis concionibus haereseos adeo su-
reddidit, ut vitae periculum nonnisi fuga de-
Anno 1695. facultas theologica Wittenbergen-
m, sermone Theodisco conceptum vulgavit,
4 assertiones tanquam errores, ex scriptis
tracti proponebantur. Inter eas tales erant:
orale omnibus Christianis competere, fide-
s fidei nulli auctoritati humanae subesse;
conversantium non frequentare, adminicu-
cis internae, opera bona et vitam piam ad
necessaria, etiam extra ecclesiam Luthe-
, veram charitatem, Spiritum s., et salu-
osse, Christianos, Christi doctrinam non
itut baptizatos, non esse regeneratos, ab-
orem a veritate poenitentiae dependere;

emendationis propositum esse praeparationem
nitentiam, nomen sacerdotis praedicatoribus
petere, omnem vindictam Christianis prohibi
Christianos cohaeredes et consodales angelorum
ria coelesti futuros esse. Cum igitur in ho
multa inter errores relata essent, quae piis
hominibus non poterant non probari, ab alte
parte Speneras a rigida Lutheranorum orthodo
hinc inde deflexisset, et a novis suis sententii
rum, quam Orthodoxi a suis, dimoveri poss
insuper multi ex Pietistis alias res, minime
das, nec ipsi Spenero probatas assererent et
rent: ab hoc potissimum tempore acres int
ranos de rebus hactenus commemoratis li
exortae, et ultra 20 annos, adeoque sequent
mum saeculo agitatae sunt, eo quidem eventu
neri consilia, attamen nec omnia, nec tota ac
ejus conformata, paulatim effectui darentur,
clesia Lutherana in Germannia novam facien
multum diversam, indueret.

Schröckh allgemeine Biographie. 6. Th. Walch E
die Religionsstreitigkeiten der evangelisch-lutherisc
Schlegel Kirchengeschichte des 18. Jahrhundert
Timotheus Verinus. Zeltner Pachomii synopsis l
rum Pietisticar.

§. 714. Mystici et Phantasiastae i Lutheranos.

Praeter mysticos et phantasiastas, qui in
stas surrexerunt, ecclesia Lutherana alios ad
pertinentes, diversis temporibus produxit,
hic illos commemorasse sufficiat, qui majore
nis famam aut complures patronos et assec
sunt. Tales erant: Valentinus Weigel, pr
Tschopaviensis in Saxonia, mortuus a. 1588.,
ab anno primum 1610. innotuit, quo cantor T
viensis scripta ejus mystica et pietistica typis

ıit; Jacobus Boehme, sutor Goerlicii in Lusatia,
524. ibidem mortuus; Quirinus Kuhlmann, Wra-
viae a. 1651. natus, homo fere delirus, qui an-
iabat, Romam et Babylonem a se destruendam,
ɪe Judaeorum novam Jesu Christi monarchiam his
rris erigendam esse, quem in finem plures Euro-
erras, libellos, phantasmata et consilia ejus con-
tes spargens pervagabatur, et CPim usque, ac
m Moscoviam venit, ubi cum mercatore German-
sibi adhaerente a. 1689. jussu patriarchae tanquam
ticus et reipublicae periculosus cruciatus et vivus
rematus est [1]); J. Georgius Gichtel, Ratisbonen-
ıriscousultus, et procurator apud tribunal camerae
rialis, qui se a Deo ad mundum illustrandum ex-
ım, et singulari baptismo ignis ad id muneris de-
um opinatus est. Eum in finem erigere conabatur
dotium secundum ordinem Melchisedech, cujus
bra precibus et exercitiis asceticis sponte susce-
ıominum peccata expiarent, nec non ordinem fra-
Angelicorum, ita dictorum, quod vitam viverent
orum, in abstinentia a matrimonio, omnique cura
ɔore consistentem. Mortuus est a. 1710. Amstelo-
, non sine asseclis, ad posteros tamen haud pro-
is [2]). Omnes hi phantasiastae in eo convenerunt,
mysticorum in morem altiorem Dei rerumque di-
ım cognitionem, imo intuitionem jactarent, s.
uram secundum Spiritum s., seu ex lumine quo-
interno intelligi vellent, pia animi sensa, vel po-
ensiones urgerent, ecclesiam, imprimis praedica-
et theologos, corruptam pronuntiarent, eique re-
ıtionem procurare conarentur. Caeterum eorum
ı, propter vagos rerum conceptus et propter ser-
n figuratum magnam partem perobscura, non
n salutaribus institutionibus vacua, multo magis
phantasmatis, et singularibus opinionibus, he-
xia non carentibus, plena sunt. Inter eos Jaco-
ɔehme, qui in scriptis suis, terminologia alchy-

nes et phantasmata propendent, haud diffi-
cari potest.[3])

[1]) Adelung Geschichte der menschlichen Narrhe
[2]) Reinbecks Nachricht von Gichtels Lebenslauf
[3]) Jac. Böhme in Eberhards Biographien. Bruck
tica philosophiae. Arnold unparteyische Kirche
historie.

§. 715. Mystici in ecclesia Cath Molinosius.

Neque ecclesia Catholica mysticis cras
periodo caruit. Ex his erat Michael Molin
augustae in Hispania natus, qui, postqua
ordinatus fuisset, a. 1669. Romam venit, ibi
moribus et solertia in moderandis conscienti
aestimationem sibi comparavit. Anno 1675.
titulo: manuductio spiritualis, Hispanice sc
dit, mox in linguam Italicam, postea etia
cam et Latinam translatum. In eo crassiss
cismus continebatur, attamen pietatis ve
quam ob rem priori tempore a multis laud
majorem adhuc venerationem et fiduciam
comparavit. Anno autem 1685. legatus Gall

ıngi posse, ut cum eo unum sit, non forte secundum
ɔluntatem, sed secundum essentiam; animae in id
sum nitendum esse, idque potissimum effici oratione
ıssiva, in eo consistente, ut anima prorsus nihil agat,
hil, ne Deum quidem cogitet, nihil sentiat, nihil ve-
, sed in sancto quodam silentio ac quiete (unde no-
en Quietistarum) Dei operationi se committat; quo
ıt, ut anima, postquam antea pessimis tentationibus,
diabolo excitatis, et a Deo permissis, ab omnibus
ıssionibus et affectibus purgata esset, ad plenam in
eo quietem perveniat. Praeterquam, quod hoc ipsum
stema a doctrina evangelica longe alienum sit, mul-
e aliae assertiones moralitati adversae, libro intextae
ant, velut: animam tentationibus illis expositam,
nnis bonae cogitationis incapacem esse, tentationes
as esse despiciendas, et nonnisi passive iis resisten-
ım, qui plus patiatur, magis a Deo amari, quam qui
as boni faciat, confessarii praescriptis obsequendum
se, etiamsi Dei mandatis adversentur, hominem de
ccatis suis non inquietum esse oportere. Inter 68
opositiones, quas Innocentius papa XI. in singulari
lla, a. 1687. edita, tanquam in Molinosii libro con-
tas proscripsit, etiam hae erant: vota esse perfectio-
impedimenta; a Deo quidquam petere, imperfectionis
e; non oportere indulgentias lucrari, siquidem me-
sit, justitiae divinae satisfacere, quam misericor-
participem fieri velle; res spirituales fastidire bo-
esse, utpote quod ad sui amorem minuendum
ferat. E quibus haud obscure apparet, illum ma-
ıctorem spiritualem communem hominum naturam
non novisse aut non respexisse. Igitur Molinosius,
quam mox, libro in examen vocato, custodiae tra-
s fuisset, nunc examine a. 1687. finito, cilicio in-
ıs, et ceream ardentem manu tenens, in quamdam
esiam ductus est, ubi erroribus abjuratis, absolu-
em quidem accepit, libertati tamen non restitutus,
in custodia quadam monastica usque ad vitae finem

a. 1696., poenitentiam sibi impositam peragens, deten-
tus est.

Recueil de diverses piéces, concernans le Quietisme et
Quietistes. Jäger histor. ecclesiast. et polit. saeculi 17.
Argentré collectio judiciorum de novis erroribus.

§ 716. Joanna Guyon et Fenelonius.

Eodem tempore vidua quaedam nobilis in Ga[llia]
Joanna de Guyon, a confessario suo, Francisco la C[om]-
be, e clericis regularibus S. Pauli, cujus liber: a[naly]-
sis orationis mentalis, damnatus et suppressus fuit,
mysticismum, in quem alioquin propendebat, perd[ucta,]
Annecii, Gratianopoli, et postremo, inde ab anno 1[686]
Parisiis in privatis conventibus doctrinas de anni[hila]-
tione animae, de puro Dei amore, de plena a[nimi]
quiete, aliis persuadere conabatur, quam ob re[m in]
prioribus urbibus, curantibus episcopis amota, Pa[risiis]
vero a. 1687. custodiae tradita est. Ex hac tamen in[ter]-
cedentibus, quas nacta est, potentibus patronabus, b[re]-
vi iterum dimissa, institutiones suas continuavit, i[psum]-
que Franciscum Fenelonium, presbyterum, ab a[nno]
1689. nepotum regiorum paedagogum, postea archi[epi]-
scopum Cameracensem, in qua phantasia et animus se[n]-
sitivus fortior erat, iisdem conciliavit. Cum nonn[ulli]
episcopi contra Joannae coepta commoverentur, Fe[ne]-
lonius ei auctor extitit, ut doctrinas suas Bossueti, ce-
leberrimi episcopi Meldensis, judicio submitteret, qui
scriptis ejus examinatis declarationem 34 articulorum
ei proposuit. Hanc illa quidem subscripsit; cum vero
nihilominus ad mentem suam priorem docere pergeret,
Bossuetus ejus sententias, ipsa custodiae tradita, da-
mnavit, atque a Fenelonio ut idem faceret, postulavit.
Verum is mentem suam alio modo aperire malens, a.
1697. librum edidit, Gallice scriptum, cui titulus: ex-
plicatio sententiarum, quas sancti de vita interiori te-
nent. In hoc libro auctor praecipue sententiam expli-
cavit et defendit de puro Dei amore, qui tantus est,

ossit, ut animus, licet se a Deo rejectum et miseriae
eternae deputatum credat, eum nihilominus propter
psum amare pergat, et vitam aeternam non propter se,
ed propter Deum, ut ea fruatur volentem, desideret.
Praeterea Fenelonius in eodem libro sententias mysti-
orum circa contemplationem, statum passivum, mor-
em spiritualem, transformationem, unionem substan-
ialem cum Deo etc., in sanum sensum, et potissimum
e puro Dei amore explicavit. Nihilominus Bossuetus
llas sententias, utut ita explicatas impugnavit, unde,
Fenelonio eas defendente, lis agitata est, cujus deci-
ionem litigantes tandem pontifici detulerunt. Is acce-
lentibus ipsius regis precibus a. 1699. litteras breves
ransmisit, in quibus 23 propositiones ex libro Fene-
onii extractae, doctrinam de puro Dei amore, de per-
ecta animi quiete, de exiguo pretio orationis vocalis,
le praestantia contemplationis prae meditatione, de
entationibus diaboli, quibus nonnisi passive resisten-
lum sit, potissimum concernentes, tanquam scandalo-
ae, noxiae et erroneae, auctore tamen non comme-
norato, damnatae erant. Fenelonius egregio humilita-
is et submissionis exemplo non tantum censuram pon-
ificiam approbavit, sed etiam ipse, conscenso in eccle-
ia sua metropolitana sacro suggestu, praelegit, et au-
litores, ut eam sequerentur, admonuit, idemque in lit-
eris ad clerum suum datis fecit.

La vie de Mad. Guyon ecrite par elle meme. Ramsay histoire de'la vie de Mr. de Fenelon. D'Argentré lib. cit.

§. 717. Status litterarum generatim.

In methodum, doctrinas religionis proponendi, quae
dhuc enarranda est, conditio litterarum cunctarum,
icut omni tempore, ita et hac periodo non modicam
im habuit. Studium illud, litteras colendi, quod ex
more in litteraturam antiquorum Graecorum et Roma-
orum saeculo 15. enatum fuerat, etiam sequentibus
eculis perduravit, imo continuo auctum et propaga-

1543.) Tycho de Brahe († 1601.) Christopho
Jesuita Germanus, Vieta, et Finaeus, vi
Gallia. Longe majores in scientiis illis prog
sunt saeculo 17., quo de algebra altiori op
sunt Leibnitius et Isaacus Newton, Anglus,
tria Renatus Cartesius, et Blasius Paschal.
astronomia Joannes Kepler († 1630.) Christoph
ner, Jesuita Ingolstadiensis, Ricciolus Italu
lis et Cassinus Galli, et Newtonius. Tanti
scientiarum mathematicarum ad physicam p
non parum contulerunt, quae usque in saecu
bitrariis Aristotelis et Scholasticorum praece
pothesibus in statu misero detinebatur, co
figmentis philosophorum quorumdam phan
plus obfuscabatur, quam illustrabatur, et s
rumdam artium, suppositis arcanis naturae
tentium, sed a multis viris eruditis et nobili
aestimatarum et impense cultarum, velut ma
romantiae, alchymiae, astrologiae, admodum
erat. Primus, qui rectius physices studium p
erat Franciscus Baco de Verulam, Anglus, r
tocancellarius († 1626). Is in libro suo: nov

rat, feliciterque persequebatur ejus coaevus, Galilaeus, Pisanus, qui in urbe patria et Venetiis, scientias mathematicas et physicas docuit. († 1638) Is systema solare Copernici novis rationibus confirmavit, aëris gravitatem et elasticitatem detexit, et justam theoriam de motu condidit, atque etiam telescopum invenit. Ejus discipulus Toricellus barometron, Cornelius Drebbel Batavus thermometron, et alius Batavus microscopum invenit, Otto de Guerike autem Germannus Magdeburgi antliam pneumaticam. His aliisque instrumentis, nec non observationibus et experimentis diversissimis, frequenter et diligenter institutis, physica versus finem hujus periodi laetissimam faciem induit. Ars medica, quae jam saeculo 15. ex antiquorum medicorum Graecorum scriptis, tunc primum cognitis, in Italia et Anglia reformari coeperat, hac periodo successivos quidem, majores tamen nonnisi versus finem ejus progressus fecit. Jurisprudentia saeculo 16. adhuc ad jus civile Romanum et ad canonicum restricta erat. Illud tamen mox primis hujus periodi temporibus ope cognitionum philologicarum, archaeologicarum et historicarum, ex antiqua litteratura haustarum, multo melius quam antea explicabatur. Jus canonicum pristinum ab ipsis Lutheranis, qui novum condere non valebant, eatenus retentum traditumque est, quatenus eorum systemati non adversabatur. Catholici illud secundum morem pristinum colebant. Ei interdum nova augmenta, praesertim ex decretis concilii Tridentini accedebant. Sed et nonnulla fulcra, detecta decretalium Isidorianarum falsitate ei decesserunt. Gallicani libertatum ecclesiae suae defensores in pluribus ab eo recedebant, et varia opera, in quibus libertates illae propugnabantur ediderunt. Altero saeculi 17. dimidio nonnulii mellioris notae interpretes juris canonici surrexerunt, velut inter Gallos Doujatus et Alteserra, inter Belgas Espenius, qui Lovanii illud docuit. Eodem saeculo jurisprudentiae novae disciplinae, antea incultae accesserunt, scilicet jus na-

turae privatorum et gentium, quod primus, edito 1632. libro de jure belli ac pacis condidit Hugo Grotius, († 1645.) Samuel Pufendorf autem, a. 1632. in Saxonia natus, prius Lundi in Suecia jurisprudentiae professor, postremo intimus consiliarius Berolini, ubi 1694. mortuus est, eo applausu excoluit, ut elector latinus a. 1661. primam juris naturae cathedram Heidelbergae pro eo erigeret. Hermannus Conring, professor Helmstadiensis, a. 1606. in Frisia orientali natus († 1681.) vir in omni scientiarum genere versatus primus jus Germanniae publicum condidit, atque etiam de privato optime meritus est, quod utrumque per eum sedulo inter Germannos cultum est traditum. Sed et scientiae politicae jam 16. saeculo cultores invenerunt, nempe Nicolaum Machiavellum Florentinum, qui libro suo, princeps inscripto ambiguam famam consecutus est, Justum Lipsium saeculo 16. primo Lugduni Batavorum, postremo Lovanii, qui in sex libris civilis doctrinae, principia prudentiae politicae pro principe tradidit, Joannem Bodinum, jurisconsultum Gallum († 1595.) qui in libris sex de republica, primus jus civitatis methodo. systematica proponere conatus est.

§. 718. Speciatim philosophiae. Saeculo 16.

Non citius quam reliquae scientiae, philosophia ad eam perfectionem, cujus capax et indiga erat, perducta est. Primo hujus periodi tempore philosophia Aristotelico-scholastica adhuc cum omni barbarie, quam prioribus saeculis attraxerat, dominabatur. Eam propterea plures viri, ab antiquis, quos colebant, melius eruditi, impugnabant. Accessit, quod nonnulli ex sic dictis humanistis, praesertim Itali, puram Aristotelis philosophiam, seu Peripateticam scriptis colerent. His et universa meliori eruditione, indies latius diffusa, philosophia scholastica non quidem loco suo dejecta est, cum ad theologiam tradendam plane necessaria vi-

retur, et in libris celeberrimorum virorum, quos
eologi ceu fontem et normam scientiae suae colebant,
onaventurae, Thomae Aquinatis, Dunsii, regnaret,
que alia philosophia, quae illi substitui posset, prae-
 esset. Illud tamen effectum, ut a materiis et quae-
onibus inutilibus ac spinosis magis purgaretur, cum
ajori eruditione conjungeretur, et sermone minus bar-
ro traderetur. Ita purgata inter Catholicos per totam
nc periodum principatum retinuit. — Inter Prote-
ntes Melanchthon a repudiata prius omni philoso-
ia mox ad Aristotelem reversus est, eumque non
ntum dictis et scriptis commendavit, sed etiam in
lectica, physica, et ethica a se conscripta, et ad
um scholasticum destinata, illius doctrinas ita funda-
ento posuit, ut quae sibi minus vera et utilia vide-
ntur, omitteret, etiam Platonicorum et Stoicorum
ntentias adduceret, nonnulla de suo adjungeret, et ubi
mmodum erat, dicta ad usus practicos transferret.
 factum, ut philosophia Aristotelica abhinc etiam in-
 Protestantes regnaret, (Calviniani eam nunquam
miserant) et multorum scriptis explicaretur, inter
os Joachimus Camerarius Aristotelis ethicam et po-
cam illustravit. Imo progressu temporis, cum pole-
ca inter eos invalesceret, iterum philosophiam scho-
ticam, quae ad controversias theologicas gerendas
ılto melius instituebat, apud se introduxerunt. --
rum etiam purgatam illam philosophiam scholasti-
n inter ipsos Catholicos saeculo jam 16. haud pauci
petierunt, alii quidem directe et vehementer, velut
trus Ramus, Gallus, a. 1572. in nocte S. Bartholo-
ei occisus, Jordanus Brunus, et Franciscus Patri-
s, Clissae in Dalmatia natus, philosophiae Platoni-
 prius Ferariae, postea Romae, ubi a. 1597. mor-
ıs est, professor; alii eo, quod nova scita aut sy-
mata philosophica proponerent. Ex his nonnulli
ntasiastae potius erant, quam philosophi, qui qui-
n hinc inde in scriptis suis singulas observationes

et discussiones philosophicas sagaces et praestantes p
tulerunt, caeterum phantasiae somnia, eaque saepe
tis delira jactabant, et insuper cabbalae, magiae,
astrologiae arcanis occupabantur. Etiam Petrus Ra
propria scita introducere conabatur; nam rejecta d
lectica Aristotelis tres libros institutionum dialecti
rum edidit, in quibus autem plus ad bene disser
dum, quam ad recte cogitandum et judicandum in
tuebat. Hinc, quamquam Ramus asseclas in Gallia
plures in Germannia nactus esset, ejus tamen dialec
ca a plerisque rejecta est, et tandem ubique Aristot
cessit. Alii denique aliquam ex antiquis philosophi
resuscitare tentarunt, videlicet Franciscus Patricius
qui in opere: nova de universis philosophia, potiss
mum systema Neoplatonicorum communicavit, et Ju-
stus Lipsius, qui sua manuductione ad philosophiam
Stoicam, et dissertationibus de physiologia Stoica, stu-
dium hujus philosophiae excitare conatus, sed finem
suum tam parum quam Patricius consecutus est. In
practicam philosophiam eruditi hujus saeculi studia sua
minus converterunt, nisi forte excipias Michaelem Mon-
tanium, Gallum, qui in suis tentaminibus quam plu-
rimas observationes de morali hominis natura propo-
suit, caeterum scepticismum sectatus, et ejus amicum
Petrum Charronium, presbyterum, a. 1603. Parisiis
mortuum, qui in libro de sapientia, praescripta sua
ad principia quaedam practica, ex morali hominis na-
tura derivata reduxit.

§. 719. Saeculo 17.

Saeculo 17. plus praestitum est in philosophia.
Mox primo hujus saeculi tempore Franciscus Baco in
suis novem libris de dignitate et augmentis scientia-
rum, qui quamdam encyclopaediam et methodologiam
omnium scientiarum exhibent, eruditos monuit, ut
missis speculationibus, experientiae et diligenti rerum
naturae observationi insisterent; praeterea, quae adhuc

in philosophia, et quomodo praestanda sint, ostendit. Viam ab eo commendatam paulo post inivit Petrus Gassendus, a. 1592. in Provincia Gallica natus, praepositus ecclesiae Dignensis, prius Aquis Sextiis philosophiae, postea Parisiis matheseos professor, mortuus ibidem anno 1655. Is in suis exercitationibus paradoxis adversus Aristotelicos, a. 1624. editis, philosophos scholasticos totamque philosophiam Aristotelicam multis ex capitibus impetivit; systema quidem novum nullum condidit, at in suis institutionibus philosophiae, per observationes et inductiones ad plures novas veritates ascendit; caeterum nihil prorsus certum existimavit, et de multis rebus nonnisi discrepantes variorum philosophorum sententias attulit. Longe aliter versatus est ejus coaevus Renatus Cartesius nobili genere in agro Galliae Turonensi a. 1596. natus, qui aliquamdiu inter milites meruit, deinde ex patria in Bataviam se recepit, et tandem a. 1650. Holmiae mortuus est. Is sola fere speculatione usus novum systema philosophicum condidit, cujus doctrinae principales erant: essentiam spirituum in cogitando, corporum in extensione consistere; animo humano concetus quosdam innatos esse, inter hos etiam conceptum de ente perfectissimo, ad cujus perfectiones, cum praeprimis existentia pertineat, eo ipso Deum existere confectum esse. Caeterum Cartesius ad explicandas mutationes, in corpore et animo, (quae propter diversas as naturas in se invicem agere non posse putabat) sibi mutuo respondentes, assistentiam seu cooperationem divinam statuit, atque ut de omnium rerum veritate homo semel in vita dubitaret, voluit. Haec philosophia Cartesii, quae saltim majorem in investigando vero libertatem, et meliorem in philosophando methodum introduxit, etsi a multis impugnaretur, tamen sectas haud paucos in Germannia, Batavia, praecipue vero in Gallia nacta est, inter quos hic loci nominandus venit Nicolaus Malebranchius e congregatione

bantur sceptici, qui labente saeculo 17.
potissimum surrexerunt. Inter eos Petrus
etius, episcopus Abrincensis, qui episcop
deposito, apud Jesuitas Parisienses usque
1721. aetatis 91. vixit, incertudinem omnis
ita defendit, ut nonnisi per fidem in revela
propterea ratio penitus subjicienda sit, c
acquiri posse doceret. Post Cartesium exco
losophiae operam dedit Joannes Locke, Ang
natus, variis amplisque muneribus functus,
1704. Is in opere, cui titulus: tentamen de
mana, philosophiam Cartesianam examinavi
perscrutatione variarum illius facultatum er
conceptus et cognitiones humanas ex percepti
sus sive externi sive interni oriri, nullas igitu
mo innatas, et experientiam solam omnis v
philosophiae fontem esse, quam ob rem etiam
sicam, qua Cartesiani plurimum occupabant
xit. Lockii systemati abhinc Angli potissimum
runt. In Germannia Protestantica non multo
losophia Aristotelica pariter loco suo mov
Multum ad hoc contulit Christianus Thoma

ut quamquam a multis propterea impeteretur, et electore jubente Lipsia pelleretur, haud pauci dimisso Aristotele, eclecticorum in morem philosophari, talemque philosophiam in scholis tradere inciperent. Haec philosophandi ratio plurimum promota est a Godefrido Guilielmo Leibnitio, a. 1646. pariter Lipsiae nato, summi ingenii viro, et in omnibus fere scientiis, imprimis philosophia, mathesi, physica, jurisprudentia, et historia versato, quas omnes scriptis et novis magni momenti veritatibus inventis illustravit. Mortuus est a. 1716. tanquam bibliothecarius et consiliarius aulicus ducis Hannoverani. Is systemata philosophica antiquiora et recentiora emendavit, novisque veritatibus auxit. Principia: contradictionis, non discernendi, et rationis sufficientis rectius definivit, et stabilivit, monadologiam, harmoniam praestabilitam, et legem continuitatis invenit, atque his aliisque, etsi systema nullum conderet, materialia subministravit, e quibus sequenti saeculo nova philosophia, Leibnitio-Wolfiana condita est.

§. 720. Status litterarum theologicarum. Methodologia. Inter Catholicos.

Cum scientiae profanae, hactenus enarratae, satis [...]ri in statu minus laeto fuerint; theologicae multum ro[b]oris aut luminis ex eis capere non potuerunt. Hae quin[imo] citius ac illae felicius colebantur, et ad majorem [p]raestantiae gradum evehebantur. Non tamen omnes [n]ox in scholis tradebantur. Quae in his tradi sole[b]ant, erant: dogmatica, polemica et casuistica, qui[bu]s hinc inde interpretatio s. scripturae, hinc inde lin[gu]ae Orientales accedebant. Ad studia theologorum ty[p]um dirigenda plures scriptis monstrarunt, qua me[th]odo studium theologicum instituendum, quae scien[ti]ae a theologo acquirendae, quibus ex libris eae potis[si]mum hauriendae sint. Primo id fecit Erasmus Rotter[da]mensis, qui a. 1518. librum edidit sub titulo: ratio, [vel] methodus, compendio perveniendi ad veram theo-

post summas, definitionibus conciliorum, s
trum, et historiae ecclesiasticae diligentem o
varet, s. scripturae sedulo studeret, eumqu
Hebraicae et Graecae linguae cognitionem s
raret. Denique versus finem hujus periodi Jo
billon, Benedictinus e congregatione S. Mau
lia († 1707.) vir eruditissimus, praecipue in
antiquitatibus versatus, methodologiam th
communicavit in libro: de studiis monastici
scripto, et Buthilliero, Trappistarum abbati
qui in tractatu: de sanctitate et officiis sta
stici, litterarias monachorum occupationes
nem s. scripturae, et librorum quorumdam
lium restrinxerat. Inter illa studia, quae ea
clericalibus esse statuit, Mabillonius primum
scripturae n. t. assignavit, ad quam accedant
res ecclesiastici, concilia, jura canonica et civ
logia positiva et scholastica, casuistica, histo
siastica et profana, philosophia et variae scient
maticae, rhetoricae et philologicae. Verum ho
rumque virorum consilia systema studii theolo
tenus receptum parum mutarunt. Nam the
praesulibus ecclesiasticis difficile erat, a ducil

logici, addita in plerisque scholis bibliorum expositione amplificatus, et methodus theologiae scholasticae, omissis pluribus quaestionibus inutilibus emendata est; ut nihil dicatur de praeclaris operibus, ex omni fere disciplina theologica elaboratis, et extra scholas communi discendi cupidorum usui oblatis, ad qualia perficienda studium aliarum litterarum, praesertim philologicarum et historicarum, continuo magis propagatum, nec non monita et exempla Erasmi, Budaei, Galli, et Ludovici Vivis, Hispani, qui vero plerumque in Belgio vixit, denique necessitas et desiderium, Protestantes cohibendi, multum contulerunt.

§. 721. Inter Lutheranos.

Apud Protestantes in universum nec plures, nec aliae disciplinae in scholis theologicis tradebantur, quam apud Catholicos. Lutherani mox primo post ortum suum tempore, circa eruditionem theologicam in duas partes abierunt. Rigidioris orthodoxiae studiosi volebant, ut illa potissimum ex scriptis Lutheri hauriretur, qui philosophiam scholasticam penitus rejecerat, studio biblico scripta S. Augustini, imprimis ea, quae de gratia, praedestinatione, et libero arbitrio tractant, addiderat, et ampliori eruditione caruerat. Tali autem instructus erat Melanchthon, qui insuper de doctrinis religionis philosophabatur, antiquitatem Christianam magis colebat, Augustino alios patres adjungebat, atque haec et similia, velut cognitionem antiquorum canonum, studium veterum Graecorum et Romanorum, usum dialectices etc. in sua brevi discendae theologiae ratione commendavit. Ex ejus discipulis David Chytraeus, theologus Rostockiensis († 1600.) in oratione de studio theologiae recte instituendo, a. 1557. typis vulgata, magistri vestigiis inhaesit, et praeterea Lombardi sententias, Gratiani decretum, et historiam ecclesiasticam, ex Eusebio potissimum discendam, commendavit. Joannes Gerardus, theologus Jenensis, in methodo

ex fontibus doceri, et praeterea scripta Lut
trum, et scholasticorum legi voluit. Amplior
dam mutationem circa studium theologicum
et per numerosos suos discipulos aliquatenu
quoque dedit Georgius Calixtus, cujus circa i
consilia demum post mortem ejus, non tam
scripta comparuerunt in apparatu theologico
a filio ejus typis communicato. Is igitur praep
dium historiae ecclesiasticae ursit, quam qui
theologi nomen haud mereantur; praeter lingu
cam et Hebraicam etiam Syro-Chaldaicam
cam commendavit, atque etiam theologiam
cam coli voluit. Reapse illis temporibus ph
scholastica in dogmatica, maxime vero in p
quae prae caeteris colebatur, inter Lutheranos
nus quam inter Catholicos, a quibus utique
bantur, adhibita, studium vero biblicum ade
ctum deprehenditur, ut in universitatibus Saxon
lectiones in libros sacros nullae haberentur. T
studii theologici Spenerus permotus fuit, u
suis desideriis aliisque scriptis reformationem
perius descriptam commendaret, quae exeunt

laribus libris, sed exemplo suo talem methodum proposuerunt, quae studium biblicum primario loco ponebat, linguam Hebraicam et Graecam, textus sacri crisin, antiquae ecclesiae historiam, et scriptores ecclesiasticos, polemicam, philosophiam, et antiquorum Graecorum ac Romanorum literaturam commendabat. Mature etiam aliquis eorum, Gerardus Andreas, ab urbe natali in Flandria Hyperius dictus, qui anno 1564. tanquam theologiae in universitate Marburgensi professor mortuus est, de methodo studii theologici scripsit in quatuor libris, qui a. 1556. sub titulo: de theologo, seu de ratione studii theologici in lucem prodierunt, tantamque approbationem nacti sunt, ut Laurentius Villavincentius, Hispanus, ordinis Augustinianorum, theologiae in universitate Lovaniensi professor, eosdem, omissis iis, quae Protestantismum sapiebant, usibus Catholicorum accommodatos, his ipsis typo communicaret. Hyperius imprimis theologiae studiosos ad animum a vitiis et affectibus purgandum, et ad pietatem sectandam, ad frequentes preces, ad conversationem cum theologis bene eruditis, tanquam totidem adminicula in studio theologiae, cujus altum sibi conceptum efforment, proficiendi hortatur. Demonstrata necessitate praecognitionum grammaticarum, rhetoricarum, philosophicarum, nec non linguarum Hebraicae ac Graecae, initium studii theologici a s. scriptura fieri praescripsit, quam sequatur dogmatica, cujus diversae materiae secundum ordinem celebris alicujus patris vel scholastici disponantur, imprimis effatis biblicis comprobentur, et dein sententiis celebriorum theologiae doctorum stabiliantur. Huic studio adjungantur disputationes, declamationes, et elucubrationes, scripto demandandae. Postremo cognitiones historiae ecclesiasticae et juris canonici, ex lectione ipsorum fontium, actorum synodalium, epistolarum canonicarum et decretalium etc. acquirantur. Qui post Hyperium ex Calvinianis de methodo studii theologici

cumentis, communicatis aut illustratis factis, antea vel non, vel parum cognitis, per annales Baronii plurimum locupletata est. In eloquendo auctor plus inquirit et disputat, quam simpliciter enarrat. Ejus opus plerisque Catholicis erat probatissimum. Plures illud continuarunt, videlicet: Abrahamus Bzovius, Polonus, ordinis Praedicatorum, qui historiam ab anno 1199. inchoatam, et usque ad annum 1564. productam, Romae a. 1616. octo voluminibus in folio vulgavit, in cunctis Baronio deterior, et immoderatus ordinis sui laudator; — Henricus Spondanus (de Sponde) Pamiensis in Gallia episcopus, qui suam Baronii continuationem ab anno 1168. inchoavit et usque ad annum 1640. produxit, priori moderatior breviorque, utpote qui nonnisi duos tomos in folio implevit, a. 1641. Parisiis in lucem emissos; — Odoricus Raynaldus, ejusdem, cujus Baronius, congregationis presbyter, postea cardinalis, cui non minus ac illi aditus ad bibliothecam Vaticanam patebat, ex qua et ipse multa nova documenta produxit. Cum eundem ac Baronius scopum sibi propositum haberet, similes ex eo naevos attraxit, et insuper prolixius narravit, utpote qui historiâ ab a. 1198 — 1565. 9 tomos in folio implevit, quorum 8 priores Romae 1646 — 1663. prodierunt. Bzovius, Spondanus, aliique annales Baronii in epitomen redegerunt, qualem Raynaldus ex sua continuatione ipse extraxit. Baronii opus a pluribus Protestantibus impugnatum est. Ex Catholicis vero Antonius Pagius, Gallus, ordinis S. Francisci, idem partim emendavit, partim illustravit et complevit in sua critica historico-chronologica in annales Baronii, 4 voluminibus in folio comprehensa, quorum primum jam a. 1689. Parisiis prodiit, omnia vero post mortem auctoris, a. 1705. Coloniae Allobrogum typis impressa sunt.

§. 724. Continuatio.

Praeter Pagium et Spondanum, qui operam suam annalibus Baronianis impenderunt, multi alii Gallorum

ılo 17. historiae ecclesiasticae excolendae studia
ledicarunt, et multiplicia ac praestantissima opera
arunt, partim universam historiam complectentia,
m singulas ex ea materias pertractantia, ad quod
ndum prae caeteris Catholicis sive contentionibus
Hugonottis, sive studio, libertates ecclesiae suae
ra sedem pontificiam ope historiae vindicandi, in-
antur. Universam ecclesiae historiam enarrarunt:
nius Godeau, episcopus Vincensis, cujus opus,
ione Gallico scriptum, sub titulo: historia eccle-
, Parisiis a. 1653. 3 voll. fol. comparuit. In eo hi-
a v. t. et 9 priorum ecclesiae Christianae saeculo-
secundum annorum seriem non tam pro eruditis,
n pro cultioribus omnis generis hominibus stylo
i, perspicuo, et venusto, nec sine crisi, ad augen-
de veritate fidei Catholicae persuasionem, et pro-
endam pietatem enarrata est; — Natalis Alexander,
is Praedicatorum, qui Parisiis philosophiam et
ogiam docuit, et anno 1724. aetatis 86. mortuus
Ejus historia ecclesiastica v. et n. t. usque ad finem
li 16., quae primo Parisiis ab anno 1676. 30 voll.
tea 8 voll. fol. prodiit, sermone Latino ita com-
est, ut breviori cujusvis saeculi conspectui dis-
ones historicae, chronologicae, criticae, et do-
ae de rebus gravioribus subjungantur. Alexander
liberalitate usus est, et ubique jura ecclesiae ac
ntium contra pontifices vindicavit; — Claudius
, presbyter saecularis, a Ludovico XV., cui a
onibus erat, abbatia Argentiliensi donatus. Is,
n jam antea mores primaevorum Christianorum
isset, et historiam juris canonici composuisset,
1690. historiam ecclesiasticam, Gallice scri-
gavit, a Christi ascensione coeptam, et usque
ium Constantiense 20 voll. 4. productam. In
emorabiliores secundum omnes circumstan-
a seriem annorum sermone facili et amoeno,
n excitandam apto enarrantur. Non caret cri-

ab anno 1693. 16 voll. 4. lingua Gallica e
riam ex ipsis testium et scriptorum origina
contexuit, ut proprias suas observationes
jungendas vel illustrandas necessarias, parti
theses textui insereret, partim in notis ei
Sed multo plures inter Gallos saeculo 17. e
singulas partes, vel materias, vel subsidia
clesiasticae non minori diligentia et acribia,
ditione colerent. Alii scriptores ecclesiastic
quioris sive medii aevi, vel documenta histo
tim acta conciliorum eruditissimis annotati
strata, orbi litterario communicarunt. Tales
tae: Jacobus Sirmondus, († 1651. aetatis 93
Petavius (Petau † 1654.) Theophilus Rayna
Philippus Labbeus († 1667.) Petrus Poussi
porro Nicolaus Rigaultius, juris consultus, H
lesius, causidicus curiae Parisinae, et hist
regius († 1676.), Dacherius (d' Achery) Be
congregatione S. Mauri, Franciscus Comb
minicanus († 1679.) Joannes Cotelerius (Cote
theologus Parisiensis, Stephanus Baluzius (†
fessor juris canonici Parisiis, qui collection

ere: de concordia sacerdotii et imperii; Joannes
ius, presbyter congregationis oratorii († 1659.),
rum Orientalium peritissimus, qui praecipue hi-
m poenitentiae ecclesiasticae et sacrarum ordina-
m dilucidavit; Joannes Launoi († 1678.) theologus
iensis, qui ampla sua historiae ecclesiasticae cogni-
, et ingenio critico ad fabulas, praecipue ex actis
orum eliminandas, et ad libertates ecclesiae Galli-
vindicandas usus est; Ludovicus Thomassinus e
regatione oratorii, qui Lugduni, Salmurii, et Pari-
hilosophiam ac theologiam docuit († 1695.), auctor
letissimi et eruditissimi operis: de disciplina eccle-
ca circa beneficia et beneficiatos; Adrianus Baillet
6.) qui historiam cultus sanctorum et festorum ec-
sticorum dilucidavit, actisque sanctorum severae
subjectis, eorum vitas e solis testimoniis authenti-
arravit; Theodoricus Ruinardus, Maurinus († 1709.)
incera martyrum acta collegit; Ludovicus Elias Du
doctor Sorbonnicus, Parisiis philosophiae profes-
† 1719.) qui praeter multa alia opera, a. 1686. dis-
tiones historicas de antiqua ecclesiae disciplina, et
odem anno novam bibliothecam scriptorum eccle-
corum tum antiquorum, tum recentiorum, Gallice
tam, multisque tomis comprehensam edidit. Alii
que historias particulares elucubrarunt, velut: Ca-
Le Cointe, presbyter oratorii, auctor annalium ec-
asticorum Galliae; Ludovicus Maimbourg, Jesuita
86.) qui praeter alia historiam Protestantium modo
em amoeno, sed veritati non ubique conformiter
ravit; Bossuetus, auctor duplicis operis historici,
ice scripti, nimirum: historiae variationum, quas
estantes in doctrina religionis successive admise-
, et discursuum de historia universali usque ad
lum Magnum, in quibus religionem tanquam cen-
totius historiae ita proposuit, ut omnia nonnisi
ter eam facta fuisse videantur; Mabillonius, ex cu-

jus operibus huc pertinent: acta sanctorum
Benedicti, et annales ordinis Benedictini.

§. 725. Continuatio.

Inter caeteros populos Catholicos, histo
siasticae cultores non quidem defuerunt; eor
labores cum iis, quae Galli praestiterunt,
non possunt. Inter Italos Paulus Sarpi, Ser
tianus († 1623.) historiam concilii Tridentini c
sed fini suo, sedem pontificiam diffamandi a
tam. Hinc Sforza Palavicinius, cardinalis e
Jesu († 1667.) aliam ejusdem concilii historiam
suit, Sarpianae oppositam. Leo Allatius (d'A
Chio insula natus, ad ecclesiam Romanam tr
sus, et bibliothecae Vaticanae custos factus (
pluribus scriptoribus Graecis primum editis, p
que operibus, inter quae praecipuum est: de p
consensione ecclesiae Graecae et Latinae, am
historiae rituumque sacrorum Orientalium cogn
Latinis subministravit. Joannes Bona, ex Mona
stertiensi ad dignitatem cardinalitiam evectus (
liturgias antiquae ecclesiae earumque historiam
cum eruditione dilucidavit. Henricus Noris, V
sis, ordinis eremitarum S. Augustini, Pisis aliq
historiae ecclesiasticae professor tandem car
(† 1704.) plura opera ecclesiastico-historica com
inter quae eminent: historia Pelagiana, et histo
vestiturarum. — Ex Hispanis hic loci commemo
venit solus Josephus Saenz Aguirre, ordinis S. Be
Salmanticae theologiae professor, tandem et ip
dinalis. († 1699.) Is acta synodorum in Hispan
Europaea, quam Americana habitarum, aliaque
menta ecclesiastico-historica collegit, et dissert
bus ac notis illustravit. Inter Belgas Jesuitae in
dria, Joannes Bollandus († 1665.), Godefridus
schenius, Daniel Papebrochius, et post hos alii,
Bollandistae, dicti acta sanctorum omnium quo

orbe coluntur, vel a Catholicis scriptoribus cele-
tur, juxta ordinem calendarii colligere, et disqui-
ıes eruditas in ea conscribere coeperunt, quod opus
ssimi ambitus etiam sequenti periodo usque ad sanc-
nensis Octobris continuatum est. Ex Hibernis Lu-
Wadding, ordinis S. Francisci, amplos ejusdem
ıis annales conscripsit. Ex Germannis denique Ja-
s Gretser, Suevus, e societate Jesu, professor In-
adiensis († 1625.) historiam quorumdam rituum
ı cum eruditione illustravit, Lucas Holstenius au-
Hamburgensis, post suum ad ecclesiam Catholi-
transitum, Romae ad D. Petrum canonicus, et
othecae Vaticanae custos († 1661) plures disserta-
s in historiam ecclesiasticam conscripsit, et regu-
ıonasticas omnes collegit.

5. Status historiae ecclesiasticae inter Lutheranos.

Lutherani centuriis Magdeburgensibus acquiescen-
eliquo hujus periodi tempore majores in excolenda
ria ecclesiastica progressus vix fecerunt, et nonnisi
epitomes et compendia ex opere suo principali ex-
runt. Inter illos, qui hoc fecerunt, notatu dignior
Lucas Osiander, theologus Tubingensis, qui suam
riarum epitomen, exeunte saeculo 16. editam, et
a in linguam Germannicam et Suecicam transla-
ac continuatione usque ad finem saeculi 16. au-
, 9 tomis in quarto complexus est. Adamus Re-
berg, eruditus Lipsiensis, qui etiam plures disser-
ıes de diversis materiis ad historiam ecclesiasticam
antibus elaboravit, a. 1697. summarium historiae
siasticae in usum studiosae juventutis edidit, in quo
ia primum in periodos distributa, et cuivis sae-
observationes pragmaticae et resultata historica
cta erant. Praeter hos nonnulli singulis materiis
iastico-historicis dilucidandis operam impende-
Sed versus finem hujus periodi opus lingua Teuto-

clericis eorum descendere, haereticos aute
mines pios, qui ab illis variorum errorum
immerito accusati et injuste oppressi fueri
suasioni convenienter historiam enarravit,
orthodoxos Lutheranos contra suos disside
satos fuisse ostendit, eorumque violentias,
rores et ineptias plene proposuit. Ita quidem
ria a partium studio minime aliena erat, eff
ut ad ejus assertiones refutandas, quod a mul
vehementia factum est, plurimae relationes
nes, de quarum veritate hactenus non dubit
nuo examinarentur, et de multis eventibus al
ea, et non raro in favorem haereticorum stat

§. 727. Inter Calvinianos et Angl

Inter Calvinianos sero admodum pauci s
qui historiam ecclesiasticam generaliorem
susciperent. Primus erat J. Henricus Hotting
gus Tigurinus, cujus historia ecclesiastica ab
in lucem prodiit. Comprehendebatur 9 vol
octavo, quorum 4 priores historiam usque a
16. enarrabant, posteriores 5 primo res ab
dem saeculi usque ad initium sic dictae re

ates physicas velut indicia futurorum ecclesiae et
tum fatorum enarravit. Post Hottingerum Frideri-
panheim, junior, Lugduni Batavorum, qui etiam
lare opus de geographia biblica et ecclesiastica
sit, historiam ecclesiasticam, in saecula divisam
e ad initia reformationis ita enarravit, ut ubique
nium et scriptores Gallicos refutare conaretur. To-
opus a. 1689. Lugduni Batavorum sub titulo: sum-
istoriae ecclesiasticae a Christo nato ad saeculum
choatum uno volumine in folio comparuit. Deni-
Jacobus Basnage, praedicator Calvinianorum Ha-
lingua Gallica utentium, a. 1690. historiam reli-
s ecclesiarum Reformatarum, anno autem 1699.
riam ecclesiae inde a Christo nato usque ad prae-
tempus, utramque sermone Gallico conscriptam
: Cum auctor ope historiae suos vindicare, Ca-
os defectionis a primaeva ecclesia reos compro-
intenderet; in posteriori opere nonnisi historiam
inis sacri, dogmatum et rituum, inter Catholicos
lvinianos controversorum, usque in saeculum 11.
historiam Waldensium et Albigensium, tanquam
n, qui Calvinistis praeluserunt, denique ipsius re-
tionis enarravit. Eundem finem apologetico-pole-
m sibi propositum habebant reliqui, numero non
, qui ex Calvinianis, praecipue Hugonottis, sae-
17. singulas partes vel materias historiae eccle-
cae calamo pertractandas susceperunt, ad quod
dum scriptis Catholicorum potissimum excitaban-
Inter Batavos saeculo 17. mos invaluit, historiam
siasticam in ipsa exegesi enarrandi, quandoqui-
illi, sicut Protestantes in universum, sibi persua-
habebant, ecclesiae fata in libris propheticis, ma-
in Apocalypsi praedicta esse, unde ex eorum in-
etatione reliqua adhuc ecclesiae fata divinabant.
alvinistis Germannicis solus Abrahamus Scultetus,
ogus Heidelbergensis († 1625.), editis annalibus
nationis, usque ad annum 1536. pertingentibus,

opus aliquod, ad historiam spectans ecclesi
confecit. Eo feracior ejusmodi operum erat
Anglicana, in qua Jacobus Usher, archiepisc
macanus († 1655.) annales v. et n. t. concin
antiquitates ecclesiarum Britannicarum, histor
lagianismi, Godeschalci et litium praedestina
illustravit; Joannes Pearsonius, episcopus C
(† 1686.) de historia apostoli Pauli, et Cypri
scopi Carthaginensis, de symbolo apostolico e
mis pontificibus Romanis scripsit; Guilielmus
dgius, episcopus ad S. Asaphum († 1707.) cano
stolorum, conciliorum in ecclesia Graeca va
et epistolas canonicas patrum collegit ac dil
Dodwellus, professor historiae apud Oxonienses
in suis dissertationibus de Irenaeo et Cypriano
tates ecclesiasticas perscrutatus est; Guilielmu
praedicator aulicus et canonicus Vindesoriensis
de religione et moribus primaevorum Christi
scripsit, et historiam litterariam scriptorum e
sticorum exaravit; Gilbertus Burnetus, episco
risberiensis († 1714.) historiam reformationis ec
sticae in Anglia composuit.

§. 728. Status studii biblici.
Inter Catholicos.

Studium biblicum, quod jam sub finem praec
tis periodi crescere coeperat, praesenti continua f
crementa cepit. Quod imprimis linguas biblicas a
Graeca passim in scholis docebatur, et a plurimi
batur; Hebraicae quoque in pluribus locis profe
constituebantur. Talis erat Franciscus Vatablus, (
vir etiam in Graeco versatissimus, qui linguam H
cam Parisiis publice ita docuit, ut etiam Judaei
bundi eum audirent. Non tantum autem gramm
Hebraicam tradebat, sed etiam, sicut illi, qui lin
Graeca

Graecam Parisiis docebant, theoriae applicationem ostensurus, diversas s. scripturae partes oretenus interpretabatur. Has interpretationes, breves quidem, sed dilucidas et justas, nec non observationes de recto modo interpretandi, Robertus Stephanus, typographus Parisiensis, qui eas a quodam Vatabli discipulo, charta exceptas obtinuerat, a. 1545. typo vulgavit. Eodem tempore, quo Vatablus, floruit Santes Pagninus, ordinis Praedicatorum, Luccae in Italia natus, denatus 1541. Lugduni Gallorum. Is non tantum Graecae et Hebraicae, sed etiam Arabicae linguae admodum gnarus erat, edididitque a. 1526. grammaticam Hebraicam sub titulo: institutionum Hebraicarum libri quatuor, et a. 1529. thesaurum linguae sanctae, i. e. lexicon Hebraeo-Latinum, longo abhinc tempore praestantissimum sui generis, in quo omni data occasione ad textum biblicum respiciebatur. Saeculo 17. Josephus Brunner, Friburgi Brisgoviae a. 1605. rudimenta Hebraica; Philippus Thomas autem, ex Judaeo Christianus, et Parisiis linguae Hebraicae professor, qui etiam de exegesi bene meritus est, a. 1629. lexicum Hebraicum, Chaldaicum et Rabbinicum edidit; Joannes Morinus denique in opusculis Hebraeo-Samariticis, Lutetiae a. 1657. editis, etiam grammaticam et lexicum Samariticum exhibuit. Caeterum illi, qui hac aetate linguae Hebraicae studebant, hoc adhuc vitio laborabant, ut ad ipsum textum biblicum minus attendentes, Rabbinis nimium fiderent.

§. 729. Continuatio.

Ad promovendam s. scripturae intelligentiam etiam versiones bibliorum Orientales orbi litterario typis communicabantur. Romae versio Alexandrina typis edita fuit, quae editio Vaticana dici consuevit. Morinus a. 1628. eandem versionem, una cum versione Latina, praefatione et prolegomenis edidit, post aliquot annos exercitationes ecclesiasticas in utrumque Samaritanorum Pentateuchum vulgavit, et textus Hebraici sinceritatem

illustratam edidit, et praeterea observatione
nem Italam evangelii S. Matthaei, nec no
nem bibliorum S. Hieronymi contra critic
lingua Gallica scripsit; Natalis Alexander
tationem de vulgata s. scripturae versione,
tionem apologeticam et anticriticam adversu
Frassenium exaravit. Joannes Albertus Wid
Austriae cancellarius, Syriacam n. t. versio
Moses, a patriarcha Maronitarum ad Julium
ablegatus, secum attulerat, eodem coopera
nando I. imperatore sumtus suppeditante, a.
nae typis imprimi curavit. Plures versiones
Orientales in sic dictis polyglottis exhibeban
hac periodo duo confecta sunt, altera Antwe
annum 1570., altera Parisiis a. 1645. Antverpie
etiam regia vocata sunt, quia Philippus II.
niarum sumtus suppeditavit, 8 tomis in foli
quorum 4 priores textum Hebraeum, version
tam, Alexandrinam cum translatione Latina,
paraphrases Chaldaicas, pariter in Latinum
exhibent; tomus 5. textum Graecum, Vulgata
sionem Syriacam n. t. cum posterioris transl

phabethicam idiotismorum Hebraicorum respondentibus phrasibus Latinis explicatorum, porro 9 libros antiquitatum Judaicarum continet. Totus hic tomus a Benedicto Aria Montano, Hispalensi, presbytero et theologiae doctore, linguarum Orientalium peritissimo († 1598.) qui totius operis supremam inspectionem ac curam gessit, descendit. Polyglotta Parisiensia, quae Michael Le Jay, causidicus curiae Parisinae, linguarum Orientalium cultor eximius, adhibitis pluribus viris, earumdem peritissimis, suis sumtibus procuravit, in 10 tomis in folio praeter ea, quae Antverpiensia habebant, Syriacam veteris et Arabicam utriusque testamenti versionem, utramque in Latinum translatam, et insuper duplicem Samaritanorum Pentateuchum sistebant.

§. 730. Continuatio.

Plures ex cultoribus studii biblici etiam collationi ariorum codicum s. scripturae, collectioni variarum ctionum in illis deprehensarum, et emendationi texs, ista ratione efficiendae curas suas impenderunt, ate ita fundamenta artis criticae posuerunt. Sic David mberg, Antverpiensis, Venetiis typographus, suis bliorum Hebraicorum editionibus, quales ab a. 1518 a 1544. quinque procuravit, plures lectiones varias addit. Idem biblia Rabbinica iterato edidit, in quibus ommentarii celeberrimorum Rabbinorum, paraphrases aldaicae, tota Masora, et plures adhuc variantes contebantur. Novum testamentum Erasmus Rotterdamenhac periodo quater edidit, atque in editione, a. 1527. curata ultra centum loca textus ad textum Complusem immutavit. Sed omnes ejus editiones a pluribus ologis, praecipue a Jacobo Laurentio Stunica Comtensi, viro erudito, sagaci, et in linguis biblicis addum versato, variorum naevorum et defectuum, nec merito arguebantur. Post Erasmum Robertus Stepha- collatis multis manuscriptis n. t. codicibus, hujus tum, hactenus usitatum in plurimis locis mutavit,

et ita mutatum in tribus suis n. t. editionibu
tu exhibuit, ut abhinc communiter suscipere
per in tertia editione, a. 1550. adornata, pri
tula in versus distribuit, pariter usque ad l
diem retentos. Versionem Latinam, vulgata
quam concilium Tridentinum quam emendat
pis imprimendam decrevit, Romani pontifices
tiquos manuscriptos codices, at vero hinc i
juxta textum originalem emendari curarunt,
Sixtus V., et post eum, adhibita nova emendat
mens VIII. eam typis mandari jussit, simul p
tes, ne ejus editionibus in posterum variae lect
jungerentur, quod plures, qui interea edition
tae procuraverant, nominatim Robertus Steph
post hunc theologi Lovanienses, facere consue

§. 731. Continuatio.

Singulares libri, ad archaeologiam biblica
introductionem in s. scripturam pertinentes, pa
et minus sufficientes hac periodo scripti sunt. Int
modi pertinent: libri novem antiquitatum Judai
ab Aria Montano compositi, et in polyglottis A
piensibus primum exhibiti; bibliotheca sancta, a
Senensi, ordinis Praedicatorum († 1569.) conc
quae universim institutiones ad cognoscendos l
bros sacros quam subsidia, justae eorum intelli
inservientia continet; proloquia in totam s. scrip
et onomasticon locorum s. scripturae, auctore
Bonfrerio, saeculo 17. presbytero Gallo e societ
su. Onomasticon proprie versio est libri Eusebi
sareensis, ab Hieronymo Latine redditi, attame
plementis et annotationibus nec non tabula geog
ca aucta; libri 8 de republica Hebraeorum, que
ravit Joannes Stephanus Menochius, Ticinensis,
cietate Jesu, qui in variis urbibus litteras theol
docuit, et a. 1655. Romae mortuus est; historia
gelica, confirmata per Judaicam et Romanam,

Gallice scriptam Parisiis a. 1696. edidit Paulus Pezron, Cistertiensis, aliquamdiu theologiae professor et abbas († 1706.); institutiones biblicae seu s. scripturae prolegomena una cum selectis annotationibus in Pentateuchum, exarata a Joanne Du Hamel, presbytero Gallo e congregatione oratorii, aliquamdiu philosophiae professore, deinde parocho, postremo regiae scientiarum academiae secretario († 1706.); opera Gallice scripta a Richardo Simon, presbytero congregationis oratorii Parisiensis, in scientiis biblicis et historicis versatissimo († 1712.) videlicet: grande dictionarium biblicum, historiae criticae v. t., textus n. t., versionum n. t., praecipuorum commentariorum n. t., novae observationes de textu et versionibus n. t. In his scriptis Simon ausus est, plura asserere, a sensu Catholico alie-, et hypothesibus potius, quam rationibus superstru-, velut: Mosen nonnisi legum, minime vero histo-e in Pentateucho contentae auctorem esse, textum Hebraicum multipliciter esse corruptum; quapropter a -ibus graviter impetitus, et cum vehementer eis re-nderet, gravioribus persecutionibus subjectus est. -r ejus adversarios erat Dupinius. Is in tomo, suae -ptorum ecclesiasticorum bibliothecae, sub titulo: -ertatio praeliminaris, seu prolegomena in biblia, -efixo, genus quoddam introductionis in s. scriptu- exhibuit. In eo enim de illius canone, auctoritate inspiratione, de Pentateucho Samaritano, de versio-bus Orientalibus, Graecis, Latinis, et recentioribus -tur, atque inquisitiones in singulos libros tum v., n. t., in eorum auctores, et tempus, quo compo-fuerint, instituuntur, et varia ad eos illustrandos -entia adferuntur. Quamquam Dupinius Simone mo-ratior in suis judiciis fuit, tamen tum in ista disser-ione praeliminari, tum in ipsa bibliotheca saepius a -ntentiis Catholicis ita aberravit, ut ab archiepiscopo -risiensi ad plures assertionum suarum publice re-ctandas adigeretur.

§. 732. Continuatio.

Eodem circiter tempore, quo Dupinius su
bliothecam, anno scilicet 1687. Bernardus Lam
torii presbyter Gratianopoli († 1715.) apparat
biblia sacra per tabulas dispositum edidit, in qu
ut in pluribus aliis operibus introductoriis, h
enarratis, etiam regulae, s. scripturam interp
traduntur. Inter has prima est, quam ipsum co
Tridentinum religioni Catholicae prorsus conve
statuerat, prohibens, ne quis contra eum s
quem ecclesia tenet, aut contra unanimem cons
patrum s. scripturam interpretari audeat. Qua
nitio, cum tantum negativa sit, complures th
sive institutionibus hermeneuticis, sive ipsis in
tationibus, quomodo sacrae litterae interpretand
ostendere tentarunt. Ejusmodi institutiones, at
sufficientes exhibuerunt: Santes Pagninus in i
ad sacras litteras; Sixtus Senensis in bibliotheca
libro tertio, qui etiam separatim sub titulo: ars
pretandi sacras scripturas absolutissima, editu
Dupinius in sua dissertatione praeliminari; H
episcopus in duobus libris de interpretatione, a
editis. In eo quidem omnes fere convenerunt,
nimiam allegoriarum in sacris libris captatione
probarent, et sensum litteralem praeprimis in
dum esse statuerent, atque re vera plerique in
tes Catholici hoc potissimum explicando jam o
bantur. Nihilominus sensum mysticum non neg
dum esse censebant, atque non tantum Pagni
libros isagogicos ad mysticos s. scripturae sensus
posuit, sed etiam Dupinius adhuc sensum allegor
anagogicum, et tropologicum s. scripturae adjudic
Sixtus Senensis autem sine sensu mystico plura s
ta positiva, pluresque historias v. t. moralitatis
expertes aut plane inimicas existimavit.

§. 733. Continuatio.

Quoad novas bibliorum versiones, concilium Tridentinum Vulgatam quidem authenticam pronuntiavit, eo tamen nec usum textus originalis, nec confectionem novarum versionum interdixit; quam ob rem s. scriptura hac periodo saepius in linguam Latinam translata est, nominatim a Pagnino, cujus tamen versio, a. 1527. in lucem emissa, et postea in polyglottis Antverpiensibus etiam exhibita, de verbo ad verbum facta, adeoque plurimum obscura est. Post eum cardinalis Cajetanus († 1534.) qui in provectiori aetate se totum studio s. scripturae dedit, ope Judaei et Christiani, linguarum biblicarum, quas ipse non callebat, peritorum, magnam bibliorum partem de verbo ad verbum in linguam Latinam transtulit. Idem commentarium in totam s. scripturam, excepta Apocalypsi exaravit, in quo unice sensui litterali inhaesit, a patribus, quod hunc neglexerint, frequenter recessit, et Vulgatam tanquam minus fidelem saepe ad textum originalem emendavit. Eodem saeculo Thomas Malvenda, Hispanus, et ipse ex ordine Praedicatorum, qui commentarios quoque in s. scripturam composuit, novam v. t. versionem, ad originem Hebraicam exactam elucubravit. Isidorus Clarius, episcopus Fuliensis, qui etiam annotationes in s. scripturam conscripsit, eandem in linguam Italicam transtulit. Gallice biblia saeculo 17. saepius reddita sunt, nominatim a Francisco Veronio Jesuita († 1649.) qui suam versionem juxta aliam, a theologis Lovaniensibus a. 1557. editam, ita confecit, et hanc partim ad Vulgatam, partim ad textum originalem emendaret; porro a Dionysio Amelote, oratorii presbytero, qui vero nonnisi n. t. a. 1660. Gallice edidit; ab Antonio Godeau, cujus versio n. t. a. 1668. edita, inter nudam translationem et paraphrasin medium tenet; denique ab antesignanis Jansenistarum Arnaldo, Nicolio, Antonio et Isaaco Ludovico fratri-

bus de Sacy aliisque, quae propterea versio
rum de portu regio, et a loco bibliopolae,
editionem procuravit, Montensis dicta est,
proprie Amstelodami a. 1667. comparuit. H
versim quidem ad Vulgatam, saepe tamen ad
Graecum confecta, stylo eleganti exarata est, c
que celeberrima evasit. Cum vero auctores m
potius paraphrasi explicarent, quam simplicit
terent, huicque singulares suas sententias inferre
pluribus scriptoribus refutata, a summis pontific
multisque episcopis Gallicis prohibita est. Inter
tholicos in Germannia primum Hieronymus E
jurisconsultus, et Georgio Saxoniae duci a secr
a. 1527. n. t. a Luthero Germannice redditum
Vulgatam mutavit, eoque Catholicorum usibus ac
modavit. Similiter totius sacrae scripturae versio
mannica, a Joanne Dietenberger, Dominicano, et
logiae in universitate Moguntina professore, a.
edita, proprie versio Lutheri erat, juxta Vulg
mutata. At Joannes Eck ipsam Vulgatam in se
nem Teutonicum transtulit; cum vero ejus trans
a. 1537. edita, dictione satis impura et obscura e
esset; Catholici in Germannia, versione Dietenb
potissimum usi sunt, donec ei alia praevaleret,
Casparus Ulemberg, variis muneribus ecclesi
functus († 1617.) ad Vulgatam, jussu Sixti V.
datam, meliori dictione exaravit.

§. 734. Continuatio.

Ex iis, qui s. scripturae interpretationes ela
runt, primo notamus illos, qui pauciores tant
bros sibi explicandos sumserunt. Ex his erant:
mus Rotterdamensis, qui enarrationem in
psalmos, et paraphrasin in plerosque libros n.
ravit; — Casparus Contarinus, Venetianus, po
pla munera civilia, in patria gesta, a Paulo I
dinalis factus, et legationi Bononiensi praefect

), qui in scholiis suis in epistolas Pauli, non
quidem earum loca, sed bene illustravit; —
us Sadoletus, Mutinensis, Leonis X. secretarius,
episcopus Carpentor in ditione Avenionensi,
n sub Paulo III. cardinalis. († 1547.) Is exara-
mmentarium in epistolam ad Romanos, sermone
niano, in forma dialogi inter se et fratrem suum
am, in quo praeter Vulgatam etiam textum Grae-
espexit et interpretationes Chrysostomi ac Theo-
ti potissimum secutus est, atque doctrinas a no-
bus tunc maxime impugnatas de justificatione,
estinatione, et libero arbitrio, disserens enuclea-
— Andreas Masius, Bruxellensis, jurisconsultus
siliarius ducis Cliviensis († 1573.) cujus historia
e imperateris, perfecti commentarii exemplum
Praeterea in quaedam capita 4 evangelistarum
entatus est; — Claudius Espencaeus, in omni
rum disciplinarum genere versatissimus († 1571.)
n suis commentariis in epistolas Pauli ad Timo-
et Titum sensum litteralem solerter quidem in-
vit, verum etiam ad materias dogmaticas, mora-
t disciplinares frequenter digressus est; — Fran-
s Toletus, Alphonsus Salmeron, et Franciscus
ra, omnes tres Hispani et Jesuitae, qui posteriori
ore saeculi 16. floruerunt. Primus elaboravit com-
taria in Lucam, Joannem, et epistolam ad Roma-
alter prolegomena et commentaria in omnes epi-
s Pauli, tertius commentaria in 12. prophetas mi-
s, evangelium Joannis et epistolam ad Hebraeos; —
ielmus Estius, priori saeculi 17. tempore cancel-
s universitatis Duacensis, qui scripsit annotationes
raecipua et difficiliora loca totius s. scripturae, et
nentarium in omnes apostolorum epistolas; —
nes de Pineda, Hispalensis, qui in pluribus colle-
societatis Jesu, cui adscriptus erat, litteras do-
(† 1637.) Is reliquit commentariorum in Job li-
13, in quibus quidem sensum historicum feliciter

scripti; — Bossuetus, qui psalmos, libros
librum sapientiae, et Ecclesiasticum notis
et praeterea novam Apocalypsis interpret
Roma Ethnica, Christianos persequente, at
jecta edidit, Protestantibus oppositam, qu
psin de Roma papali interpretari solebant
nius, qui librum psalmorum cum notis, qu
sensus litteralis exponitur, a. 1691. typo con

§. 735. Continuatio.

Inter illos, qui majorem bibliorum par
carunt, notatu digniores sunt: Joannes
theologiae doctor et professor Parisiensis,
regis Francisci I. capellanus aulicus, et c
ecclesiae cathedralis, († 1549.) qui in bre
annotationibus in n. t. ab anno 1529. edit
Graecos magis quam Latinos secutus est, se
prias explicationes, non mediocri linguarum l
cognitione nixas proposuit; — Steuchus E
canonicus regularis, postea episcopus in Cret
qui in sua veteris testamenti ad veritatem l
recognitione, et in aliis commentariis biblici

suit, atque etiam lucubrationes in evangelia edidit; —
annes Maldonatus, Hispanus, Jesuita, qui Parisiis
eologiam magno cum plausu docuit, attamen a Sor-
nna, quod immaculatam B. Mariae conceptionem in
bium vocaret, multum impetitus est, quam ob rem
turicum se recepit, ibique se totum studio biblico
dit, unde Gregorius XIII. eum ad societatem labo-
m pro nova versionis Alexandrinae editione Romam
cavit, ubi a. 1583. mortuus est. Scripsit commen-
ios in praecipuos libros v. t. et in 4 evangelia, in
ibus Hebraismos bene explicavit, et interpretationes
trum diligenter allegavit, a quibus tamen, sicut a
lgata frequenter recessit. Pro more aetatis contro-
rsias theologicas commentariis suis frequenter immi-
uit; — Casparus Sanctius, pariter Hispanus et Je-
ita, qui plerumque Compluti docuit, et a. 1628.
adriti mortuus est. Is exaravit commentarios in
erosque libros historicos v. f., in 4. prophetas ma-
es, in Job, canticum, et acta apostolorum. Ex eis
mmentarius in Job maximam approbationem me-
t; — Jacobus Tirinus, qui edidit commentarios in
m s. scripturam, saepius, et 18. adhuc saeculo re-
os, et in Germannicum quoque translatos; — Cor-
us a Lapide, Leodiensis, Jesuita, a. 1637. Romae
rtuus. Is in universam sacram v. et n. t. scriptu-
, exceptis psalmis et Jobo, commentatus est. Ejus
mentarii, in quibus diversae interpretum senten-
, et multae digressiones dogmaticae ac polemicae
inentur, et rerum copia et sermonis perspicuitate
holicis prae caeteris usque ad recentiora tempora
bati fuere; — Menochius, qui in brevi sua exposi-
e sensus litteralis totius s. scripturae maturum ju-
um prodidit, et a digressionibus ad materias alie-
abstinuit. Coronidis loco adhuc Aloysius Lippo-
nus, secretarius Pauli papae IV., et Emmanuel Sa,
sitanus, Jesuita, tanquam tales notandi sunt, qui
undum morem medii aevi nonnisi sententias anti-

quiorum interpretum collectas exhibuerunt; ille e
catenam SS. patrum in Genesim et Exodum, iste
ro praeter breves annotationes in totam scriptur
scholia in 4 evangelistas ex selectis veterum pat
sententiis collecta composuit.

§. 736. Statuts studii biblici inter Lutheranos.

Lutherani, etsi s. scripturam velut unicum relig
nis cognoscendae fontem depraedicarent, tamen in s
dio biblico hac periodo multo minus praestiterun
quam Catholici. Illud praesertim a posteriori saecu
16. tempore per integrum fere saeculum satis neglige
batur, quod partim expiratione scholae Melanchtho-
nianae, partim opinione, jam omnia praestita esse,
quae in hoc genere praestari possint, partim intro-
ducta formula concordiae, indeque enata liberi
explorationis restrictione, maxime autem studio, qui
tum inter eos invaluit, polemico effectum est. Inter
tamen studium biblicum nunquam penitus inter eo
defecit, omnique hujus periodi tempore viri eis eran
qui linguas biblicas, praesertim Graecam colerent,
atque etiam grammaticas et lexica earum ederent.
Dialecti Orientales, quamquam inter Lutheranos non
prorsus ignotae erant, tamen ad linguam v. t. accu-
ratius definiendam et illustrandam ab eis nondum a-
hibebantur. Universim eorum lexica tam Graeca
quam Hebraica defectibus et erroribus scatebant, ut
ut potius lexicis a Calvinianis confectis uterentur, no-
minatim illo, quod altero saeculi 17. dimidio Joannes
Coccejus, theologus Batavus edidit. Praeterea varia
apud eos praejudicia dominabantur, velut puncta vo
alia litteris consonantibus coaeva, linguam n. t. pu
Graecam omnisque Hebraismi et soloecismi expertem
esse, quae praejudicia, accuratiorem linguarum bibli
carum cognitionem impediverunt. De critica textu
sacri vix quisquam Lutheranorum cogitavit, sed text

Catholicis vel Calvinianis procurato sine ulteriori
camine utebantur. Primam institutionem hermeneu-
cam inter Lutheranos exhibuit Mathias Flacius in
a clavi scripturae sacrae, in cujus prima parte voces
phrases singulae textus biblici juxta ordinem alpha-
thicum explicantur, in altera septem dissertationes
rmeneuticae continentur. Sensus mysticus ibi ad
ucos casus restringitur, at analogia fidei tanquam
terpretationis regula statuitur. Ex illis, qui post
lacium scripta hermeneutica ediderunt, notatu di-
iores sunt: Salomo Glassius, postremo generalis
perintendens Gothanus († 1656.), in cujus philolo-
iae sacrae duobus libris prioribus de s. scripturae
cribendi ratione et sensu, in tribus posterioribus de
rammatica et rhetorica biblica tractatur, et quam-
urima loca ex observationibus grammaticis et rhe-
ricis illustrantur. Auctor mystico quoque sensui vim
obandi adjudicavit; — Augustus Pfeiffer, linguarum
ientalium Wittenbergae et Lipsiae professor, po-
a superintendens Lubeccensis († 1698.) qui in sua
meneutica sacra de comparatione caeterarum dia-
orum Orientalium cum Hebraica primus praecepit,
raismos in n. f. agnovit, variorumque subsidiorum
osophicorum et historicorum, nec non versionum
ommentariorum usum docuit. Institutiones, quas
enses, nominatim Franke in manuductione ad le-
nem s. scripturae, a. 1693. edita tradiderunt, potius
ularem et practicam bibliorum expositionem, quam
ntificam interpretationem concernebant. Ex genere
rum scriptorum, quae hodie introductiones biblicae
iinantur, praeter Pfeifferi criticam sacram, in qua
conditione textus Hebraici, de masora, et de prae-
iis bibliorum versionibus disserebatur, erat officina
ica, a Michaele Walter, generali superintendente
lensi, priori saeculi 17. tempore composita, quae
heranis usque ad initium sequentis periodi optimus
us generis liber erat. Versiones bibliorum post il-

las, quae priori reformationis tempore, ad d
nem ab ecclesia Catholica promovendam, in
vernaculis, plerumque e versionè Lutheri co
sunt, nullae hac periodo inter Lutheranos proc
tur, excepta unica Latina, quam Sebastianus S
theologiae apud Argentinenses professor († 16
ipso textu originali adornavit, cui Calvinianae,
nus inter Lutheranos usitatae locum cesserunt
propter translationem, de verbo ad verbum
admodum fidelis censeretur, quamquam in pare
bus, in quibus Hebraismi explicabantur, plura
sacrorum scriptorum aliena proposita essent.

§. 737. Continuatio.

Quod jam ipsas s. scripturae interpretatione
net, Lutherus ejusmodi in propriis scriptis exeg
et in sacris sermonibus protulit. Attamen plus
quam novo testamento occupatus erat, siquiden
illo Genesin et psalmos, ex isto nonnisi epistola
Galatas uberius exposuit. Sensum mysticum pro
quidem rejecit, nihilominus grammaticum, cum
nisi mediocri linguae Hebraicae et Graecae cogniti
polleret, ubique fere potius supposuit, quam ind
vit, et maximam scriptorum suorum exegeticorum
tem digressionibus dogmaticis, polemicis et morali
implevit. Lutherum scientiis philologicis et histor
multum superavit Melanchthon, iisque etiam ad int
pretandam s. scripturam solerter usus est. Attamen
ipse plus veteri quam novo testamento operae imp
dit, siquidem ex hoc nonnisi epistolam ad Roman
ex illo plures prophetas, nominatim Danielem et m
tos psalmos propriis scriptis interpretatus est. Prae
quam autem, quod expositiones dogmaticas multas i
miscuerit, hoc quoque vitium admisit, quod rhetor
in morem scripta sacra, praesertim epistolam ad R
manos artificiose disponeret, et hac ratione apost
varia, a propria hujus mente aliena attribueret. Flac

1570. edidit: »novum testamentum, ex versione Eras-
, innumeris locis ad Graecam veritatem genuinum-
sensum accommodata, cum glossa compendiaria«,
qua quidem sensum litteralem breviter et sine ma-
iis heterogeneis proponere conatus est, attamen a
ressionibus polemicis prorsus sibi temperare non po-
. Victorinus Strigel commentaria in psalmos, et alia
omnes libros n. t., nomine hypomnematum conscri-
, quorum priora praeter versionem litteralem non-
tractatus dogmaticos et morales continent, et ubi-
Christum ejusque ecclesiam sistunt; posteriora
o sat brevia sensum litteralem singulorum locorum
usu loquendi aliisque fontibus genuinis dilucidant.
chimus Camerarius, in opere, e duobus tomis in
rto constante, quod ab a. 1552. — 1572. compa-
, voces, phrases, figuras, totamque scribendi ra-
em n. t., ex antiquis scriptoribus Graecis tam
nicis quam Christianis illustrare conatus est. Joan-
Brenz in totam fere s. scripturam adeo copiose
mentatus est, ut scripta ejus exegetica septem to-
in folio impleant. Sensum litteralem solerter qui-
indagavit, at multo magis expositionibus dogma-
indulsit. Bibliorum intelligentiae promovendae
m inserviit harmonia 4 evangelistarum, a Martino
mnitio coepta, a Polycarpo Leyser, theologo Wit-
bergensi, postea supremo concionatore in aula Dre-
nsi († 1610.) continuata, et tandem a. 1628. a Joanne
hard ad finem perducta. Ei vero simul commen-
us critico-philologicus, et dogmatico-polemicus,
litione plenus insertus est. — Saeculo 17., quo stu-
n biblicum inter Lutheranos admodum languit, pau-
es extiterunt, qui exegetica majoris momenti opera
orassent. Priori ejusdem saeculi dimidio multi in-
retanda Apocalypsi, in qua ruinam ecclesiae Ro-
ae deprehendere amabant, occupabantur, qua in
Iatthias Hoë ab Hoënegg, primarius concionator
oris Saxonici, editis 8 libris commentariorum in

tis vocibus emphases sine ratione sufficien
ret; — Abrahamus Calov, theologiae prof
perintendens generalis Wittenbergensis, qui
sam s. scripturam omnium copiosissime co
in indagando sensu multa eruditione philol
at vero etiam dogmatice et polemice versa
Sebastianus Schmidt, ille idem, qui versio
rum Latinam confecit. Js in commentarii
multos utriusque foederis libros exaravit, s
tissimum grammaticum, at juxta explicati
cessorum suorum eruere conatus est. Denic
ses, secundum desiderium et exemplum Sp
paraphrases et expositiones quarumdam Pa
nis epistolarum sermone Theodisco vulgavit
tationes biblicas, usui practico, excitandisqu
mi sensis accommodatas in lingua vernacul
bere coeperunt, qua in re caeteris praeven
qui in suis observationibus biblicis, a. 16
ipsam versionem Lutheri ad textum biblior
narium, in magnam adversariorum offensione
dare conatus est.

§. 738. Inter Calvinianos.

us Münster, in Palatinatu natus, ambo ex Fran-
nis novationum religiosarum sectatores, prior Ti-
linguae Hebraicae († 1556.), posterior († 1552.)
eae professor. Uterque grammaticam et lexicum
aicum, Münsterus etiam grammaticam Chaldaicam
t; Emmanuel Tremellius Ferariensis, qui sub
rdo VI. in Anglia, postea Heidelbergae, et po-
io Sedani docuit († 1580.) et grammaticam Syro-
daicam in lucem emisit; Joannes Buxtorf, senior,
64. in Westphalia natus, Basileae ab a. 1591. —
, quo mortuus est, linguarum Orientalium pro-
r. Is non tantum in lingua Hebraica et Chaldaica,
etiam in Thalmudica et in scriptis Rabbinorum
tissimus erat. Praeter lexicon Chaldaicum, Thal-
icum et Rabbinicum, duplicem grammaticam He-
cam, minorem et majorem, duplex quoque le-
n, scilicet: manuale Hebraicum et Chaldaicum,
lexicon Hebraeo - Chaldaicum exaravit, qui li-
caeteros hujus generis omnes, hactenus scriptos,
e superarunt, et communem fere, usque in sae-
m 17. usum consecuti sunt; Joannes Buxtorf ju-
, prioris filius, et in munere, quod usque ad an-
1664. gessit, successor, iisdem, quibus pater
itiis instructus. Is praecipue propugnavit antiqui-
n punctorum vocalium et accentuum Hebraico-
, quam impugnaverat Ludovicus Capellus, Hugo-
, prius linguae Hebraicae, postea theologiae in
la Salmuriensi professor ibidemque praedicator.
558.) Ita factum, ut theologorum Calvinianorum
de re sententiae per totam hanc periodum divisae
nt; plures tamen ex animo, de certitudine sacri
is sollicito, Buxtorfio quam Capello adstipulaban-
J. Henricus Hottinger, historiae ecclesiasticae scri-
etiam praeclara quaedam opera grammatica et hi-
ca, litteras Orientalium concernentia elucubravit.
nes Coccejus lexicon Hebraeo - Chaldaicum edi-

dit, quod longo tempore inter optima habeb
Eorum, qui reliquas praeter Hebraicam dialec
entales inter Calvinianos coluere, celeberrimi
runt: Thomas Erpenius, linguarum Orientaliu
Lugdunenses in Batavia professor, multorumqu
stantium in linguam Arabicam scriptorum auctor (
ejusque discipulus et in munere successor, Jacol
lius († 1667.) qui ejusdem linguae Arabicae c
nem egregio lexico promovit. Plerique vero
rum Orientalium cognitione potissimum ad c
tionem, pauciores ad illustrandas sacras litter
bantur. Ex posterioribus erant: Ludovicus de
Lugduni Batavorum priori saeculi 17. *dimidio l*
rum Orientalium professor et cultor peritissimus
in sua critica sacra, sive *animadversionibus in*
quaedam difficiliora v. et n. testamenti voces et
ses Hebraicas ex caeteris dialectis Orientalibus f
ter illustravit; Daniel Heinsius, vir magnae erud
nis, praecipue philologicae, et historicae in ea
urbe Lugdunensi, qui in suis exercitationibus sa
et in Aristarcho suo simili modo versatus est; J
nes Drusius (van der Driesche), in Flandria na
primum Oxonii, deinde Lugduni, postremo Fr
querae linguarum Orientalium professor, ob amp
earum cognitionem celeberrimus († 1616.), a quo
ta opera confecta sunt, s. scripturam concernentia
quibus sensus litteralis ex linguis et antiquitatibus
entalibus breviter illustratur. — Linguam Graecam
res Calvinianorum quam Hebraicam colebant atque
am in usum n. t. convertebant. Ex lexicis Graecis
eodem testamento illud erat probatissimum, quod Ge
gius Pasor, apud Franequeranos linguae Graecae p
fessor († 1637.) exaravit. Caeterum etiam Calvinia
rum plerique ex quadam erga s. scripturam, ejus
auctorem Spiritum s. reverentia, praejudicio ei rite i
telligendae perquam adverso de puritate Graeci

biblici inhaerebant, licet nonnulli eorum con-
m ostendere singularibus scriptis conati sint.

§. 739. Continuatio.

extum v. t. Calviniani, sicut Protestantes univer-
cura Judaeorum, praecipue Masoretharum, inte-
onservatum autumabant. At idem ille Ludovicus
lus in critica sacra, sive libris sex de variis, quae
ris v. t. libris occurrunt, lectionibus, quam plu-
lectiones diversas, hujusque diversitatis fontes
ravit, eoque viam ad criticam textus v. t. ster-
onatus est. Verum ejus conamina Protestantibus
e probabantur, et a pluribus, imprimis a Bux-
juniori impugnabantur, quia putabant, admissis
lectionibus, textum et doctrinam, in eo conten-
imis incertam reddi. Igitur in re critica nihil am-
urante hac periodo inter Calvinianos praestitum,
litiones bibliorum Hebraicorum, quae nonnun-
nter eos prodibant, ad alias editiones, a Catholi-
ocuratas adornabantur, exceptis forte illis, quas
s Leusden, Trajecti ad Rhenum linguae Hebrai-
ofessor († 1699.), comparatis duobus vetustis co-
adornavit. Illa, quam in fine hujus periodi Da-
nestus Jablonsky, supremus in aula Brandenbur-
oncionator, et senior fratrum Bohemicorum in
a et Borussia procuravit, ab exacta rectitu-
punctis vocalibus et accentibus laudatur. — Quo-
t., Beza quidem pro suis hujus testamenti
ibus plura manuscripta, antea nondum colla-
buit, cum vero artis criticae expers esset, in le-
us suscipiendis satis arbitrarie versatus est. Ty-
hi Elzevirii in Batavia, qui plures n. t. editiones,
elegantiam typographicam latissime propagatas,
624 — 1678. procurarunt, textum suum e Roberti
ai et Bezae editionibus composuerunt, isque in
oribus editionibus ab omnibus retentus est. Ste-
Curcellaeus († 1658.) suae textus recepti editioni

(† 1667.), isagoge ad scripturam sacram
menti, cujus capite 14. praecepta ad sens
inveniendum traduntur, ab Andrea Rive
gduni, postea Bredae theologiae professore
storia Jerosolymae, tractatus de prophetis
et alius de synedriis Hebraeorum, ab He
tsio, qui primo Franequerae, postea Ultra
mo Lugduni theologiam docuit. († 1708.) —
tiores Calviniani erant in bibliorum version
pretationibus conficiendis. In linguam Lat
que testamentum quater inter eos translatu
a Sebastiano Münster, cujus versio solum
ctens, litteram presse sequitur, et in pare
notis adjectis Rabbinorum sententiis accomo
inde a Leone Judae, olim Benedictino, pos
cooperatore, et aliis quibusdam, quae vers
teralem et liberiorem, medium tenet: porro
no Castellione, Gallo, prius scholae Geneve
et Calvini amico, postea, quod in pluribu
in praedestinatione ei non consentiret, Gen
et Basileae linguae Graecae professore. († 1
versio sermone Romano, imo eleganti, sed
tatem s. scripturae non decet, et originis c

blia a Calvinianis translata sunt. Post illas versiones, quae primo tempore ad novationes religiosas propagandas in lingua Germannica, Batavica, Anglica et Hungarica confecta fuerant, Robertus Olivetanus, Calvini cognatus, Gallicam adornavit, a pluribus emendatam, et sic longo tempore plerisque probatam. Quam vero Castellio supra memoratus in eadem lingua confecit, fere nullum punctum tulit. E contra a rectitudine, perspicuitate, et dictionis elegantia laudata est Italica, a Joanne Deodato Luccensi, theologiae professore et praedicatore apud Genevenses († 1649.) exarata. Germannica vero, quam Joannes Piscator, theologiae apud Herbornenses professor († 1626.) elucubratus est, praeter alia vitia hoc quoque habet, quod ex nimio litterae studio fere latinizet.

§. 740. Continuatio.

Ex illis, qui inter Calvinianos SS. litteras scriptis interpretati sunt, notari merentur: Zwinglius, qui Isaiam vertit et exposuit, atque evangelia et epistolas apostolorum dilucidavit; Oecolampadius, qui Isaiam et epistolam ad Romanos, sed breviori, quam Zwinglius sermone interpretatus est; Calvinus, qui prolixos commentarios in totum v. et n. t. 7 tomos in folio implentes, digressionibus dogmaticis, polemicis, ac moralibus plenos reliquit. Beza, quem sui optimum saeculi 16. ... se interpretem judicant, composuit annotationes in n. t. majores et minores. Henricus Bullinger, Zwin... apud Tigurinos successor, in suis interpretationibus ...thaei et epistolarum catholicarum propria cum alie... conjunxit. Joannes Mercerus (Mercier) qui pluri... annis linguam Hebraicam Parisiis publice docuit, ... 1570.) plures v. t. libros magna linguarum et rerum ...entalium scientia interpretatus est. Bucerus proli... commentarium in psalmos conscripsit, qui versio... liberam et explanationem continet, ad mentem ...binorum ex historia deductam, adeoque rarius Mes-

siam indigitantem. Amyraldus paraphrases in totum v. t. concinnavit, inter quas illae, quae psalmos attinent, admodum verbosae sunt, attamen Christum saepius, quam Buceri commentarius, sistunt. Piscator prolixos commentarios in utrumque testamentum composuit, qui plures tomos in folio implent, et praeter versionem Tremellii, propriam, ac multas dissertationes dogmaticas et morales exhibent. Grootius numerosas et praestantes annotationes in v. et n. t. conscripsit, de quibus ei hoc maxime vitio versum est, quod in scriptis propheticis nullibi fere Christum viderit. Eo excepto reliqui fere omnes Calvinianorum interpretes tam in versionibus quam in commentariis dogmata, sectae suae peculiaria, ubi fieri poterat, expresserunt, et praeter sensum historicum, quem potissimum sectabantur, haud raro etiam mysticum, praesertim typicum deprehenderunt. Sed multo longius hac in re inter eos progressus est Joannes Coccejus (Cock) Bremensis, prius linguae Hebraicae, cujus peritissimus erat, deinde theologiae apud Franequeranos et Lugdunenses professor. († 1669) Is sibi persuadens, in s. scriptura ubique Christum latere oportere, principium hermeneuticum statuit: verba s. textus in omnibus locis ea omnia significare, quaecuncque significare possunt, atque secundum hoc principium ubique in s. scriptura Christum aut res ad ejus religionem et ecclesiam pertinentes, et in libris propheticis totam historiam ecclesiasticam, usque ad sua tempora delineatam invenit, atque in commentariis, quos in maximam scripturae partem conscripsit, proposuit. Cum ejus methodus non alio fundamento, quam sublimiori conceptu de s. scriptura niteretur, multi Calvinianorum ei contradixerunt, prae caeteris vero Gisbertus Voetius, Ultrajecti theologiae professor. Sed non pauci, iique eruditi viri ejus methodum approbarunt et imitati sunt, unde duae Coccejanorum et Voetianorum factiones in Batavia originem traxerunt, de aliis quoque opinionibus theologicis inter se dissentientes, et magno animorum aestu

litigantes, usque in sequens saeculum superstites. Ex eis nemo magis notari meretur, quam Hermannus Witsius, qui etsi methodo Coccejanae addictus esset, eam tamen non modice labefactavit, cum in suo tractatu de sensu epistolarum apocalypticarum, has non propheticas, sed historicas esse evinceret.

§. 741. Inter Anglicanos.

Quae ab Anglicanis pro studio biblico, praestita sunt, ad sequentia redeunt. Non caruerunt saeculo 17. viris, ampla linguarum Orientalium scientia instructis, a quibus autem libri, illis addiscendis inservientes editi non inveniuntur. Thomas Gataker, vir admodum eruditus, a. 1654. Cantabrigae mortuus, in dissertatione de novi instrumenti stylo, linguam Graecam librorum n. f. hebraizare evicit. Joannes Fell, prius decanus, postea episcopus Oxoniensis, textum n. t. Elzeviranum, plurimis lectionibus variis adjectis a. 1675. edidit. Brianus Walton, ab anno 1660. episcopus Cestriensis, ab aliis eruditis adjutus, polyglotta sic dicta Londinensia procuravit, in quibus ad versiones, in polyglottis Parisiensibus contentas, etiam Aethiopicae et Persicae quidquid comparari potuit, accessit. Primus tomus hujus operis, quod sex tomis in folio comprehenditur, apparatus nomine tractatus chronologicos, geographicos, archaeologicos, et philologico-criticos de linguis Orientalibus, antiquis versionibus et editionibus bibliorum Hebraicorum continet. Duos tomos lexicon heptaglotton implet, Samaritano-Hebraeo-Chaldaeo-Syriaco-Aethiopico-Persicum, ab Edmundo Castel, canonico Cantuariensi, praedicatore aulico, linguarum Orientalium peritissimo, qui primus Arabicam in universitate Cantabrigiensi docuit, in usum polyglottorum, post duodecim ab eorum perfectione annos in lucem emissum. In linguam Anglicam biblia, labente hac periodo bis versa sunt, primum saeculo 16. a Matthaeo Parker, archiepiscopo Cantuariensi, dein sequenti sae-

culo jussu Jacobi I. regis a 47 viris eruditis.
versioni exiguum pretium adjudicatur. Ad in
tiones bibliorum, hac periodo ab Anglicanis
pertinent Henrici Hammondi, praedicatoris a
Carolo I. († 1660.) paraphrasis et annotatione
aliquamdiu in magno pretio habitae; Eduardi
canonici, qui primus linguam Arabicam in uni
Oxoniensi docuit, ejusque peritissimus erat (†
explanationes quorumdam prophetarum minor
cognitione linguarum Orientalium potissimum
Joannis Lightfoot, canonici Elyensis, et in univ
Cantabrigiensi professoris († 1675.) horae Hebra
Thalmudicae, in quibus ritus et phrases, in pl
n. t. libris occurrentes, ex Thalmude et scriptis
binicis dilucidantur. Cum igitur Anglicani p
scripta exegetica perpauca haberent, Pearsonius
alii eruditi praestantiora opera illorum interpretum
Protestantium, tum Catholicorum collegerunt,
eruendo sensui grammatico operam dederant,
collectio sub titulo: critici sacri, novem volumi
in folio comprehensa Londini a. 1660. in lucem pr

§. 742. Status theologiae dogmatica Inter Catholicos.

Restauratio antiquae litteraturae, progressus,
scientiae in universum faciebant, insultus novat
in religionem Catholicam, studium s. scripturae
latiusque propagatum, denique gravissima mon
exempla nonnullorum virorum, eruditione et au
tate conspicuorum, imo ipsius concilii Tridenti
fecerunt, ut status theologiae dogmaticae hac p
pedetentim emendaretur. Praeter alios quosdam
logos, qui pertractatis singulis materiis quomod
theologia emendetur, exemplo ostendere conati
imprimis Melchior Canus meliorem methodum
tradendi exhibuit. Natus is erat in Hispania, ul
manticae ordinem Praedicatorum ingressus est

mque inde ab anno 1546. litteras theologicas docuit.
ssus ad concilium Tridentinum ingenii acumine,
quentia, et prudentia in eo inclaruit. Postea a Phi-
po II. episcopus insularum Canariarum quidem de-
natus est, sed mox huic dignitati renuntiavit, et
a praepositus ordinis sui in Castella a. 1560. obiit.
uit vir, non tantum in scientiis theologicis, sed etiam
litteratura antiqua, in linguis Orientalibus, et in
storia egregie versatus. Is igitur praeter alia insigne
us exaravit, cujus titulus est: loci theologici, libri
. In eo fontes et subsidia theologiae exposuit, vi-
licet: s. scripturam, traditiones apostolicas, aucto-
atem ecclesiae, conciliorum, Romani pontificis, quem
decidendis fidei controversiis infallibilem esse do-
dit, sanctos patres, quorum communi consensu quae-
onem dirimi censuit, theologos scholasticos, quibus
animiter consentientibus repugnare temerarium et
resi proximum judicavit, sanam rationem et philo-
hiam, quam neque solam aut praecipue adhiben-
n, neque penitus seponendam judicavit, philosophos,
rum communi consensu in doctrinis philosophicis
titudinem suppeditari existimavit, denique historiam
fanam. Haec omnia Canus ita exposuit, ut non
tum eorum auctoritatem comprobaret, sed etiam
ectiones, quae contra hanc moveri possint, ubique
veret. Ultimo libro exemplis ostendit, quomodo
illis fontibus argumenta pro doctrinis dogmaticis
enda sint. Hoc opus, multa eruditione, arte, et
gantia scriptum, melioribus operibus dogmaticis
er Catholicos viam stravit. Pauciora tamen hujus-
di exarata sunt, in quibus praecipuae partes genui-
religionis fontibus, sacrae scilicet scripturae, et
ditioni seu testimoniis patrum et decisionibus eccle-
e delatae, seu methodus positiva praedominata esset.
raque secundum pristinam methodum scholasticam
nficiebantur, ita ut omnia ex principiis, placitis, et
gulis philosophiae Aristotelicae demonstrarentur,

lastica illâ, quae praecedentibus saeculis d
rat, in multis praestantior erat, atque
quam ex causis supra memoratis attraxit,
sistebat, quod majori eruditione instructa
s. scripturam et traditionem plus respicer
quaestionibus absurdis, inutilibus et spinos
litatibus et distinctionibus sibi magis temp
meliori sermone Latino uteretur, quae bo
diente tempore magis magisque creverunt.
innumera fere opera dogmatica, secundum
thodum labente hac periodo exarata sunt,
talia, in quibus unum aut plura duntaxa
pertractantur.

§. 743. Continuatio.

Hic loci potiora tantum ex illis operibu
morari possunt, quae universam dogmatica
jorem ejus partem secundum methodum si
eticam, sive positivam exhibent. Prioris ge
borarunt: Thomas de Vio, cardinalis Cajetan
commentarii in summam S. Thomae; — I

Salmanticenses professor, praeter duos libros de natura et gratia, commentarium in 4 libros sententiarum, iste, qui Dilingae Suevorum theologiam docuit, libros tres institutionum Christianarum reliquit; — Gabriel Vasquez, Hispanus, Jesuita, theologiae in universitate Complutensi professor celeberrimus († 1604.), qui 7 volumina in folio commentariorum in summam Thomae Aquinatis conscripsit; — Franciscus Suarez, ejusdem patriae et societatis, a nonnullis papa metaphysicorum, ab aliis gigas inter scholasticos nominatus. († 1617.) Is elucubravit commentationes et disputationes in summam S. Thomae, 19 volumina in folio implentes; — Martinus Becanus, Brabantinus, pariter Jesuita, qui philosophiam et theologiam, magna nominis celebritate, Herbipoli, Moguntiae, et Viennae docuit, et Ferdinando imperatori II. a consiliis erat († 1624.), auctor theologiae scholasti- in tres partes divisae; — Adamus Tanner, Oenipontanus, et ipse Jesuita, qui Ingolstadii linguam Hebraicam docuit († 1632.) et theologiam scholasticam disputationes theologicas in omnes partes summae Thomae elaboravit. Inter illos, in quorum operibus gmaticis methodus positiva praedominatur, nemo majorem gloriam meritus est, quam Dionysius Petavius. Natus is erat a. 1583. Aureliani in Gallia, tanque jam adolescens in litteris progressus fecit, ut annos natus professor philosophiae apud Bituricen- constitueretur. Post societatem Jesu ingressus, mo variis in locis rhetoricam, deinde ab anno 1621. Parisiis in collegio Jesuitarum theologiam positivam annos docuit. († 1652.) Fuit vir magni ingenii et summae eruditionis, atque non tantum in litteris theologicis, sed etiam in profanis, praesertim in historicis versatissimus. Opus dogmatico-historicum, quod sibi nec ante nec post se habuit, ad finem vero perductum non est, nomine theologicorum dogmatum 4 is in folio continetur, in quorum primo de Deo

stimonia historiae ecclesiasticae, conci
trum tam Graecorum, quam Latinoru
sententias adferret, postremo oppositas
res et novas refelleret. Post eum simile
tentavit Ludovicus Thomassinus, cujus
logica Parisiis 3 tomis in folio ab a.
comparuerunt, sed Petaviana nec ingeni
tione, nec dictionis nitore assequuntur.
duos ex hoc genere theologorum adhuc
tur: Guilielmus Estius, Batavus, theologi
sitate Duacensi professor († 1613.) qui i
theologiae et in commentariis in libros 4
S. Augustinum potissimum secutus est, id
que theologi Belgici facere solebant; —
Contenson, Gallus, ordinis Praedicator
philosophiae et theologiae professor, a.
33. praematura morte abreptus, qui in s
mentis et cordis primus applicationem d
mores fecit; — Joannes Du Hamel, a qu
theologia speculativa et practica, juxta
dogmata pertractata, et ad usum scholae
ta, 7 tom. 8. contenta; — Natalis Alexa

batur, penitus rejecit, et religionis doctrinas nunquam systematice et scientifice, sed tantum populariter, in suis catechismis, concionibus, et scriptis exegeticis proposuit. Melanchthon in suis locis theologicis corpus quidem doctrinae Christianae exhibuit, sed nec plenum, nec systematicum, multo minus philosophicum. In eo plures doctrinae theoreticae desiderabantur, e contra multae ad theologiam moralem pertinentes insertae erant. Rationes assertorum e sola s. scriptura erant desumtae, at multa etiam loca allata, quae vim probandi non habebant. Testimonia patrum et sententiae aliorum theologorum confirmationis gratia hinc inde adducta erant. Sed argumenta philosophica ubique fere deerant, et tota elocutio forma philosophica carebat, nisi quod in posterioribus libri editionibus terminologia scientifica adhibita fuerit. Hoc opus toto fere saeculo 16. in scholis Lutheranorum exponebatur, et commentariis illustrabatur, atque illa etiam, quae postea inter eos scripta sunt, opera dogmatica, maximam partem ad methodum illam composita erant. Inter ea eminebant loci theologici, a Martino Chemnitio exarati, qui in marchionatu Brandenburgico natus, et Melanchthone magistro usus fuerat, atque, postquam scholae Regiomontanae et bibliothecae Alberti Borussiae ducis praefectus fuisset, et Wittenbergae praelectiones in locos Melanchthonis habuisset, Brunsvici praedicator et superintendens constitutus, ibidemque a. 1586. mortuus est. Ejus opus dogmaticum, praestantissimum, quod Lutherani saeculo 16. nacti sunt, quodque post mortem demum auctoris. a. 1591. comparuit, ex ejus praelectionibus in locos Melanchthonis ortum est, quos etiam in sectiones divisos in se continet. Caeterum auctor, sicut Lutherani universim, multum S. Augustini auctoritati detulit, multa polemica, praesertim contra Catholicos, eaque satis vehementia intulit, in eo autem caeteris praestitit, quod historiam dogmatum ubique adjecerit.

Postquam schola Melanchthoniana propter molimina

ductum est. Compendium istud, proprii
librorum symbolicorum verbis conceptum
nibus quidem destinatum, attamen satis pr
subtilitatum expers erat, caeterum a per
bono ordine commendabatur. Praeter h
dium Hutterus majus opus dogmaticum ex
a. 1619. sub titulo: »loci communes theo
litteris diligenter eruti, veterum patrum
passim roborati, et conformati ad method
Melanchthonis«, comparuit, hujusque lib
loco suo movit.

§. 745. Continuatio.

Eodem circiter tempore Joannes Ge
opus dogmaticum, pariter loci theologici i
edidit, quod reliquis locupletius erat, et in
omnia, quae tunc temporis in dogmatica ii
ranos tradebantur, sed et multas inutiles
continebat. In eo etiam subtilitates schol
occurrebant, multo plures autem in illo, q
nes Hülsemann, theologus prius Wittenberge
es Lipsiensis edidit. Hoc namque tempo

sque ad ejus finem dominata est. Caeterum theologi utherani in comprobandis dogmatis non secus ac Caolici analogiam fidei respiciebant, loca biblica ad robandum adducta, juxta eam interpretantes. In his dducendis admodum copiosi erant, sed major eornm rs ad sensus systematis Lutherani contorta erat. Accedebat, quod plurimae explicationes et opiniones ere theologicae ipsis fidei doctrinis aequipararentur, omnia, quae illis non consentanea erant, quasi ipsi ei et s. scripturae adversa impugnarentur, unde li- dogmatici disputationibus polemicis referti erant. speciatim valet de opere, quod Calovius sub titu- Systema locorum theologicorum ab anno 1655. 12 n. 4. typis vulgavit, quodque magnam sat longo pore celebritatem inter Lutheranos habuit. Multo vior, simulque satis arida, obscura, et terminis taphysicis plena erat theologia positiva acroamatica, optice tractata, quam a. 1664. J. Fridericus Koenig, ologus Rostockiensis edidit. Ea nihilominus, cum ia, quae ad theologiam scholasticam, tunc tems usitatam pertinebant, succincte complecteretur, num plausum nacta, multis in locis pro lectioni- academicis introducta, atque etiam nonnullis comtariis, typo impressis explanata est. A communi odo recesserunt institutiones theologicae, a Joan- Heinichen, theologo Rintelnensi, Georgii Calixti pulo concinnatae, utpote quae ad usum praedican potissimum accommodatae, a terminologiis, subtibus et disputationibus superfluis liberae erant, practicum respiciebant, et singulari moderatione riptae erant, easque ob causas in terris Brunsvibus longo tempore publicis praelectionibus adhiatur. In aliis terris Lutheranis compendium theoe positivae, quod J. Guilielmus Baier, superinns generalis Wimariae († 1695.) ex scriptis potisn Joannis Musaei, theologi scholastisi Jenensis 681.) qui vero nonnisi introductionem in theolo-

pauca quidem ex morum doctrina in
admodum polemice, praesertim contra (
sabantur; caeterum sententias suas max
ptura probabant, et modicum tantum phi
Aristotelicae usum faciebant, ratiocinia
gulas dialectices et metaphysices forma
autem philosophica, et subtilitatibus, qu
terminis scholasticis maximam partem al
cundum hanc methodum scripta sunt:
mentarius de vera et falsa religione; e
et clara expositio fidei Christianae; Ca
religionis Christianae; Bezae confessio
nae, ejusdemque collatio cum papistic
Hyperii methodus theologiae, sive prae
nae religionis loci communes, libri tres,
ro nonnisi doctrinae de s. scriptura, de
proprietatibus, de divina Trinitate, de c
ecclesia pertractantur; porro Henrici Bu
gangi Musculi, praedicatoris Bernensis
annis Piscatoris opera dogmatica. Ama
Silesius, qui Basileae theologiam docuit,
1610. mortuus est, in suo syntagmate th
stianae, quo etiam ethicam universam

theologos Calvinianos in Gallia extiterunt, qui universam dogmaticam scripto exponerent, quorum notatu dignissimus est Daniel Chamier, theologiae Montalbani professor († 1621.), qui reliquit corpus theologicum seu locos communes theologicos, anno demum 1653. Genevae typo vulgatos. Ex operibus dogmaticis, quae posteriori saeculi 17. tempore inter Calvinianos in lucem prodierunt, notatu digniora sunt: Heideggeri »corpus theologiae Christianae, exhibens doctrinam veritatis, eamque contra adversarios quoscuncque; veteres et novos ita adserens, ut simul historiae ecclesiasticae v. et n. t. contineat diatyposin, adeoque sit plenissimum theologiae didacticae, elenchticae, moralis et historicae systema«; — Petri de Trajecto ad Mosam, theologi Ultrajectensis († 1706.) theologia theoretico-practica, opus priori simile; — Benedicti Picteti, praedicatoris et theologiae professoris apud Genevenses († 1724.) theologia Christiana, quae exhibet plenissimum et doctissimum systema dogmatico - polemicum omnium, quae hactenus inter Calvinianos exarata fuerant, praeter rationes biblicas etiam loca patrum et historiam dogmatum omnium saeculorum continet. Haec que opera secundum methodum ab initio descriptam composita sunt.

§. 747. Continuatio.

At inter Batavos saeculo 17. novae in proponendogmatis methodi invaluere, ob quas vehementes ...s exortae sunt. Ac primo quidem Joannes Macco...s (Macowsky) natione Polonus, qui Franequerae ...us theologiam docendi obtinuit, ibidemque a. 1644. ...tuus est, methodum scholasticam in theologiam in...uxit, eandemque in suis locis communibus theolo...s, et in aliis hujus generis libris a se conscriptis ...tus est. Et quamvis a synodo Dordracena, a. 1618. ...brata, ad methodum suam dimittendam admonitus ...t; ei nihilominus semper inhaesit, imo non multo

stionibus, problematis, subtilitatibus, d
et terminis scholasticis plenae sunt. Idem
maxime adversabatur philosophiae Carte
nonnulli ex philosophis et medicis Batavi
et Maresium ac Andream Rivetum, et pl
dicatores sibi consentientes habuit, qui no
norum propriam factionem inter theologos
stituebant. Hi philosophiam Cartesianam
viam parare quaerebantur, quod principit
de omnibus rebus, adeoque etiam de Dei
mel in vita dubitandum esse, quod argum
hactenus Dei existentia comprobata est, in
ret, quod essentiam spiritus in mero cogi
Praeterea Cartesii assertiones: materiam in
sam, omnes scientias, sensibus acquisitas
minem perfecta voluntatis libertate instructu
passiones suas pro arbitrio regere possit,
et religioni Christianae adversae videbant
obstantibus ipsorum theologorum haud pa
ditione conspicui philosophiam Cartesianam
ab opprobriis ei factis vindicabant, sed et
ponenda theologia adhibebant. Voetiani qui
ab ordinibus Hollandiae, et postea a vari

Roell, et Christophorus Wittich, qui theolo-
gduni docuit († 1687.) et in singulari libro usum
hiae Cartesianae in diversis theologiae parti-
ıstravit. Litibus his Cartesianis accesserunt Coc-
, quibus ansam dedit Coccejus, cum non tan-
um principium hermeneuticum, supra memo-
roponeret, sed etiam dogmaticam nova metho-
npe secundum ideam foederis, quod diversis
bus diversum inter Deum et homines extiterit,
omni philosophiae usu traditam vellet. Nec de-
qui ipso praeeunte id tentarent, sed nec tales,
um hac in re, tum in aliis ejus sententiis ad-
ıtur, quales sententiae erant: fidelibus sub ve-
amento nonnisi temporales promissiones factas,
statum servilem, peccata eis non perfecte re-
ıisse. Iidem Voetiani, qui Cartesianis tantopere
bantur, praeeunte duce suo, Coccejanos non
mpugnabant, et a magistratu impetrarunt, ut
as Coccejanas doceri prohiberet. Inde factum
Coccejani et Cartesiani, licet in principiis toto
iversi, tamen consilia viresque suas contra com-
adversarium conjungerent. Sed Voetiani fiducia
n reipublicae gaudebant, effeceruntque, ut Car-
et Coccejani tanquam homines religioni et civi-
iculosi suspicerentur, et cuidam persecutioni
entur, saltim praecipui eorum muneribus pri-
r. Nihilominus non tantum non suppressi, sed
versus finem hujus periodi numero et viribus
ınt. Theologorum Anglicanorum nemo opus ali-
ogmaticum, quod famam consecutum esset, hac
exaravit.

Status theologiae apologeticae et po-
lemicae.

ıta contra Judaeos et Muhamedanos.

n deerant hac periodo viri, sive inter Catholi-
ve inter Protestantes, qui religionem Christia-

partim sub typis et symbolis in libris v
esse. Itaque critice potissimum et exege
tur; sed complures eorum minus solid
vehementiam non dedignabantur. Notatu
ex Catholicis: Petrus Galatinus, Italus
Franciscanus, qui a. 1518. edidit: arcana
ritatis, quibus pleraque religionis Chris
contra Judaeos tam ex scriptis v. t. quan
dicorum commentariis confirmare et illus
est; — Josephus de Voisin, presbyter G
lologia Orientali bene meritus († 1685.) q
nes ad Raymundi Martini pugionem fidei
sua theologia Judaeorum ex scriptis antic
binorum testimonia in favorem religioni
depromsit. Ex Lutheranis: Christianus He
fessor Giessensis, qui concinnavit system
siarum theologicarum, quae Christianis
intercedunt, 8 elenchis comprehensum et a.
cem emissum; — J. Christophorus Wager
sor Altdorfensis († 1705.) qui a. 1681. sub
ignea satanae, arcanos Judaeorum contra
Christianam libros, Latine redditos, et r
ac disquisitionibus criticis instructos edidit

Hoornbeck, professor theologiae, prius Ultrajecti, postea Lugduni Batavorum († 1666.) qui in suis disputationibus antijudaicis, nec non in 8 libris pro convincendis et convertendis Judaeis res inter Christianos et Judaeos controversas accurate definivit, horumque non tantum dogmaticam, sed etiam ethicam impugnavit; — Jacobus Gousset, Gallus, prius praedicator Pictaviensis, postea revocato edicto Namnetensi theologiae professor apud Groningenses, qui contra Judaeos praeter alia librum conscripsit, cui titulus: Jesu Christi evangeliique veritas salutifera, demonstrata in confutatione libri: chissuk aemunah; — Philippus Limborch, professor Arminianus, qui a. 1687. edidit de veritate religionis Christianae amicam collationem cum erudito Judaeo, nempe Isaaco Orobio, medico, qui fide Christiana simulata Salmanticae et Hispali professor fuerat, dein aliquamdiu Tolosae vixerat, tandem vero larva deposita Amstelodami Judaismum publice professus est. Limborchus non de singulis dogmatibus, sed de fundamentis utriusque religionis disputavit, et Judaeo quidem concessit, tam diserta de Messia spirituali et de necessitate fidei in eum, qualia ille postulaverat testimonia, in v. t. non prostare, simul tamen sufficere ostendit, Messiam praenuntiatum, ejusque fata et gesta ita delineata esse, ut, cum reapse advenit, omnicognosci potuerit. Porro ostendit, easdem rationes, quas Judaei Mosen legatum divinum credant, imo graviores, pro Jesu legatione divina extare, et genuinitatem librorum n. f. eorumque axiopistiam validius demonstrari posse, quam librorum v. t., Dei cultum a Jesu praescriptum Mosaico longe praestare, virtutis studium ab illo injunctum Deo magis placere, quam ritum sacrorum peractionem, legem caeremonialem ex consilio non in perpetuum valere. — Contra Muhamedanos, qui partim in Hispania nuper ad finem Christianam perducti fuerant, partim ex Turcia Europaea Occidenti imminebant, partim a naturalistis benigne ju-

riam Mosaicam esse ostendit. Vaticinia M
grua prolixe explicat, eorumque in n. f. c
tum demonstrat; miracula a Jesu patrata
graviter defendit, sed etiam illa, quae V
Hadriano imperatoribus et Apollonio Tyana
sunt, impugnat, et secundum miracula J
esse ostendit. Idem in tribus libris quaesti
tanarum, sive de concordia rationis et fide
conatus est, apud Ethnicos similia credit
fuisse, ac illa sunt, quae in religione Ch
gularia et mirabilia, atque a ratione aliena
tur, quem in finem fidei dogmata, praescri
et instituta religiosa ac ritus sacros Christia
doctrinis philosophorum, mythis et ritibus
comparavit, et ubique similitudinem inter
prehendit; — Joannes de Rosemond, qui
religionis Christianae et s. scripturae adve
Gallice scriptam a. 1681. Parisiis edidit; -
Celestris, Panormitanus, ordinis S. Francis
psit librum, sub titulo: Christiano - Catho
contra Gentiles, Hebraeos, et sectarios d
Romae a. 1683. editum; · Michael Le V

nos, vaticinia in Christo impleta esse docuit, at-
religionis Christianae divinitatem ex miraculis,
m doctrina, et propagatione illius demonstravit; —
ardus Lamy, qui in libro, Gallice scripto: de-
tratio seu documenta evidentia veritatis et sancti-
ethicae Christianae, Parisiis a. 1688. publicato,
raestantia moralis evangelicae divinitatem religio-
Christianae arguit; — Franciscus de Lami, Mau-
, qui philosophiam et theologiam cum magna
itionis laude docuit († 1711.) et hac adhuc perio-
didit: veritas evidens religionis Christianae seu
ta divinitatis ejus argumenta; porro: novus athei-
eversus, seu refutatio systematis Spinozae.

§. 750. Continuatio.

Ex Protestantibus religionem Christianam contra
dulos defenderunt: Philippus Mornaeus (Mornay
Plessis † 1623.) ex nobilissimis Hugonottis, domi
iaeque clarus atque etiam in scientiis theologicis
itus, quibus ad Catholicos, praesertim Romanos
ifices scriptis impugnandos, imo calumniandos et
itiandos usus est. Is librum de veritate religionis
stianae sermone Gallico conscripsit, a. 1579. in
n emissum, postea in plures linguas, et ab aucto-
pso etiam in Latinam translatum. In eo primo de
existentia et religione naturali agitur, et doctrina
Trinitate rationibus philosophicis et testimoniis
icorum comprobatur. Postea sententia de mundi
nitate refutatur, doctrinae de creatione mundi,
rovidentia divina, et de animi immortalitate, de
inis lapsu et restauratione exponuntur, criteria
e religionis definiuntur, quae in n. f. nonnisi a
descendere possint, ostenduntur, praerogativae
ionis Christianae contra Judaeos vindicantur, de-
e in libris n. f. genuinam Christi historiam et do-
am contineri probatur. Mornaeum longe supera-
Hugo Grotius, qui praeter defensionem fidei Ca-

niam vero adversarii pleraque argumenta sua
sacris litteris vel ex antiquitate ecclesiastica de
bant, exorta est inde necessitas, amplissimum
geseos et historiae ecclesiasticae seu s. scriptu
traditionis usum in scriptis apologetico-polemi
ciendi. Alii, praecipue Protestantes, ratiociniis
sophicis maximam partem sepositis, via potiss
exegetica aut historica incedebant. Plerique
conveniebant, ut non tam ad veritatem disput
investigandam, quam ad id, quod semel imbib
omni ratione tuendum, et adversariis ne in minim
dem cedendum, pugnae se accingerent, et magn
vehementia pugnarent. Nonnulli progressu tempo
id etiam devenerunt, ut generales quasdam ob
tiones et regulas, quibus disputantes ad adver
felicius vincendos uterentur, colligerent, eaque
ne institutiones ad theologiam polemicam cond
quales in sequentibus scriptis propositae sunt: in
tini Becani manuali controversiarum hujus tem
Huic enim praeludium praemissum est, in quo
indicantur, quibus multi adversariorum a red
ecclesiam Catholicam detinentur, et varia eoru
nera, pervicacium, causae suae studiosorum, le
rum, dubitantium describuntur, et quomodo cu
gulis eorum disputandum sit, ostenditur; in Fra
Turretini institutionibus theologiae elenchticae, a
servationum copia dictorumque rectitudine ac p
cuitate commendatis; in Friderici Spanheim ju
(† 1701.) elencho historico-theologico de religionis
troversiis cum dissidentibus hodie Christianis et
Judaeis, cui id peculiare est, ut ubique usque ad
tes errorum redeatur, in quo vero etiam adve
refutantur, atque in appendice speciatim illae co
versiae breviter expediuntur, quae recentissima
ris aetate per pseudo-philosophos, antiscripturario
bertinos, et allegoristas motae fuerunt. Huc etiam
tinet Joachimi Perionii, Benedictini Galli († 1

a theologica, seu institutio, sic dicta loca theolo-
ad controversias illius aetatis, speciatim contra
stantes gerendas, rite adhibendi; porro Alphonsi
astro, Hispani ex ordine S. Francisci libri 14
sus omnes haereses, in quibus recensentur et re-
ntur omnes haereses, quarum memoria extat,
ab apostolorum tempore ad hoc usque saeculum
clesia ortae sunt. Huic quoque operi tractatus
nissus est, in quo generatim in haeresin inquiri-
et qui inter haereticos referendi, unde arma con-
aereses desumendae sint, quibus rebus excitentur
opagentur, docetur.

§. 752. Theologi polemici. Inter Catholicos.

Caeterum theologi polemici notatu digniores hac
do sequentes extiterunt. Inter Catholicos: Joan-
Eck, qui praeter multa alia scripsit enchiridium
um communium adversus Lutherum et alios ec-
e hostes; — Joannes Cochlaeus (Dobnek) cano-
Wratislaviensis, auctor plurimorum scriptorum
nicorum contra Lutherum et Melanchthonem, e
s commemorari meretur septiceps Lutherus, ubi-
ibi suisque scriptis contrarius; — Ambrosius Ca-
lus, Florentinus, ordinis Praedicatorum, e cele-
nis sui temporis theologis, qui etiam concilio
ntino interfuit, et praeter alia opuscula apolo-
pro veritate Catholicae et apostolicae fidei ad-
s Lutheri dogmata exaravit; — Stanislaus Hosius,
opus Varmiensis, ex cujus scriptis apologetico-
nicis notamus propugnationem verae Christianae-
licae fidei contra Joannem Brentium; — Guiliel-
Lindanus, postremo episcopus Gandavensis († 1588.)
cujus opera apologetico-polemica praestantissi-
illud est, quod titulum gerit: panoplia evangeli-
n eo auctor Protestantibus ostendit, eos, dum s.
uram solum revelationis fontem statuunt, sibi

theologiam docuit († 1603.) et librum
hoc tempore controversis edidit; — Fran
Mechliniensis, pariter Jesuita, philosoph
giae professor et societatis suae in prov
praepositus provincialis († 1619.), cuju
praecipuarum controversiarum nostri tor
ligione, magnam plurimorum approbation
Robertus Bellarminus, Monte Politianô in
juvenis societatem Jesu ingressus, e cujus
mus Lovaniae theologiam tradidit. Postea
troversias theologicas ingenti cum applau
atque universim multiplici eruditione et p
inclaruit, ut a cardinalibus et summo ponti
silia in causis gravissimis exquirerentur.
Sixto V. legato pontificio in Gallia addit
versus ordinis sui provincialis in regno N
ctus fuisset, Clemens VIII. a. 1599. eum
mum ad dignitatem cardinalitiam evexit
ascetica vitae ratione, quantum fieri pot
cessit. Post aliquot annos idem pontifex
patum Capuanum ei contulit, quo brevi
Romam reversus, ibidemque a. 1620.
Scripta composuit plurima, eaque eccles

fuse, magna cum eruditione et arte, bono ordine et nexu, amoeno stylo, egregia in adversarios moderatione, argumentis e s. scriptura et sanctis patribus deductis, modo magis apologetico, quam polemico pertractantur, et adversariorum rationes ac objectiones secundum omnem earum vim proponuntur. Protestantes hoc opus ex omnibus sibi oppositis maxime periculosum suspexerunt, et frequentibus scriptis impugnarunt.

§. 752. Continuatio.

Sed et in Germannia post aliquod tempus insigne ejus generis opus, at multo minoris molis in lucem prodiit, scilicet Martini Becani manuale controversiarum hujus temporis, jam supra memoratum, in quo controversiae cum Lutheranis, Calvinianis, Anabaptistis et Politicis, quibuscum, v. g. de matrimoniis mixtis, de tolerantia haereticorum et Judaeorum disputatur, succincte, luculenter, et commodo ordine expediuntur. Post adhuc inclaruere: Jacobus Gretser, Suevus, Jesuita, qui Ingolstadii primo linguam Graecam, deinde philosophiam, denique theologiam docuit, et per totam vitam Protestantes ore et calamo indefesso impugnavit, multiplici eruditione, speciatim ecclesiastico-historica et archaeologica instructus. († 1625.) Ex scriptis apologetico-polemicis, numero plurimis, commemoramus defensionem operis Bellarminiani contra objectiones Protestantium. — Petrus Cotton, Gallus, pariter Jesuita († 1626.) auctor institutionis Catholicae, in qua veritas comprobatur contra haereses et superstitiones hujus aevi, et praecipue Calvini institutio religionis christianae refutatur; — Paulus Pelisson, Gallus, ex Calviniano Catholicus, pluribus muneribus functus, qui cum Leibnitio litteras aliquas de unione religiosa communicavit, († 1693.) et sermone Gallo scripsit reflexiones de differentiis religionis cum argumentis pro traditione ecclesiastica; — Bossuetus, cujus opera po-

lemica, Gallice scripta haec sunt: historia variationum, ecclesiarum Protestanticarum in religionis materiis; opus 4 tomis constans, in quorum duobus prioribus mutationes, quas Protestantes inde ab origine sua usque ad auctoris tempora in multis doctrinarum suarum susceperunt, eum in finem enarrantur, ut inde appareat, religionem adeo inconstantem et fluctuantem veram esse non posse, in duobus posterioribus multae quaestiones theologicae et ecclesiasticae inter Catholicos et Protestantes controversae discutiuntur; collatio cum Joanne Claudio, pastore Carentonensi, de ecclesia. in qua Bossuetus potissimum ineptiam Protestantium ostendit, qua ecclesiae auctoritatem et infallibilitatem abjudicant, et nihilominus a suis, ut ejusdem decretis se submittant, exigunt; — Petrus Nicolius, Jansenista. Is edidit: praejudicia legitima contra Calvinistas, in quo libro Gallice scripto ostendit, adjunctis quibusdam, rei Protestantium externe adhaerentibus, velut auctorum moribus, defectu legitimae missionis, injustis et fraudulentis, quibus usi sunt, mediis, jam religionem eorum rejectu dignam sisti, quin necessum sit, singularum doctrinarum falsitatem demonstrare. Eidem Nicolio pars erat insignis operis, quod Arnaldus contra Joannem Claudium potissimum edidit, Gallice exaratum et ita inscriptum: fides perpetua ecclesiae Catholicae circa eucharistiam, in quo opere ex innumeris fere scriptorum ecclesiasticorum tam Occidentalium, quam Orientalium testimoniis, aliisque documentis historicis comprobatur, ecclesiam Catholicam eandem, quam hodie tenet, semper tenuisse de eucharistia sententiam. Ex caeteris ejusdem Arnaldi scriptis polemicis illud adhuc commemorari meretur, quod inscriptum est: eversio doctrinae Jesu Christi moralis per errores Calvinistarum, justificationem concernentes.

§. 753.

§. 753. Inter Lutheranos.

Ex polemicis Lutheranis, qui universim magna cum vehementia pugnabant, post Lutherum notatu digniores sunt sequentes: Flacius, qui in catalogo testium veritatis omnia coacervavit, quaecuncque inter Christianos inde a tempore apostolorum usque ad initia reformationis, doctrinae et moribus ecclesiae Catholicae adversa invenire potuit, ut eam, oppressis veritatis vocibus, corruptionem successive induisse argueret; — Chemnitius, qui praeter alia polemica edidit examen concilii Tridentini, in quo singula ejus decreta juxta ordinem, quo edita habentur, ad s. scripturam et ecclesiae antiquae doctrinam examinavit, et rationes, pro illis adferri solitas refutare conatus est, eumque in finem quam plurimas disquisitiones exegeticas, historicas et dogmaticas instituit; — Conradus Schlüsselburg ob indomitam pugnandi libidinem et vehementiam, calumniis etiam et conviciis delectatam, pluribus locis pulsus, postremo Stralsundae superintendens, ubi a. 1619. mortuus est. Is ab anno 1597. catalogum haereticorum edidit, 13 tomis 8. comprehensum, in quibus totidem adversariorum genera, modo sibi familiari impugnavit; — Joannes Gerardus, qui in sua confessione Catholica, ab anno 1633. quatuor tomis in lucem emissa de omnibus articulis inter Catholicos et Lutheranos controversis ostendere conatus est, quamplurimos theologos Romano-Catholicos tum antiquiorum, tum recentiorum temporum sententias de iis Lutheranas tenuisse, quas simul adductis argumentis probat, et contra objectiones adversariorum vindicat; — Georgius Calixtus, qui omnes polemicos Lutheranos, sicut eruditione et arte ita etiam moderatione et pacis studio superavit. Catholicis opposuit tractatum de pontificio missae sacrificio, quod cum sacrificio in cruce peracto non unum idemque esse contendit; tractatum de conjugio clericorum, quo cae-

§. 755. Theologi irenici. Catholici.

Mala, quae ex scissione ecclesiae et natis inde inimicitiis oriebantur, theologos nonnullos permoverunt, ut, quibus rerum controversarum mitigationibus aliisve mediis concordia et unio restitui posset, scriptis ostenderent, quae a consilio suo irenica dici consueverunt. Hujus generis est illud, quod Erasmus Rotterdamensis composuit sub titulo: de amicabili ecclesiae concordia, in quo, occasione ab interpretatione psalmi 83. desumta, doctrinas et instituta Catholica, a novatoribus rejecta, partim in sanum sensum explicavit, partim mitigavit, partim, qui in eis errores aut abusus occurrebant, innoxios quidem tolerandos, noxios autem abrogandos proposuit. Post eum in hoc scriptorum genere inclaruit Georgius, cognominatus Cassander ab insula Flandrica Cadzand, in qua a. 1515. natus erat, vir in antiqua litteratura, jure canonico et theologia egregie versatus, ingenii admodum mitis et pacifici, qui aliquamdiu variis in urbibus litteras humaniores docuit, postea vero ob frequentes corporis infirmitates Coloniae vitam privatam egit. († 1566.) Is ab imperatore Ferdinando I., pacis et concordiae ecclesiasticae restituendae cupido, provocatus, scripsit consultationem de articulis religionis inter Catholicos et Protestantes controversis, in qua articulos confessionis Augustanae perlustrans, ex doctrinis Catholicis alias in sanum sensum explicavit v. g. satisfactionem sacramentalem, de aliis, velut de sacramentis, moderatius sensit, abusus concessit, et aliqua, quae minus convenire videbantur, v. g. communionem sub sola specie panis, clericorum caelibatum, abroganda aut mutanda proposuit. Eodem imperatore auctore Georgius Wicel, a Lutheranis, ad quos transgressus fuerat, ad Catholicos reversus, et post varia fata a. 1573. Moguntiae qua consiliarius electoris mortuus, qui multa scripta exegetica, polemica, irenica et

hierarchica reliquit, simile opus exaravit sub titulo: via regia, sive de controversis religionis capitibus conciliandis sententia, in quo ex rebus Catholicis minus essentialibus plures, quam Cassander, abrogatas voluit, plus quam ille in doctrina Protestantibus concessit. Etiamsi vero ejusmodi scripta ad pacem et concordiam dissidentium restituendam nihil conferrent, tamen nec posterioribus hujus periodi temporibus inter Catholicos defecerunt, qui similibus compositis, aut aliis unionis mediis scripto proponendis delectarentur. Ex his erant: Adamus Contzen, qui ab anno 1642. Coloniae edidit discursuum theologico-politicorum libros tres, quorum primus pacificator Germanniae, sive irenicum de vera pace et concordia in Germannia ineunda, alter pacificator orbis Christiani, sive de vera et falsa pace, tertius de concordia et pace Germanniae et de concilio generali instituendo inscriptus est; — Jacobus Massenius, a quo a. 1662. Coloniae edita est: meditata concordia Protestantium cum Catholicis in una confessione fidei ex s. scriptura, et a. 1664. nova praxis orthodoxae fidei intra octidui exercitationem sacram discernendae et amplectendae; — Augustinus Gibbon de Burgo, ordinis eremitarum S. Augustini, Erfordii theologiae professor, a quo 1643. editus est: Luthero-Calvinismus, schismaticus quidem, sed non irreconciliabilis; — Matthaeus Praetorius, ex Lutherano Catholicus, qui edidit tubam pacis, Coloniae a. 1686. typis impressam; — Dionysius Werlensis, Capucinus, qui scripsit viam pacis inter homines per Germanniam in fide dissentientes, eodem anno Hildesiae in lucem emissam. Denique huc referenda sunt scripta methodistarum Gallorum, jam alio loco indicata.

§. 756. Protestantes.

Inter Lutheranos unicus Georgius Calixtus irenica consilia proposuit in sua consultatione de tolerantia Reformatorum circa quaestiones inter ipsos et Augustanam

confessionem professos. Illae quaestiones ei sunt: de praedestinatione, de communicatione idiomatum, et de eucharistia, circa quas tanquam minus essentiales et ad salutem non necessarias utriusque partis sententiam tolerandam esse Calixtus arbitratus est. Idem in alio tractatu, desiderium et studium concordiae ecclesiasticae inscripto, tolerantiam, abstinentiam a conviciis et irrisionibus, mansuetudinem et commiserationem in refutando, discretionem inter ea, quae ad salutem necessaria et minus necessaria sunt, abstinentiam a quaestionibus ad pietatem nihil facientibus, et similia tanquam media commendavit, quibus unio non tantum cum Calvinianis, sed etiam cum Catholicis promoveri possit ac debeat. Sed ejus consilia Lutheranis non arrisisse, jam alio loco dictum est. Ipse Pufendorfius in suo jure feciali, sive de consensu et dissensu Protestantium exercitatione posthuma, a. 1695. Lubeccae edita, ostendit, unionem fidei inter Lutheranos et Calvinianos fieri non posse, et nonnisi mutuam tolerantiam observandam esse. — Eo plures ex Calvinianis consilia pacis etiam in scriptis manifestarunt. Id nominatim fecerunt: Franciscus Junius (Jon), ab anno 1592. theologiae in Lugdunensi Batavorum universitate professor, qui in suo »irenico seu meditatione de pace ecclesiae Catholicae inter Christianos, quamvis diversos sententiis, religiose procuranda, colenda atque continuanda«, tolerantiam Catholicorum tanquam ad veram Christi ecclesiam pertinentium commendavit; — Amyraldus, qui a. 1647. dissertationem de secessione ab ecclesia Romana deque pace inter Evangelicos in negotio religionis constituenda, et a. 1662. irenicon edidit; — David Pareus, theologus Heidelbergensis, editis scriptis exegeticis et polemicis inter suos clarus, († 1615.) qui in suo irenico, sive libro de unione et synodo Evangelicorum concilianda, unionem inter Protestantes, tum aliis ex causis, tam quod in fundamentalibus fidei doctrinis non discrepent, non difficilem esse, ostendere conatus est; — Hugo Grotius, qui ad-

notata in consultationem Cassandri a se editam composuit, in quibus hujus consulta examinavit, et pleraque approbavit, adeoque maximam partem Catholicis consensit, acriter propterea ab Andrea Riveto impetitus, et in suspicionem Cryptocatholicismi adductus.

§. 757. Status theologiae moralis. Inter Catholicos.

Doctrina morum a theologis Catholicis hujus periodi non secus ac dogmatica seu speculativa, methodo scholastica, i. e. multis curiosis et spinosis quaestionibus ac problematis, in utramque partem secundum principia Aristotelica disputatis, exiguo usu s. scripturae, e contra sententiis theologorum tum antiquiorum tum recentiorum frequentissime adductis, tradebatur. At vero non tantum ut praecedentibus saeculis tanquam pars theologiae dogmaticae atque huic inserta, sed etiam ab ea separata, propriisque operibus tractabatur. His frequenter secunda secundae S. Thomae, i. e. ea pars summae illius, quae doctrinam moralem exponit, fundamento posita erat, atque juxta eam potissimum tres virtutes theologicae et quatuor cardinales exponebantur. Postea vero ab hoc systemate passim recedebant moralistae, et sequentes materias hoc ordine exponere solebant: conscientiam, actiones voluntarias et non voluntarias, peccata, leges, censuras, irregularitates, virtutes theologicas et cardinales ac vitia opposita, vitam monasticam, clericorumque jura, officia et proventus, denique sacramenta. Non igitur omittebant, principia morum generalia virtutisque adminicula tradere. Verum haec partim non sufficiebant, partim non sufficienter exponebantur; multo magis manca erat expositio diversorum hominis officiorum. Universim opera moralia horum theologorum non tam systema ethicae Christianae, quam complexum variorum jurium ac officiorum, naturalium, Christianorum, civilium, ecclesiasticorum constituebant. Etiamsi vero de his omnibus copiosissime

disputarent moralistae scholastici, de motivis tamen, virtutes sectandi et officia implendi adferendis, et de animo ad pietatem excitando in scriptis suis moralibus, plane non cogitarunt. Pro eo, ut solummodo applicationem diversorum praescriptorum moralium ad varios vitae casus ostenderent, in casibus excogitandis et in disquirendo, quid in eis faciendum sit, inde a posterioribus circiter saeculi 16. temporibus facti sunt frequentissimi, ita ut progressu temporis haud pauci eorum maximam partem ejusmodi casibus proponendis et ventilandis occuparentur, et multi opera, solis casibus dedicata, conscriberent, ita ut theologia eorum moralis non tam institutio ad virtutem Christianam rite cognoscendam et consequendam, quam complexus eorum esset, quae clericis in diversissimis et innumeris casibus moralibus, juridico-canonicis, liturgicis, disciplinaribus, et dogmatico-practicis sentienda et agenda sint. Ita theologia moralis in casuisticam abiit, et qui ita versati sunt, casuistae vocari consueverunt. Hi paulatim laxiores sententias admiserunt, et principia quaedam, laxitati inservientia propugnarunt, qualia erant: probabilismus, seu doctrina, in casibus, ubi certitudo non habetur, sequi licere opinionem minus probabilem, spreta probabiliori; aequivocationes et reservationes mentales; peccatum philosophicum, i. e. actio rationi adversa, et ab eo commissa, qui illam a Deo prohiberi vel ignoret, vel non meminerit, qua ergo Deus non offendatur, et poena aeterna non incurratur. Ejusmodi laxa axiomata et sententiae ac propositiones, doctrinae evangelicae adversae, quales praecipue a moralistis ad societatem Jesu pertinentibus tradebantur, tum a singulis viris, tum ab universitatibus, speciatim Parisiensi et Lovaniensi, tum ab episcoporum congregationibus, praecipue in Gallia, tum etiam a summis pontificibus, nominatim Alexandro VII., Innocentio XI, et Alexandro VIII. publice proscripta sunt, quin inde patroni ad eas deserendas permoveri potuerint.

§. 758. Continuatio.

Celebriores ex scholasticis moralistis et casuistis hujus periodi hi ferme sunt: Dominicus a Soto, qui exaravit libros 7 de justitia et jure, quibus postea addidit librum 8. de juramento et adjuratione; — Ludovicus de Mendoza, a quo edita est summa totius theologiae moralis, septem arboribus comprehensa; — Franciscus Toletus, auctor summae casuum conscientiae, sive instructorii sacerdotum, in octo libros distributi; — Thomas Sanchez, Hispanus Jesuita. († 1610.) Is scripsit opus morale in praecepta decalogi, 2 voll. fol. comprehensum, in quorum primo praecepta moralia ad decalogum relata proponuntur, in altero officia monachorum, ex eorum votis manantia traduntur. Idem grande opus de sancto matrimonii sacramento exaravit, 3 voll. fol. comprehensum, in quo, quidquid de ista materia disputari potest, continetur; — Franciscus Suarez, cujus commentarii et disputationes in summam S. Thomae, 19 voll. fol. comprehensae, duodecimo et quatuor sequentibus tractatus morales de virtutibus theologicis, et de monachorum statu, officiis et pietatis exercitiis continent; — Leonardus Lessius, Brabantinus, Jesuita, philosophiae et theologiae in universitate Lovaniensi professor. († 1623.) Is edidit 4 libros de justitia et jure caeterisque virtutibus cardinalibus; — Paulus Laymann, Bipontinus, pariter Jesuita, qui philosophiam, theologiam moralem, et jus canonicum Ingolstadii, Monachii, et Dilingae docuit, († 1625.) et theologiam moralem in 5 libros distributam edidit; — Ferdinandus de Castro Palao, Hispanus, Jasuita, qui theologiam moralem Compostellae tradidit († 1633.) et grande opus in istam disciplinam conscripsit, 7 constans tomis, quorum 1. agitur de conscientia, peccatis, legibus, fide, spe et charitate, 2. de oratione, horis canocis, 3. de juramento, voto, statu religioso, 4. de sacramentis, 5. de matrimonio et sponsalibus, 6. de poenis

ecclesiasticis, 7. de justitia et jure, prudentia, fortitudine et temperantia; — Antonius Ferdinandez, Hispanus, a quo editum est examen theologiae moralis, complectens medullam omnium casuum conscientiae; — Stephanus Bauny, Gallus, Jesuita, († 1649.), cujus opus: summa peccatorum, quae committuntur in omnibus statibus, de eorum qualitatibus, et in quibus casibus mortalia sint aut venialia, Gallice scriptum, a Sorbonna, a tota universitate Parisiensi, et a clero Gallicano ob sententias, quas moralitati adversas continet, impetitum est; — Hermannus Busenbaum, Westphalus, pariter Jesuita, qua rector collegii Monasteriensis a. 1669. mortuus, cujus medulla theologiae moralis ob brevitatem, aptum materiarum selectum, et perspicuitatem maximam celebritatem et frequentissimum usum consecuta est; — Antonius Diana, Panormitanus, canonicus regularis, et consultor inquisitionis Siculae († 1660.), qui edidit resolutiones morales, in quibus selectiores casus conscientiae breviter, dilucide, et utplurimum benigne, sub variis tractatibus resolvuntur, 4 tomis fol. contentas. Complectuntur plura millia casuum et quaestionum de immunitatibus ecclesiasticis et clericalibus, de paupertate monachorum, de absolutione ab haeresi, de horis canonicis, de contractibus, usuris, jejunio, sacramentis, multisque aliis materiis, quae adductis in utramque partem theologorum sententiis, ex rationibus quibusdam breviter allatis deciduntur; — Joannes Caramuel Lobkowitz, Hispanus Cistertiensis, theologiae in universitate Complutensi professor, postea vicarius archiepiscopi Pragensis, et tandem episcopus Viglebanensis. († 1682.) Is scripsit theologiam moralem, ad prima eaque clarissima principia reductam, quae ei sunt: lex moralis, conscientia, et decalogus, de quibus in 4 operis sui libris cum multis quaestionibus et applicatione ad singulos casus tractat; — Thomas Tamburinus, Siculus, Jesuita, tandem ordinis sui praepositus generalis († 1675.) a quo scriptae sunt: expe-

ditae decalogi explicationes, libris 10 digestae, et: juris divini naturalis et ecclesiastici morales explicationes de sacramentis, contractibus, censuris et irregularitate; — Thyrsus Gonzalez, Hispanus, pariter supremus societatis Jesu praepositus († 1705.) auctor fundamenti theologiae moralis, seu tractatus de recto usu opinionum probabilium.

§. 759. Continuatio.

Praeter moralistas et casuistas scholasticos, alii quidam hac periodo inter Catholicos extiterunt, qui disciplinam morum, aut materias morales singulares alia methodo simpliciori, magis populari, ejus naturae, et hominum indigentiis moralibus magis conveniente pertractarent, atque, etiamsi systema nullum condiderunt, sed singulas plerumque materias morales coluerunt, egregias tamen in eas observationes et regulas proponerent. Tales praecipue altero saeculi 17. dimidio in Gallia fuerunt, ubi Jansenistae universim de morum disciplina egregie merebantur, sed, cum laxismo se opponerent, in oppositum fere rigorismi vitium inciderunt. Scriptorum moralium huc pertinentium potiores sunt: Ludovicus Vives, qui scripsit de institutione faeminae Christianae libros quinque; — Antonius Godeau, qui sermone Gallico edidit moralem Christianam ad instructionem parochorum et presbyterorum suae dioecesis; — Petrus Nicolius, a quo inde ab anno 1671. pariter sermone Gallico in lucem emissa sunt: tentamina ethica, 4 tomis contenta. Constant ex tractatibus, de diversis materiis moralibus, v. g. de debilitate naturae humanae, de mediis, pacem cum hominibus conservandi, de civilitate Christiana, de educatione principis, quomodo homo Deum tentat, de quatuor ultimis hominis, de vigilantia Christiana. Post auctoris mortem adhuc comparuerunt ejus instructiones theologicae et morales de sacramentis, de symbolo, de oratione Dominica, salutatione Angelica, sancta missa, de primo

praecepto decalogi, ubi tractatur de fide, spe et charitate; — Jacobus Esprit, presbyter saecularis, olim oratorii, († 1678.) qui composuit theologiam moralem, et librum de falsitate virtutum humanarum, usus pariter lingua vernacula; — Bonus Merbesius (de Merbe) Gallus, presbyter saecularis († 1684.) a quo exarata est summa Christiana seu orthodoxa morum disciplina, ex s. scriptura, patribus et consiliis excerpta; — Malebranchius, qui philosophiam et theologiam moralem feliciter coluit, scripsitque tractatum de ethica, ubi potissimum, in quo vera virtus consistat, et quibus rebus comparetur, docuit; alium de amore erga Deum, quem ita proposuit, ut mysticorum exorbitantium illius temporis conceptus declinaret; alium de natura et gratia. Ejus conversationes Christianae, in quibus veritas religionis et doctrinae moralis Jesu Christi vindicatur, opus simul apologeticum est, sicut demonstratio veritatis et sanctitatis ethicae Christianae Francisci Lami, jam supra inter scripta apologetica memorata. Idem Lamius etiam magnum opus de cognitione sui ipsius, 5 voluminibus comprehensum, et sequenti periodo plura opera ascetica edidit.

§. 760. Continuatio.

Sed nec hac periodo inter Catholicos defuerunt, imo plurimi fuerunt, qui theologiam mysticam scriptis colerent, vel opuscula ascetica, hujus theologiae finibus inservientia elucubrarent. Ex eis sequentes notari merentur: Erasmus Rotterdamensis, ex cujus operibus huc pertinent: enchiridion militis Christiani; opusculum de contemtu mundi; liber de praeparatione ad mortem; — S. Joannes a cruce, Hispanus, ordinis Carmelitarum, qui praeter alia scripsit: obscuram noctem animae; flammam amoris vivam; — Bellarminus cardinalis, a quo sunt: libri tres de gemitu columbae, et: ascensus mentis in Deum per scalas rerum creatarum; — S. Franciscus Salesius, cujus opera, huc pertinentia,

sermone Gallico scripta, sunt: Philotheus, seu introductio ad vitam devotam, pro tyronibus vitae spiritualis destinata; Theotimus, seu de amore Dei libri 12, qui continent institutionem, ad perfectam cum Deo conjunctionem, mysticis propositam, perveniendi; epistolae spirituales; verae oblectationes spirituales; — Victor Gelenius, Augustinianus Trevirensis, qui reliquit summam practicae theologiae mysticae, Coloniae a. 1646. typis impressam; — Vincentius Caraffa, praepositus generalis societatis Jesu, qui praeter plura opuscula spiritualia, sermone Italo scripta v. g. viam coeli, fasciculum myrrhae, etiam theologiam mysticam elucubravit; — Barbansonius ordinis Capucinorum, qui scripsit compendium verae theologiae mysticae, seu amoris divini occultas semitas, a. 1698. typo vulgatas; — Joannes Bona, cardinalis, qui caeteris mysticis hujus periodi non tantum multiplici eruditione, sed etiam eo praecellit, quod ejus scripta facilius intelligi, et uberior ex eis institutio percipi possit. Ea sunt: horologium asceticum; tractatus asceticus de sacrificio missae; manuductio ad coelnm; liber de discretione spirituum; principia et documenta vitae Christianae. Illud, quod inscriptum est: via compendii ad Deum per motus anagogicos et preces jaculatorias, institutionem ad theologiam mysticam continet.

§. 761. Theologi morales inter Lutheranos.

Protestantes, qui fidem potissimum urgebant; morum doctrinam propriis libris excolendam usque ad alterum fere saeculi 17. dimidium non susceperunt, sed illis praescriptis moralibus acquiescebant, quae partim in scriptis suis exegeticis, ubi frequenter ad materias morales digrediebantur, partim in dogmaticis adferebant, ubi secundum exemplum Melanchthonis de peccato, de lege, de decalogo, aliisque materiis moralibus tractabant. Inter Lutheranos Georgius Calixtus primus erat, qui in singulari libro, nempe in epitomi the-

ologiae moralis, a. 1634. edita, quasdam hujus disciplinae partes, nempe finem et objectum ejus, principia actionum hominis regenerati, conscientiam et leges pertractare tentavit. Post eum J. Conradus Dürr, theologus Altdorfensis († 1677.) primus universam theologiam morum complexus est in libro, quod a. 1662. sub titulo comparuit: enchiridion theologiae moralis, postea sub hoc: compendium theologiae moralis, in quo virtutes et officia hominis Christiani tum in genere, tum in specie, quatenus nempe in certis vitae statibus consideratur, explicantur, et variae quaestiones practicae deciduntur. Inter illos, qui post hunc similia opera conscripserunt, notatu dignior est Christophorus Schomer, theologus Rostockiensis († 1693.), utpote qui in suo specimine theologiae moralis, quo vera et naturalia omnis juris et honestatis principia breviter eruuntur", meliori methodo, et hinc inde disquisitionibus quibusdam philosophicis usus est. Silentio hic non praetereundus est Spenerus, qui tum monitis tum exemplo Lutheranos ad doctrinas religionis practice proponendas, adeoque etiam ad theologiam moralem colendam excitare conatus est, et plura scripta, his finibus accomodata sermone Theodisco composuit, velut: de necessitate et possibilitate Christianismi activi, evangelica vitae officia, i. e. seriem sacrorum sermonum, in quibus tota morum doctrina, in ss. litteris contenta exponitur.

§. 762. Inter Calvinianos.

Inter Calvinianos Hugo Grotius a. 1640. edidit explicationem decalogi, et quomodo ad decalogi locos evangelica praecepta referantur. Post eum Amyraldus moralem Christianam sermone Gallico conscripsit, quae ab anno 1652. 6 tomis 8. comparuit. In 1. status hominum moralis originarius describitur, et quae in hac sua integritate officia erga Deum, proximum, et semetipsos cognoscere et exercere potuissent, ostenditur. In 2. et

3. idem fere de statu corrupto hominum sibi solis relictorum, seu Ethnicorum, docetur. In 4. ostenditur, quae moralitatis adminicula Judaeis per Mosen et prophetas suppeditata fuerint, et quomodo illi officia inde sibi enata impleverint. In reliquis duobus doctrina morum Christiana traditur, et speciatim virtutes Christianae, pietatis exercitia, motiva ad pietatem, officia generalia secundum praecepta decalogi, tandem specialia Christianorum, quoad statum et vitae rationem diversorum, exponuntur. Inter theologos Batavos Joannes Hoornbeck a. 1663. theologiam practicam edidit, in qua praeter alias nonnullae materiae, rarius pertractari solitae, occurrunt. Hugonottae tamen caeteris palmam praeripuerunt. Ex iis enim Joannes Placaeus, qui, postquam in diversis patriae locis praedicator fuisset, rescisso edicto Namnetensi, eodem munere Hafniae functus est, tandem Ultrajecti a. 1718. mortuus, singulas materias morales egregie pertractavit, tum in singularibus libris, velut: de conscientia, de jurejurando, de restitutione, de mendacio; tum in suis tentaminibus moralibus, ab anno 1692. editis, et 6 tomis 12. comprehensis, quae constant ex tractatibus de ejusmodi materiis: de vigilantia Christiana, de cura salutis aliorum, de gradibus gloriae et beatitatis coelestis. Sed Benedictus Pictetus eodem tempore universam theologiam moralem exaravit, sermone Gallico, sicut Placaei opera conscriptam, quae a. 1695. 8 tomis 12. comparuit, et in 9 libros divisa est, atque id sibi peculiare habet, quod morum praecepta ad plurimos speciales vitae casus, status et relationes in ea applicentur et specialissima praescripta tradantur.

§. 763. Casuistae inter Protestantes.

Praeter hos theologiae moralis scriptores nonnulli inter Protestantes, casuistas Catholicos imitati, etiam talia opera conscripserunt, in quibus potissimum de variis conscientiae casibus tractabatur. Inter Luthera-

nos id primus omnium tentavit Franciscus Balduinus, theologus Wittenbergensis in tractatu de casibus conscientiae, a. 1628. in lucem emisso. Guilielmus Amesius, Calvinianus, qui prius Franequerae, postea Rotterdami theologiam docuit, († 1534.) in 5 libris de conscientia et ejus jure vel casibus, quos a. 1630. edidit, non tam conscientiae casus, quam quaestiones de omni officiorum humanorum genere proposuit et dissolvit. Caeterum de diversis casibus et rebus difficilibus aut dubiis, quae in variis statibus, speciatim in administratione muneris pastoralis reapse occurrebant, disquisitiones instituendo et consilia dando theologi Protestantes non deerant. Atque ejusmodi consilia, quae frequenter typis mandata sunt, nonnulli inter Lutheranos etiam collecta exhibuerunt.

§. 764. Scriptores ascetici.

Neque defuerunt Protestantibus, qui scriptis asceticis pietatem inter suos promovere conarentur. Talis erat inter Lutheranos: Joannes Arndt, qui postremo locum praedicatoris et superintendentis generalis Cellae in ducatu Lunaeburgensi obtinuit, ibique a. 1611. mortuus est. Is in 4 libris de vero Christianismo, Germanice scriptis, de origine, progressu, exercitiis, impedimentis, et adminiculis Christianae pietatis, dictione intellectui vulgari et animis movendis accommodata, frequenti locorum biblicorum usu, adductis multis exemplis, et applicatione ad plurimos vitae casus facta, sermocinatus est, sed passim etiam mystica aspersit, quapropter a pluribus suorum impetitus et errorum accusatus est. Joannes Gerardus, celebris ille theologus dogmaticus et polemicus a. 1623. scholam pietatis edidit, pariter lingua vernacula compositam, in quo libro primum causae, quibus homo ad pietatem moveatur, dein ejus adminicula, postea essentiales ejus partes, inter quas obedientia erga Deum refertur, porro necessariae hujus obedientiae partes expo-

exponuntur, et tandem docetur, quomodo Christianus in observandis decalogi praeceptis eam exercere debeat, qua occasione pleraeque virtutes et officia, etiam specialia traduntur. Praeterea Gerardus 50 meditationes sacras, ad veram pietatem excitandam, et interioris hominis profectum promovendum accommodatas, jam a. 1606. ediderat, in quibus quamplurima loca non tantum ex sacris litteris, sed etiam ex scriptis Augustini, Anselmi, Bernardi, Tauleri adducuntur. Post eum in hoc scriptorum genere caeteris praecelluit Christianus Scrivers, praedicator Quedlinburgensis, qui sermone patrio edidit thesaurum animae, meditationes de variis fidei et morum doctrinis continentem, et: devotiones fortuitas, ita dictas, quia excitantur consideratione rerum naturalium et artificialium, fortuito oblatarum. Pietistae, quibus opera ascetica, a Protestantibus conscripta, minime sufficiebant, ad pietatem et vitam spiritualem inter suos promovendam, scripta mysticorum Catholicorum, Tauleri, Thomae Kempensis, cardinalis Bonae, Michaelis Molinos, versionibus aut novis editionibus inter suos propagare conabantur. — Inter Calvinianos praecipue Hugonottae, scriptis asceticis, utplurimum sermone Gallico compositis, inclaruerunt, nominatim: Petrus Molinaeus (du Moulin † 1658.) variis in locis professor et praedicator, Joannes ex Hispania (d' Espagne) et Carolus Drelincourt, praedicator Carentonensis († 1669.) cujus consolationes animae fidelis contra terrores mortis cum dispositionibus et praeparationibus necessariis ad bene moriendum, maximam inter Protestantes approbationem nactae sunt. — Scriptoribus his asceticis statim adjungimus theologos Anglicanos, qui in eadem materia feliciter et cum applausu omnium Protestantium versati sunt, Thomam Goodwinum, Josephum Hall, Danielem Dyke, Emmanuelem Sonthom, Richardum Baxter, Joannem Buniam. Praeter hos, si adhuc Guilielmus Perkins, theologiae in universitate Cantabrigiensi

professor († 1602.), qui anatomiam sacram humanae conscientiae, et decisiones casuum conscientiae edidit, commemoratur, jam absolutum est, quidquid memoratu dignum circa doctrinam morum theologi Anglicani hujus periodi praestiterunt.

§. 765. Status theologiae pastoralis. Inter Catholicos.

Theologia pastoralis hac periodo nondum tanquam singularis disciplina in scholis theologicis tradita est, atque etiam scripta, in eam exarata, potius singulas ejus partes, quam universum ejus ambitum concernebant. Equidem quod Catholicos attinet, moralistae et casuistae scholastici in suis institutionibus etiam de officiis clericorum praecipere, et imprimis multa, confessariis scitu necessaria et utilia tradere consueverunt. Inter singularia opera, instruendis animarum curatoribus destinata, notari merentur: Claudii Espencaei concio synodalis de officio pastorum; Petri Soti tractatus de institutione sacerdotum; Caroli Borromaei, ab anno 1560. cardinalis et archiepiscopi Mediolanensis, praesulis, non minus prudentia pastorali, quam zelo animarum et vitae sanctitate insignis († 1584.) instructiones confessariorum et concionatorum, quae reliquis hujus generis operibus, hac periodo exaratis palmam praeripiunt; Tobiae Lohner instructio practica ad tyronum sacerdotum utilitatem ex variis auctoribus collecta, 2 tomis; ejusdem instructiones practicae varii argumenti, 9 tomis; Petri Binsfeld, suffraganei Trevirensis enchiridion theologiae pastoralis. — Qui de homiletica editis libris praeceperunt, notatu digniores hi sunt: Ludovicus Granatensis, concionator celeberrimus ordinis Praedicatorum saeculo 16., qui elucubravit rhetoricam ecclesiasticam; Joannes Stampel, auctor informatorii futuri concionatoris; Carolus Regius, a quo editus est orator Christi-

anus, 10 libris comprehensus; Valerius Augustinus, qui mandante Carolo Borromaeo exaravit rhetoricam ecclesiasticam, 3 libris contentam; Antonius Arnaldus, qui scripsit reflexiones de eloquentia praedicatorum. Praeterea in usum praedicatorum Franciscus Bernardinus Ferrarius, theologus Mediolanensis, priori saeculi 17. dimidio, librum historicum composuit de ritu sacrarum ecclesiae veteris concionum; Combefisius bibliothecam patrum concionatoriam edidit, tractatus et homilias SS. patrum pro diebus Dominicis et festis continentem. His tamen similibusque institutionibus et subsidiis effici non potuit, ut ipsi sacri sermones in universum ad eam, quam finis eorum postulat, praestantiam pervenissent, sed his plerumque defectibus laborabant, ut dicta ad idem thema non referrentur, ut apta dispositione carerent, ut inutilis et superflua eruditio et argutia scholastica afferretur, ut lepore et figuris ineptis, trivialibus, imo scurrilibus scaterent. Nihilominus hinc inde nonnulli melioris notae concionatores, praesertim in Italia et Gallia extiterunt. Tales erant: Clarius, episcopus Fulginiensis († 1555.), qui etiam inter s. scripturae interpretes inclaruit; Cornelius Mussus, episcopus Bitontensis in regno Neapolitano († 1574.); Carolus Borromaeus; Paulus Segneri, Jesuita († 1694.) qui 27 annis magnam Italiae partem qua missionarius peragravit, et tum incredibili sermonum suorum virtute, tum cruciatibus, quos corpori suo ad expianda peccata infligebat, frequentissimas peccatorum conversiones, attamen non diu durantes produxit, id quod de aliis quoque ejusmodi missionariis hujus periodi valet. Inter Gallos inclaruerunt: Simon Vigor, postea archiepiscopus Narbonnensis; († 1575.) Claudius de Lingendes, Jesuita; († 1660.) Joannes de Lingendes, priori cognatus, episcopus Matisconensis; Franciscus Senault, praepositus generalis congregationis oratorii, († 1670.) qui rebus eruditis et scurrilibus repudiatis, exemplum

antiquorum patrum in suis sacris sermonibus imitatus est; abbas de S. Cyrano; Julius Mascaron, presbyter oratorii, postremo episcopus Aginnensis († 1703.) cujus praecipue orationes funebres omnes in admirationem rapiebant; Esprit Flechier, episcopus Nemausensis; († 1710.) Bossuetus, qui praesertim in orationibus funebribus omnes post se reliquit; Ludovicus Bourdalou, Jesuita († 1704.) ex omnibus sacris oratoribus hujus aetatis celeberrimus, in quo praecipue dictorum veritas et soliditas laudatur.

§. 766. Continuatio.

Nec defuerunt inter Catholicos, qui sive theoretice de arte catechetica praeciperent, licet eorum institutionibus tum quoad ordinem et nexum, tum quoad plenitudinem cunctamque perfectionem plurimum adhuc deesset; sive editis catechismis practice monstrarent, qua ratione parvuli aut universim rudes in doctrina Catholica instituendi sint, quae institutio nulla adhuc aetate tam diligenter peracta fuit. Prioris generis scripta catechetica sunt: Joannis Gropper theologi Coloniensis institutiones catecheticae a. 1554. typis impressae; Didaci de Ledesma, Jesuitae Itali, liber de modo catechizandi, Italice scriptus; Antonii Possevini, Mantuani, pariter e societate Jesu, (qui legationibus ad regem Sueciae Joannem III. et ad Caesarem Russorum Joannem Basilidem, propter unionem cum ecclesia Romana functus est, atque etiam methodologiam et historiam litterariam theologiae scriptis illustravit, † 1611.), epistola ad Ivonem Tarterium, ecclesiae Trecensis decanum, de necessitate, utilitate, et ratione docendi Catholici catechismi; Martini Couvreur, pariter Jesuitae, instructio pro catechizandis rudibus; Petri Wittfeld theologia catechetica, Monasterii a. 1656. typis vulgata. Catechismi autem in omnibus fere terris Catholicis editi sunt quam plurimi, tum privata singulorum virorum eruditorum, tum publica vel totius ec-

clesiae, vel summorum pontificum, vel imperantium civilium, vel episcoporum indigentiis suarum dioecesium prospicientium, praecipue saeculo 17. in Gallia, auctoritate. In iis doctrina Catholica modo quidem plerumque simplici et sermone populari, non tamen ab omnibus terminis scholasticis libero proposita, illud autem minime observatum est, ut methodo synthetica nonnisi a cognitis ad incognita progressus fieret. Caeterum notatu digniores inter eos sunt sequentes: Catechismus Romanus, ex decreto concilii Tridentini, curante summo pontifice, a Marino archiepisco Anxianensi in regno Neapolitano, Foscararo episcopo Mutinensi, et Fureiro, theologo Lusitano, qui omnes concilio Tridentino interfuerant, confectus, et a Pio V. et Gregorio XV. approbatus. In eo fidei morumque doctrinae 4 capitibus, de symbolo apostolico, sacramentis, decalogo, et oratione Dominica tractantibus exponitur. Hic catechismus potissimum pro animarum curatoribus destinatus fuit, ut intelligerent, quibus in rebus populum sibi commissum instituant. Maximam celebritatem et usum frequentissimum per universam ecclesiam Catholicam, praecipue Germannicam, nacti sunt catechismi major et minor, quos Petrus Canisius, Noviomagensis, primus, qui ex Germannis societati Jesu adscriptus est, et Germannicam postea illius provinciam rexit, mandante Ferdinando I. imperatore confecit. In eis tractatur primo de fide et symbolo, deinde de spe et oratione Dominica atque salutatione Angelica, de amore et decalogo, ubi simul de cultu sanctorum, imaginum, et reliquiarum agitur, porro de praeceptis ecclesiasticis, sacris traditionibus, ecclesia, pontifice, conciliis, sanctis patribus et s. scriptura; postea de sacramentis, et tandem de justitia Christiana, ubi sub duobus titulis, quorum alter malum vitandum, alter bonum faciendum proponit, de variis peccatorum, virtutum et bonorum operum generibus, et postremo de quatuor ultimis hominis rebus agitur. In fine adjectus est

tractatus de lapsu hominis et de justificatione. Catechismi Canisii, quorum minor e majore excerptus est, methodo erotematica conscripti, praecipue a rectitudine, brevitate, et perspicuitate responsionum laudem consecuti sunt. Post Canisium cardinalis Bellarminus, mandante Clemente VIII., doctrinae Christianae copiosam explicationem sermone Italo composuit, mox in Latinam aliasque, etiam Orientales linguas translatam, quae catechismo Romano longe brevior, simplicior, captuique vulgari accomodatior est. Ex reliquis catechismis adhuc notari meretur catechismus historicus, a Claudio Floerio, historiae ecclesiasticae scriptore compositus, qui duplex est, major et minor, et id sibi peculiare habet, quod fidei morumque dogmata ex substrata s. historia deducantur, et nonnisi gravissimae doctrinae, omissis omnibus dubiis aut minus utilibus quaestionibus terminisque scholasticis, sermone simplici, animisque movendis accommodato exponantur.

§. 767. Inter Lutheranos.

Lutheranis sat multi fuerunt, qui de munere pastoris animarum, quale ab ipsis conceptum et formatum erat, rite administrando bene praeciperent. Ex his notatu digniores sunt: Erasmus Sarcerius, superintendens comitatus Mansfeldensis, qui a. 1550. edidit pastorale, sermone Theodisco conscriptum; Jo. Andreas Queenstedt, theologus Wittenbergensis († 1688.) auctor ethicae pastoralis; J. Ludovicus Hartmann, a quo a. 1678. Norimbergae editum est pastorale evangelicum, seu instructio plenior ministrorum verbi, libris 4. Fuit haec primum systema theologiae pastoralis, satis plenum et eruditum, in quo etiam de catechetica tractabatur, monita circa quamcunque praxim pastoralem proposita, et praeterea ultra 800 decisiones casuum conscientiae, quaestionum, controversiarum, dubiorum additae erant. Speuerus, et qui ei consentiebant, reformationem morum et ministerii

pastorum desiderantes, etiam in scriptis suis varia huc pertinentia proposuerunt. Non pauci in singularibus libris institutiones ad homileticam, plerumque sub titulo: de ratione concionandi tradiderunt. Eae tamen admodum exiles, minus aptae, et firmis principiis destitutae erant, artem rhetoricam Graecorum et Romanorum, non observato necessario discrimine, ad sermones sacros applicabant, et quamplurimas methodos praedicandi, quae nonnisi diversae sermonum formae erant, statuebant. Ineptis ejusmodi institutionibus etiam ipsi concionatores respondebant, qui secundum exemplum Lutheri, cujus tamen energiam et popularitatem paucissimi assecuti sunt, his potissimum vitiis laborabant, quod sine ordine et nexu ad multiplices materias digrederentur, et nonnisi de fide ac contra bona opera declamarent, quod controversias theologicas pertractarent, et in Catholicos ac Reformatos magna cum vehementia, nec sine conviciis inveherentur, quod sermone satis triviali uterentur, quibus vitiis saeculo 17. ineptus usus eruditionis scholasticae et flosculorum sermonis accessit. Non tamen defuerunt inter Lutheranos praedicatores, qui ab his vitiis, aut plerisque eorum, feliciter sibi temperarent, auditores suos in pietate Christiana informarent, eorumque animos commoverent. Hos omnes superavit Spenerus, qui nonnisi doctrinas biblicas in suis concionibus pertractabat, aut omnia, de quibus concionabatur, ad biblia reducebat, omnia, etiam theoretica, ad vitae usus applicabat, in exponendis officiis ubique impedimenta, sed et adminicula eorum monstrabat, plurimumque contulit, ut vitiosae methodi concionandi, hactenus usitatae, in Saxonia passim desererentur. — De arte catechetica nihil hac aetate inter Lutheranos scriptum est. Quae nonnunquam comparebant institutiones catecheticae, v. g. Valerii Frocedorf methodus doctrinae catecheticae, Goerlicii a. 1570., Joannis Baier aphorismi de informatione catechetica, Vimariae 1698., potius ratio-

nem, catechismum Lutheri explicandi, quam universae catecheticae regulas tradebant. Igitur fere restricta erat haec disciplina ad ea, quae in nonnullis institutionibus universae theologiae pastoralis v. g. in Hartmanni pastorali evangelico contenta erant, quibus accesserunt versus finem hujus periodi monita, eaque admodum praestantia, quae Spenerus in variis scriptorum suorum locis de illa árte proferebat. Inter catechismos Lutheranorum eminebant ambo a Luthero confecti, in quibus decalogus, symbolum apostolicum, oratio Dominica, baptismus et eucharistia exponebantur. Minor eorum methodo erotematico compositus, et parvulorum rudiorumque captui accommodatus, frequentissimum inter Lutheranos usum nactus, et quamplurimis scriptis explicatus est. Ex caeteris Lutheranorum catechismis plerique ad normam minoris Lutheri compositi erant, alii propriam formam habebant, velut ille, quem Brentius adhuc ante Lutherum sermone Latino et Germannico edidit, et Valentini Andreae, praedicatoris ac consiliarii consistorialis Würtembergensis († 1654.) evangelica doctrina puerilis, lingua vernacula composita.

§. 768. Inter Calvinianos.

Calviniani hac periodo nullam, quae memoranda esset, institutionem pastoralem scripserunt, religionis ministrum tanquam praedicatorem potissimum considerantes. De arte praedicandi plures inter eos praeceperunt, quorum praestantiores sunt: Hyperius, qui in 2 libris de formandis concionibus sacris, seu de interpretatione scripturarum populari, egregiam et satis plenam de hac re institutionem communicavit; Stephanus Gaussen, theologiae professor Salmuriensis († 1679.), qui in sua dissertatione de ratione concionandi, praedicatori, sermonem sacrum concepturo, non tam artis regulas, quam potius id commendavit ut devotionis sensum in se excitet, et naturae suae ductum sequa-

tur; Joannes Claudius, cujus tractatus de compositione sermonis sacri, ab eo potissimum commendatur, quod omnes regulae plurimis exemplis et applicationibus illustratae sint. In ipsa arte praedicandi Calviniani caeteris vix superiores erant; explicatio exegetica et declamatio polemica maximam partem concionum eorum occupabat, caeterum Batavi eas eruditis rebus onerabant, Galli arte rhetorica praestabant. Cumque in Gallia saeculo 17. artes pulchrae et lingua vernacula magis magisque excoleretur, atque ad altum tandem perfectionis gradum perduceretur; id non parum contulit, ut etiam Hugonottae praestantes quosdam concionatores nanciscerentur, inter quos Moses Amyraldus, Samuel Bochart, et imprimis Petrus du Bosc, praedicator Cadomensis, rescisso autem edicto Namnetensi Rotterdamensis († 1692.) eminuerunt. — De arte catechetica unicus inter Calvinianos Hyperius scripsit libellum, quoad majorem partem historicum, utpote in quo origo et status rei catecheticae prioribus ecclesiae saeculis enarratur, at vero etiam, quae doctrinae a catechetis exponantur, ostenditur, et regulae eis praescriptae ex antiquis scriptoribus confirmantur et illustrantur. Ex catechismis, qui inter Calvinianos comparuerunt, caeteris majorem auctoritatem et usum nacti sunt ille, quem Calvinus ipse composuit, et Heidelbergensis. Uterque methodo erotematica compositus, et in multas sectiones secundum numerum dierum Dominicarum totius anni divisus est. In priori de fide, obedientia, oratione, et persuasione, omne bonum a Deo descendere, agitur, atque sub his inscriptionibus symbolum apostolicum, decalogus, oratio Dominica et sacramenta exponuntur. In posteriori primum agitur de peccato et miseria hominum, deinde de redemtione, ubi symbolum, baptismus et eucharistia, denique de grato pro redemtione animo, ubi decalogus et oratio Dominica exponuntur. — De theologia pastorali inter Anglicanos nihil dici potest, nisi

nonnullos eorum, nominatim Chappelium et Wilkinsium saeculo 17. de arte praedicandi praecepisse, hanc vero satis inepte a praedicatoribus exercitam fuisse, donec altero ejusdem saeculi dimidio nonnulli melioris notae concionatores, inter quos Joannes Tillotson, postremo archiepiscopus Cantuariensis († 1694.) maximam celebritatem consecutus est, eloquentiam sacram inter suos reformare coepissent, quorum tamen conciones potius tractatus philosophico-theologici, quam orationes sunt, animis auditorum movendis et ad pietatem excitandis aptae.

§. 769. Effectus sic dictae reformationis.

Quinam fuerint effectus gravissimi illius eventus, a quo hanc periodum exorsi sumus, ex historia hactenus enarrata sufficienter intelligitur. Juvat tamen, eos in fine hujus historiae strictim eo ordine ob oculos ponere, quo religionem, mores, litteras, et statum politicum attinent. Quoad religionem, Protestantes quidem gloriantur, hanc a multis falsis doctrinis, superstitionibus, et abusibus purgatam, et rejecta traditione ac ecclesiae infallibili auctoritate, nobilem, quae Christianos deceat, in religionis negotio cogitandi libertatem introductam fuisse. Verum, quanta fuerit haec libertas, ex libris symbolicis, quos ad fidei unitatem inter se conservandam introducendos esse intellexerunt, ex jurejurando, quo publico munere fungentes ad eosdem libros adstrinxerunt, ex mutuis inter eos litibus, odii, conviciorum et persecutionum plenis, ex sorte Michaelis Serveti aliorumque, ex synodo Dordracena et aliis eventibus multis abunde patet. Cum deinde posterioribus hujus periodi annis nonnulli inter eos viri, principio Protestantismi convenienter auctoritatem librorum symbolicorum minus curassent, eoque exemplum dedissent, quo alii saeculo sequenti ad eandem auctoritatem evertendam excitati sunt; jam recentiori tempore manifestum factum est, quantum prae-

dicata illa in religionis negotio cogitandi libertas ad religionem Christianam, adeoque et ipsam Lutheranam ac Calvinianam destruendam perducat. Doctrinas, quas Protestantes ex antiqua religione velut falsas abjecerunt, tales esse, Catholicorum nemo concedere potest; nonnullas, easque gravissimi momenti, velut de necessitate bonorum operum ad justificationem et salutem, tales non esse, ex ipsis Protestantibus haud pauci concesserunt; omnes autem certe ad religionem a Jesu Christo per apostolos traditam pertinere, vel ab ea non alienas esse, studium historiae ecclesiasticae, a partium studio alienum luculenter docet. Itaque Catholicus nonnisi id concedere potest, reformatione effectum fuisse, ut multae doctrinae jam solemniter ab ecclesia definirentur, varii abusus in rebus disciplinaribus instantius abrogarentur, et vera illa ecclesiae reformatio citius perageretur, quam Catholici jam a multo tempore desiderabant, cui peragendae nunquam penitus deerant, et quae successu temporis sine turbis, sine scissionibus longe majorem effectum certissime consecutura fuisset, cum ea, quae jam ante motus Lutheri per Erasmum et alios, moderatius lentiusque incedentes, fiebant, accedente litterarum cultura, tum laete efflorescente, sine dubio continuo plures imitatores nactura fuissent. — Finis, quem omnis reformatio ecclesiastica intendat oportet, morum nempe emendatio, novationibus religiosis minime obtentus est. Lutherus ipse posterioribus vitae suae annis conquestus est, mores Wittenbergensium, caeterorumque, quibus ipse praeerat, multum deteriores redditos fuisse. Quanta fuerit saeculo 17. inter Protestantes morum corruptela, imprimis ex Godefridi Arnoldi historia ecclesiastica intelligitur, qui, quae hac de re affert, etiam sufficientibus testimoniis comprobat. Sed et alii, studii partium minus suspecti, velut Spenerus, idem testantur. Calvinus quidem, introducta excommunicatione, abrogatisque spectaculis, saltationibus, aliisque petu-

lantiis, externam morum honestatem Genevae introduxit. Sed praeterquam, quod haec disciplina non ab omnibus ejus sectatoribus fuerit acceptata, vera moralitas in externa honestatis specie nondum consistit. Sed quid mira haec inter Protestantes corruptela, cum praeter alia, doctrina tantopere inter eos praedicata, fidem solam justificare et salvare, honestatis studium non potuerit non enervare!

§. 770. Continuatio.

Quod effectus reformationis in litteris profanis attinet, ex historia earum superius enarrata sufficienter apparet, earum incrementa, quae saeculo reformationis non admodum magna erant, ex restaurata superiori periodo litteratura antiqua, et enato inde fervidiori et frequentiori scientiarum amore descendisse; quae vero saeculo 17. majora eis augmenta accesserunt, eo minus a praetensa reformatione derivari posse, quia inter Catholicos laetius quam inter Protestantes scientiae floruerunt, et magna illa ingenia, quae decurrente illo saeculo rem litterariam illustrarunt et exaltarunt, non minus e Catholicorum quam Protestantium coetu fuerunt, neque illa ab his excitata fuisse ostendi potest. Quoad litteras theologicas speciatim, negari non potest, centuriatores Magdeburgenses, et reformationem universim causam extitisse, ut historiae et antiquitatis ecclesiasticae studium multo magis ageretur, quam secus factum fuisset. Progressus studii biblici eidem causae adscribi propterea non possunt, quia Catholici jam ante coepta Lutheri in hoc tramite incedere coeperant, et postea quoque longe majora quam Protestantes hac in re praestiterunt, quin scientiis suis biblicis ad illos impugnandos multum uterentur, quos potius methodo scholastica refellebant, prout ex operibus polemicis apparet. Talia nunc frequentius elaborata, et doctrinas religionis, praesertim controversas, majori studio et cura, novis etiam argumentis methodisque comprobatas et

vindicatas fuisse, utique dissidiis e reformatione exortis in acceptis est referendum. Theologiae vero morali excolendae systema Protestantium plus obfuisse, quam profuisse, et quae ab eis in disciplinis pastoralibus praestita fuere, iis, quae Catholici praestiterunt, inferiora esse, historia litterarum theologicarum docuit. — Quod denique statum politicum attinet, sunt, qui adnatae principibus Protestanticis in re ecclesiastica potestati, et a pontifice Romano caeterisque clericis independentiae, porro sublatis monasteriis, abrogatae hierarchiae Catholicae, minutis bonis ecclesiasticis, retentis pecuniis a curia Romana exigi solitis, majorem civitatibus florem et potentiam accrevisse contendant. Verum excepta Suecia, et fortasse etiam Dania, id vix de aliqua civitate Protestantica documentis historicis ostendi poterit; e contra historia docet, regna Catholica, in quibus omnia illa perdurarunt, laetius floruisse quam Protestantica, et si quae horum postea ampliores opes consecuta sunt, has ex causis a reformatione longe remotis descendisse, quemadmodum etiam limitationem potestatis pontificiae in terris quibusdam Catholicis saeculo demum 18. effectam vix quisquam reformationi adscribet. Illud autem negari non potest, tot ac tantas inter Christianos inimicitias, persecutiones, odia, bella, quibus pleraque regna, imprimis Gallia, Anglia et Germannia afflicta fuere, illam denique posterioris regni insanabilem scissionem, quae nostris temporibus ejus interitum tandem adduxit, nunquam futura fuisse, nisi praetensa reformatio, funesta eorum omnium semina sparsisset.

Caput tertium.

De ecclesiae organismo.

A. *Hierarchico.*

§. 771. Potestas episcoporum.

Ecclesiae Catholicae organismus formam, quam elapsis saeculis induerat, hac periodo in universum retinuit. Speciatim circa munera, episcopali inferiora, mutationes fere nullae acciderunt. De potestate episcoporum in concilio Tridentino non parum disputatum est. Fuerunt in eo, qui contenderent, jurisdictionem episcopalem non esse divinae institutionis, sed ex plenitudine pontificiae potestatis, velut ex fonte ad episcopos derivari, adeoque a pontifice jam ampliari jam restringi posse, unde sequebatur, illos tantum vicarios istius esse. Hoc principium, cui plerique patres Tridentini contradicebant, tamen pontifici ejusque legatis in concilio probatum erat. Similiter nec quaestio, an episcopi ex jure divino presbyteris superiores sint, decisa est. Caeterum in eodem concilio nonnulla decreta sunt, ampliandae episcoporum potestati inservientia. Talia erant, quibus clerici, monachi, et universim omnes personae ecclesiasticae tum quoad functiones, tum quoad mores episcopis subjiciebantur, facultas, ordines sacros suscipiendi, et absolutio a suspensione, a sede pontificia nonnunquam illis, quos episcopus suspenderat, aut ab ordinatione repulerat, concessa abrogabatur, jus, novas parochias erigendi, beneficia cum parochiis pauperibus uniendi, parochis inhabilibus vicarios substituendi, parochos dissolutos beneficiis privandi, omnes dioecesis suae ecclesias, etiam exemtas visitandi, et circa divinum cultum publicum disponendi, episcopis tribuebatur. Iisdem jus concessum, causas

ecclesiasticas, apostolicae sedi non reservatas, in prima, ut ajunt, instantia judicandi; porro decretum, ante dictam sententiam a judicio episcopali appellare non licere; ubi dictâ sententiâ ad pontificem fuerit provocatum, hunc, si causam ipse non decidat, provocantis metropolitam aut hujus vicarium generalem, si autem metropolita suspectus sit, aut ab ejus quoque judicio provocatum fuerit, episcopum proximum aut hujus vicarium generalem tanquam novum judicem constituere oportere. Episcopus accusatus secundum aliud ejusdem concilii decretum, non ipse ad judicium vocetur; si vero talis criminis fuerit accusatus, in quod depositionis poena statuta est, coram judice quidem compareat, causa tamen nonnisi a summo pontifice decidatur. Ubi vero episcopis a concilio Tridentino potestas facta est, non obstante aliquo privilegio pontificio, v. g. exemtione, quid faciendi, eos tanquam sedis apostolicae delegatos agere, declaratum est.

§. 772. Facultates quinquennales.

Ab altera parte episcoporum jurisdictio multum limitata est per nuntios, quos pontifices loco legatorum, antea ad aliquod tempus pro certis negotiis perficiendis mitti solitorum, hac periodo in metropolibus regnorum Catholicorum, nominatim in Germannia Viennae, Coloniae, nec non Bruxellis et Lucernae perpetuos constituebant. Hi enim varia ad forum episcoporum pertinentia ad se trahebant, et v. g. dispensationes, absolutiones concedebant, in prima instantia jus dicebant, imo in Germannia causas saeculares ex territoriis episcoporum immediatorum decidebant, quod tamen imperatores et tribunalia imperii impedire satagebant *). Pontifices vero, ut episcoporum querelas de jurisdictione sua per nuntios diminuta aliquomodo sedarent, iis inde a medio saeculo 17. facultates concedebant, illis similes, quibus nuntii instructi erant, quae quoniam post singula quinquennia denuo

impetrandae erant, facultates quinquennales dicebantur. Non omnibus quidem episcopis eaedem concedebantur, quae vero omnibus communes erant, sequentes fere fuerint: 1) facultas ab haeresi absolvendi. 2) sacros ordines extra tempus statum, et non servatis interstitiis conferendi. 3) dispensandi in impedimentis quibusdam matrimonii, in irregularitate ex delicto occulto orta, in votis simplicibus, in esu carnis, ovorum et lacticiniorum, praecipue tempore quadragesimae. 4) clericis suis indulgendi, ut libros prohibitos legant, in casu necessitatis eodem die bis missam celebrent, venerabile, ubi ab haereticis vel infidelibus profanatio metuenda esset, clam et sine luminaribus ad aegrotos deferant, ut vestibus saecularibus induantur, si in clericalibus ad loca curae suae commissa venire aut tuto ibi morari non possent, ut, si propter impedimentum legitimum breviarium recitare non possent, rosarium aut alias orationes recitent. Ex his facultatibus potestatem, qua episcopi hac periodo instructi erant, dimetiri licet.

*) Moser Geschichte der päpstlichen Nuntien in Deutschland.

§. 773. Relatio summi pontificis ad ecclesiam.

Quae potestas sacra episcopis hac periodo deerat, haec tota pontifici Romano aderat. Itaque de ejus primatu in ecclesia Catholica hac quoque periodo agnito, non amplius quaerendum est. De potestate, quae in ecclesiam ei competat, duae inter Catholicos hujus periodi vigebant sententiae, aliis incircumscriptam potestatem, ipsis conciliis oecumenicis superiorem ei adjudicantibus, aliis contrarium statuentibus. Priori sententiae sedem pontificiam addictam fuisse praeter alia docet historia concilii Tridentini. Non quidem ibi, sicut in conciliis oecumenicis, medio aevo celebratis, decreta a pontifice condita episcopi solummodo acceptabant, sed ipsi ad ea condenda concurrebant, et vo-

torum

torum pluralitate, an acceptanda sint, decidebant. Verum de liberae in disciplinaribus consultationis et decisionis per pontificem ejusque legatos concilio praesidentes limitatione patres ipsi frequenter conquesti sunt. Jus proponendi solis legatis pontificiis fuit reservatum, nihil ergo propositum, decisum nihil, in quod non antea pontifex a legatis suis per nuntios consultus consensisset, pluribusque decretis, reformationem concernentibus, clausula addita est: salva semper in omnibus sedis apostolicae auctoritate, qua indicabatur, pontificem ab istis decretis pro arbitrio dispensare posse. Pontifex porro potestatem, aulam suam reformandi, concilio abjudicavit; cumque de removendis iis, quae libero jurisdictionis episcopalis exercitio obstent, a legatis suis consultus fuisset, se consentire rescripsit, ut concilium decretum reformatorium desuper condat. Igitur super hoc concilium oecumenicum pontifices superioritatem suam omnino tuiti sunt. Imo Paulus IV. libros, in quibus suprema conciliorum oecumenicorum auctoritas propugnaretur, in catalogum librorum prohibitorum referendos esse statuit. Sed et multi alii Catholici incircumscriptam potestatem ecclesiasticam, et supremam in ecclesia auctoritatem pontifici adscribebant. Sic quum pontifices, Joannem e familia Braganzica, quem Portugalli, abjecto Hispanorum dominio a. 1640. regem salutaverant, non agnoscentes, episcopos ab illo denominatos confirmare recusarent; ideoque rex celeberrimarum universitatum virorumque eruditorum arbitrium, quid in hoc casu faciendum sit, exquisivisset; inquisitio Lusitanica, rejectis sententiis, quae praetermisso pontifice episcopatibus vacantibus praesules praeficiendos esse censebant, declaravit, pontificem unicum omnis jurisdictionis ecclesiasticae fontem esse, sine cujus expresso consensu nemo ecclesiae ministrorum potestatis aliquid ad se derivare possit. Inquisitio autem Romana Ismaelis Bullialdi, presbyteri Gallicani eruditis-

simi arbitrium, a rege quaesitum, vi cujus pontifex juri suo, episcopos in Portugallia confirmandi renuntiasse censendus, et episcopi, secundum antiquum morem electi, a metropolita confirmandi essent, condemnavit.

§. 774. Libertates ecclesiae Gallicanae.

Altera de potestate pontificis sententia patronos et asseclas in Gallia potissimum habebat, ubi fortitudo, qua Philippus Pulcher Bonifacio VIII. restiterat, dependentia, in qua pontifices Avenionenses a Galliae regibus detenti fuerant, principia de superioritate conciliorum oecumenicorum supra papam, a Gersônio, Petro Alliaco, et tota fere universitate Parisiensi invicto animo propugnata, denique sanctio pragmatica, cui clerus et senatus Gallicanus tanta cum firmitate inhaeserat, animos ab illimitata pontificis potestate alienos reddiderat. Igitur ex clericis Gallicanis plurimi, maxima pars universitatis Parisiensis, Sorbonna non excepta, imprimis vero senatus Parisinus commemoratam sententiam hac periodo strenue tuebantur. Inter jurisconsultos, qui scriptis et dictis eam ejusque corollaria propugnabant, eminet Petrus Pithoeus, non tantum in jurisprudentia, sed etiam in historia et literatura antiqua versatissimus, causidicus apud senatum Parisiensem, postea ab Henrico IV. regius procurator generalis factus. († 1596.) Is a. 1594. sic dictas libertates ecclesiae Gallicanae edidit, quas sequenti saeculo Petrus Puteanus (du Puy), regius consiliarius et bibliothecarius, non minus eruditus († 1651.) singulari commentario illustravit. Pleraque illarum libertatum in juribus regiis, ecclesiam concernentibus consistunt; quae ecclesiae ipsi tribuuntur, fere sequentes sunt: pontifex non absolutam et illimitatam in ecclesiam habet potestatem, sed antiquorum conciliorum canonibus in Gallia acceptatis circumscriptam. Idem concilio oecumenico subjectus, ejusque decretis ceu

legibus ecclesiasticis alligatus est. Ecclesia Gallicana non omnes conciliorum canones et pontificum decreta admittit. Regulas cancellariae pontificiae acceptare et observare ab ejusdem ecclesiae arbitrio dependet. Pontifex sine cleri Gallicani consensu nullum ab eo censum exigere potest. Idem nulli peregrino munus aliquod ecclesiasticum aut beneficium in Gallia conferre potest. Neque pontifex, neque ejus legatus causas ecclesiasticas in prima instantia potest judicare, si vero ad eum provocatum fuerit, etiamsi provocantes primates et metropolitae essent, judices indigenas constituere debet. Verum hae libertates non semper et ab omnibus in Gallia curabantur. Erant potius ibidem haud pauci, qui contraria de incircumscripta pontificis potestate principia foverent et propagare studerent. Id imprimis factum est post mortem Henrici IV., a. 1610. occisi. Tum enim ejus vidua, regina Maria Medicaea, quae Ludovico XIII. Henrici filio et successore minorenni regnum administrabat, ejusque administri principiis posterioribus favebant. Hinc libertatum Gallicanarum adversarii, inter quos etiam duo cardinales Galli, Joyeuse et du Perron erant, plane conjunctionem contra earum patronos, quos parlamentarios vocabant, inierunt.

Preuves des libertés de l'eglise Gallicane. Traités des droits et libertés de l'eglise Gallicane.

§. 775. Continuatio.

Adversariis libertatum ecclesiae Gallicanae nemo magis se opposuit, quam Edmundus Richer, clericus et theologus Parisiensis facultatisque theologicae syndicus. Is inter alia a. 1611. Dominicanis publice exprobravit, eos pontificis infallibilitatem et superioritatem supra concilium oecumenicum in publicis disputationibus defendere; deinde eodem adhuc anno tractatum de ecclesiastica et politica potestate inscriptum edidit, in quo sententiam de monarchica regiminis ec-

clesiastici forma, aristocratia temperata, propugnavit, et inter alia docuit, potestatem, leges pro universa ecclesia valituras ferendi, non soli pontifici, sed toti ordini hierarchico competere, pontificis potestatem solummodo ad leges ecclesiasticas explicandas et exequendas pertinere, ejus decreta et bullas tum tantum obligare, si cum decretis conciliorum oecumenicorum consenserint, ecclesiae potestatem non esse, poenam aliquam temporalem infligere, imperantem civilem legitimum esse judicem, si ab ecclesiasticis abusibus provocatum fuerit. Hoc Richerii scriptum, ipso pontifice postulante, et aula concedente, a septem suffraganeis metropolitae Senonensis, cardinalis scilicet Perronii, examinatum, et tanquam multas assertiones falsas, scandalosas, schismaticas imó haereticas continens damnatum, atque damnatio e sacris suggestibus Parisiensibus publice annuntiata, auctor vero munere syndici privatus, et post multos annos tandem vi ad retractationem subscribendam adactus est. († 1631.) [1]). Similiter ejus asseclae, quorum in ipsa Sorbonna haud pauci erant, eo perducti sunt, ut sententiis illis, quarum systema Richerismus vocari consuevit, renuntiarent. Aula igitur, contenta juribus, in concordato sibi concessis, et propter diversas indigentias pontificem reverens, ecclesiae Gallicanae libertatibus tum tantum insistebat, quando cum sede pontificia aliis ex causis collidebatur. Id speciatim factum est, cum Innocentius XI. juri regaliae, a Ludovico XIV. latius extenso sese opponeret. Tum enim rex offensus a. 1681. 35 episcopos totidemque proceres Parisiis congregavit, ut sibi jus, a pontifice impetitum adjudicarent, simulque declarationem de limitibus potestatis pontificiae ederent. Atque hi, regi morem gerentes, sequentes quatuor propositiones concinnarunt, quae libertatum Gallicanarum quasi summa erant: 1) Christus Petro ejusque successoribus nullam potestatem saecularem contulit. Hinc reges et principes, qua tales nulli potestati ecclesiasticae subjecti sunt, adeoque ab ea non deponi, nec eorum subditi a fidelitatis et

obedientiae erga eos officio absolvi possunt. 2) Pontifex conciliis oecumenicis secundum declarationem synodi Constantiensis est subordinatus. 3) Igitur potestas ejus ecclesiastica universalis ecclesiae legibus limitata est, idemque instituta et statuta ecclesiae Gallicanae revereatur oportet. 4) Ejus decreta, fidem concernentia omnes quidem ecclesiae admittere tenentur; propterea tamen ejus judicium non est irreformabile. Pontifex hanc publicam declarationem adeo improbavit, ut exemplar sibi transmissum per carnificem publice concremari juberet, et praelatis Gallicis, quamquam litteras excusatorias ad eum dederant, infidelitatem, ignaviam, destructionem libertatis ecclesiasticae, imo ipsius fidei, quae sine concordia cum pontifice salva esse non possit, exprobraret. Similiter Innocentii XI. successor, Alexander VIII. a. 1691. bullam edidit, in qua commemoratae quatuor propositiones condemnatae erant. At rex non tantum declarationem illam publicari jussit, sed etiam vetuit, ne quis in universa Gallia contra quatuor propositiones in ea contentas doceret, praecepitque, ut in omnibus universitatibus exponerentur et ab episcopis in suis dioecesibus propagarentur. Imo Bossueto, qui ipse conventui Parisiensi interfuerat, mandavit, ut eas, cum a scriptoribus pontificiis vehementer impugnarentur, singulari libro defenderet, quod hic reapse praestitit. Quum vero postea lis, quae declarationi illi ansam dederat, inter pontificem et regem componeretur, hic Bossueti defensionem typis vulgari noluit. Tum etiam statutum, ut singuli episcopi, qui ad declarationem illam concurrerant, in litteris ad pontificem dandis suum desuper dolorem contestarentur, profiterenturque, se ea, quae tum de potestate ecclesiastica et auctoritate pontificia statuta fuerant, tanquam non statuta considerare.[2])

[1]) Baillet la vie d'Edmond Richer.

[2]) Defensio declarationis cleri Gallicani de potestate ecclesiastica. Guarnacci vitae et res gestae pontif. Rom. et cardinalium a Clemente X. usque ad Clementem XII.

§. 776. Relatio ecclesiae Romanae ad Orientalem.

Status hierarchicus ecclesiae Graecae et Russicae.

Eo minorem auctoritatem Romani pontifices hac periodo in ecclesia Orientali habuerunt. Status illius, quae intra limites imperii Turcici continebatur, his saeculis continuo deterior redditus est. Non quidem multi Graecorum ad Islamum defecerunt, partim quod fidei patriae tenaciter inhaererent, partim quod a Turcis ad defectionem non sollicitarentur. Singuli tamen inter eos apostatae non defuerunt. At variis modis Graeci a Turcis vexabantur. Libertas eorum admodum erat restricta; tributa gravia eis erant imposita; contemtus, ludibria, injuriae eis passim inferebantur, praesertim a plebe, ubi in seditionem prorumpebat; morum litterarumque cultura maximam partem eis erat praeclusa; nova templa exstruere aut collapsa restaurare, nonnisi pro plurimo aere licebat. Hierarchia pristina inter eos quidem conservabatur, perdurabant quatuor patriarchae, inter quos CPnus, totius ecclesiae caput et quasi monarcha, cum sua synodo perenni omnia graviora ecclesiae universae negotia administrabat, episcopos instituebat et deponebat non tantum in suo patriarchatu, sed etiam in caeteris, velut Calinicus, qui a. 1691. Ananiam episcopum, monasterio cuidam in monte Sinai praefectum, quod patriarchae suo Jerosolymitano obedientiam denegarit, et distributis per litteras indulgentiis ejusdem jura violarit, loco suo dejecit. Turcae quoque, licet ex causis potissimum politicis patriarcham CPnum magnis honoribus prosequebantur, qui tamen haud raro ad arbitrium supremi illorum senatus, vel administri primarii deponebatur, ansam plerumque praebentibus ipsis Graecorum clericis, plurimum aeris pro suprema

illa dignitate offerentibus. At caeterorum patriarcharum auctoritas et jurisdictio continuo minuebatur. Hi a CPno dependentes facti sunt, et plerosque suffraganeos suos amiserunt, ita ut Alexandrinus nonnisi chorepiscopos, Antiochenus paucos quosdam episcopos in Syria et terris huic vicinis, Jerosolymitanus duos tantum Nazarethi et Bethlehemi epicopos sub se haberet, quod partim multitudine heterodoxorum, in eorum patriarchatibus existentium, partim decremento urbium ad eosdem pertinentium effectum est. Cumque etiam in patriarchatu CPno multae urbes olim florentes, ad conditionem vilium pagorum delaberentur, factum est, ut episcopatus, qui in eis fuerant, expirarent.[1]) — Laetior erat status ecclesiae Russicae. Huic, quae hactenus ad patriarchatum CPnum pertinuerat, Jeremias patriarcha CPnus, cum ad colligendas eleemosynas Poloniam et Russiam peragraret, a. 1589. petente summo Russorum principe, proprium patriarcham concessit, Moscoviae residentem, qui jam plenitudine potestatis ecclesiasticae in Russia, et magna in rebus quoque politicis auctoritate gaudebat. Is aliquo tempore eatenus quidem a CPno dependebat, quod, utut a Russis electus, tamen illius confirmatione egeret, eumque in rebus gravioribus etiam consuleret. Verum circa annum 1660. patriarcha CPnus, petente Russorum Caesare, consentientibus caeteris patriarchis, isti confirmationis juri renuntiavit, quod tamen non impedivit, quo minus communio inter ecclesiam Graecam et Russicam perduraret.[2])

[1]) Helladius status praesens ecclesiae Graecae. 1714. Tom. Smith de Graecae ecclesiae statu hodierno epistola. 1698. Le Quien Oriens Christianus. Rich. Simon histoire critique des dogmes, de controverses, des coutumes et de ceremonies des Chrétiens Orientaux. Ricaut histoire de l' eglise Grecque et de l' eglise Armenienne. De la Croix etat present des nations et eglises, Grecque, Armenienne et Maronite en Turquie. 1715. Elsner neueste Beschreibung der griechischen Christen in der Türkey. 1737.

[2]) Le Quien lib. cit. Strahl Zustand der griechisch - russischen Kirche in ältester und neuester Zeit, historisch entwickelt, in der Tübinger theolog. Quartalschrift. 1823. 3. 4. Heft. Wagner Geschichte des russischen Reichs.

§. 777. Unionis conamina inter ecclesiam Romanam et Graecam.

Quod jam attinet relationem ecclesiae Romanae ad Graecam, a tempore unionis in concilio Florentino decretae, licet maximam partem elusae, complures tamen supererant, non tantum singuli viri, sed integri etiam coetus, qui pontificem Romanum totius ecclesiae caput haberent, Spiritum s. a Filio quoque procedere crederent, nec caeteras res, Latinis proprias condemnarent. Horum numerus praesenti periodo identidem auctus est opera potissimum missionariorum, quos Romani pontifices in imperium Turcicum subinde ablegabant, in quo insuper Latini ex temporibus expeditionum cruciatarum aliqua adhuc monasteria habebant. Inter missionarios, qui plerumque sub praesidio legatorum, a principibus Occidentalibus ad aulam Ottomannicam missorum constituti erant, nulli feliciori cum successu operabantur, quam Jesuitae, de quo primis saeculi 17. temporibus conquestus est Cyrillus Lucaris, postea patriarcha CPnus in litteris ad archiepiscopum Cantuariensem scriptis. Ex singulis viris eruditis, qui ecclesiae Latinae accesserunt, nonnulli ejusdem doctrinas et instituta contra populares suos scriptis quoque defenderunt. Horum primarius fuit Leo Alatius, qui ecclesiam Latinam 3 libris de ecclesiae Occidentalis et Orientalis perpetua consensione, et pluribus aliis scriptis defendit. Primatum Romani pontificis speciatim vindicavit Neophytus, Rhodensis, monachus, in epistola ad Julianum Paramythiensem, in qua etiam doctrinam Latinorum de processione Spiritus s., de purgatorio, et de usu panis azymi in eucharistia propugnavit. E contra ex Graecis schismaticis Nectarius, altero sae-

culi 17. dimidio patriarcha Jerosolymitanus pontificis primatum impugnavit in libro, contra papae imperium inscripto, cui componendo ei ansam dederunt 5 theses, quas Petrus quidam ex ordine Minorum Jerosolymae sub titulo: de papae imperio ediderat. Similiter Nicolaus quidam Cerameus, Nectarii coaevus, tractatum composuit, in quo suprema pontificis in ecclesia potestas confutabatur, quemque Dositheus, Nectarii successor in collectionem scriptorum polemicorum Latinis oppositorum a se factam suscepit. Sub eodem Dositheo Graeci Latinos a communi s. sepulchri custodia verberibus et auxilio gubernii Turcici abegerunt, donec isti intercessione legationis Gallicae apud supremum Turcarum senatum a. 1690. antiquis juribus restituerentur. In universum enim Graeci schismatici inveterato in Latinos odio flagrare pergebant, eosque inter haereticos, quos prima quadragesimae Dominica quotannis solemniter excommunicabant, semper nominetenus allegabant.[1]) — Majori numero illi schismatici ad communionem ecclesiae Romanae hac periodo reversi sunt, qui extra imperium Turcicum erant. Equidem illos, qui capta a Turcis CPi successive, numero non exiguo, Venetiis considebant, secundum legem cum ecclesia Romana unitos, eorumque episcopum et presbyteros a patriarcha Venetiano vel nuntio apostolico approbatos esse oportebat. Verum conniventià regiminis eis tota hac periodo potius cum patriarcha CPno communicare licebat. Illis vero qui in utraque Sicilia, in territorio pontificio, in Tuscia, et republica Genuensi diverso tempore sedes fixerunt, communio cum ecclesia Romana ineunda erat.[2]) Qui in Hungariam, Croatiam, Slavoniam et Transsylvaniam migrarunt, id quod posteriori maxime hujus periodi tempore factum est, nullo quidem modo a regimine civili ad unionem cum ecclesia Romana ineundam compulsi sunt; attamen religioso clericorum Latinorum zelo successit, multis, praesertim in Hungaria, et plerisque in Transsylvania

una cum eorum episcopo persuadere, ut unionem illam sponte inirent.[3]) Similiter in provinciis Polonicis: Russia rubra, Volhinia, Podolia, Braclavia, in quibus magna pars incolarum ecclesiae Graecae adscripta erat, laboribus Jesuitarum, concessisque magnis juribus ac privilegiis saeculo 17. effectum est, ut plurimi eorum, ipseque metropolita Chiovensis, abjecto schismate, cum ecclesia Romana conjungi voluerint.[4]) — Quoad Russicam ecclesiam, cum Caesar Joannes Basilides infelici adversus Polonos bello implicitus, pontificis interventum pro pace petiisset, simulque spem suae cum Romana ecclesiae uniendae fecisset; Gregorius XIII. a. 1581. Antonium Possevinum e societate Jesu in Poloniam Russiamque ablegavit quidem; sed pace facta Caesar, etiamsi legato colloquium de religione concederet, et legatos ad pontificem mitteret, omnem tamen cum ecclesia Romana unionem simpliciter rejecit.[5])

[1]) Ricaut, de la Croix ll. cc.

[2]) Le Bret Geschichte der fremden Nationen in Italien, in der Fortsetzung der allgemeinen Welthistorie. 46. Th. 3. Bd. Rodota dell' origine e stato presente del rito Greco in Italia.

[3]) Engel Geschichte des ungarischen Reichs und seiner Nebenländer.

[4]) Jeckels Pohlens Staatsveränderungen und letzte Verfassung. Jura et privilegia genti Ruthenicae Catholicae a maximis pontificibus Poloniaeque regibus concessa.

[5]) Possevini Moscovia seu de rebus Moscoviticis, et acta in conventu legatorum regis Poloniae et magni ducis Moscoviae.

§. 778. Conamina unionis cum Nestorianis.

Ecclesiae Orientales, a sic dicta orthodoxa separatae, Nestorianorum scilicet et Monophysitarum, illius communionem semper respuebant; cum Romana autem partes earum vel unionem, jam praecedentibus saeculis initam, at diversis ex causis interruptam, aut ob

locorum distantiam languentem, hac periodo renovarunt, vel nunc primum inierunt. Quoad Nestorianos, qui in terris ad Tigridem sitis, admodum numerosi erant, et praeterea in antiqua Syria, Parthia, Persia, in Tartaria et India anteriori existebant, caeterum magna ignorantia et ruditate laborabant; pars illorum, qui sedes suas in veteri Assyria habebant, a. 1553. a Julio III. pontifice petiit, ut patriarcham a se electum confirmaret, et alteri, e familia, quae patriarchatum apud se haereditarium reddiderat, oriundo se opponeret. Anno 1562. sub Pio IV. Nestorianorum istorum patriarcha ipse Romam venit, ut confirmationem et pallium a pontifice impetraret, qua occasione pro se et clero suo obedientiam et adhaesionem ad fidem ecclesiae Romanae promisit.[1]) Elias priori saeculi 17. tempore Nestorianorum unitorum patriarcha, qui sedem suam Urmiae in Persia habebat, (dum schismatici, illis praevalentes, sedem principalem Mosulensem tenerent,) ad Paulum V. pontificem, qui munera et fidei confessionem transmiserat, viros ablegavit, per quos suam pontifici subjectionem contestatus est, omnesque qui ecclesiam Romanam ceu communem omnium matrem non agnoscerent, excommunicatos pronuntiavit.[2]) Anno tandem 1681. etiam Nestoriani in Diarbecchia, antiqua circiter Mesopotamia, quorum episcopus, in metropoli ejusdem nominis residens, pariter patriarcha dicitur, unionem cum ecclesia Romana inierunt.[3]) Qui in India, speciatim in littore Malabarico habitabant, ibique Christiani S. Thomae vocabantur, ineunte saeculo 16. sub potestatem Lusitanorum, illas Indiae partes sibi subjicientium venerunt. Lusitani eos, qui satis numerosi erant, utpote 127 coetus efficiebant, et patriarcham sic dictum Babylonicum, Mosulae residentem, tanquam caput suum ecclesiasticum venerabantur, etiam ad unionem cum ecclesia Romana perducere studebant, qua in re Alexis de Menozes archiepiscopus Goanus, idemque vicerex Indiae Lusitanicae, maxime laboravit,

effecitque, ut in synodo a. 1599. Udiampurae habita, Nestoriani doctrinam et instituta Catholica acceptarent, quo facto eorum episcopus Romam missus est, ubi patriarchae Mosulensi renuntiavit, pontifici obedientiam juravit, et ab hoc sacram ordinationem accepit. Verum postquam Batavi maxima parte possessionum Lusitanicarum in India potiti fuissent, Nestoriani medio saeculo 17. ab ecclesia Romana iterum defecerunt. Postea tamen Carmelitae rursus partem eorum ad unionem desertam reduxerunt. [4])

[1]) Raynaldi annall. eccles.

[2]) Strozza de Chaldaeorum dogmatibus.

[3]) Le Quien l. c. Asseman bibl. Orient. T. III. P. II. Simon histoire critique des dogmes etc. des Chretiens Orientaux.

[4]) La Croze histoire du Christianisme des Indes.

§. 779. Cum Abyssiniis.

Inter Monophysitas Abyssinii, quorum episcopus, Abuna dictus, semper a patriarcha Coptorum constitui solebat, seu potius eorum reges jam priori hujus periodi tempore ecclesiae Romanae accedebant. David nempe, qui tum in Abyssinia regnabat, ut eo certius auxilium militare a Lusitanis, quibuscum jam commercium et conjunctionem inivérat, contra vicinum regem, hostem suum impetraret, Joannem Bermudem, quem medicum suum legatus Lusitanicus in Abyssinia reliquerat, a moriente Abuna hujus successorem pronuntiari ordinarique curavit, quod ille hac tantum conditione admisit, si a Romano pontifice confirmaretur. Itaque cum Paulus III. eum a. 1540. Abyssiniae episcopum, simulque patriarcham Alexandrinum nominasset, in regnum istud reversus ecclesiam ibi regebat, et Catholicam reddere studebat. Davidis filius et successor, ab Europaeis Claudius vocatus, cum Lusitanorum, a Bermude adductorum auxilio contra hostes indigeret, pontifici quidem Romano, exigente patriarcha, obedi-

entiam vovit, fideique formulam publice praelegi jussit, quo ille Christi vicarius declarabatur. Verum in regno firmatus Claudius ad haeresin Monophysiticam reversus patriarcham ignominiose tractavit, imo Lusitanos armis aggressus est, eo quidem eventu, ut hi per Abyssiniae provincias dispergerentur, patriarcha vero in Europam rediret. Mox post ejus abitum, anno circiter 1558. plures Jesuitae a Lusitaniae rege Joanne III. et Julio III. pontifice ablegati in Abyssiniam venerunt, quos inter praecipuus erat Andreas Oviedo, episcopus Nicaenus in partibus. Verum tam parum apud regem Claudium. non multo post in proelio occisum, quam apud ejus fratrem et successorem, qui pariter jam a. 1562. mortuus est, effecerunt. Majori cum fructu Jesuitae laborarunt sub rege sequente, qui reliquo saeculi 16. tempore in Abyssinia regnavit. Prioribus interea mortuis vel occisis alii successerunt, qui novum regem Seguedum sibi religionique suae adeo conciliarunt, ut unam in Christo naturam profiteri sub poena capitis interdiceret, quo facto populus saepius quidem in seditionem prorupit, a rege tamen semper suppressus est. Quae cum ita essent, Urbanus papa VIII. Alphonsum Mendez, pariter Jesuitam Lusitanicum episcopum Abyssiniae et patriarcham denominavit. Is a. 1625. in hanc terram venit, effecitque, ut jam sequenti anno rex, ejus frater, et omnes aulici flexis genibus publice jurarent, se pontificem Romanum tanquam legitimum ecclesiae caput suspecturos, obedientiam ei praestituros, et universum regnum subjecturos esse. Tum rex praecepit, ut nemo, nisi a patriarcha examinatus sacris operaretur, omnesque Abyssinii fidem et ritus Romanos sequerentur. Verum hi a monachis et eremitis suis excitati armata manu resistebant; et quamvis rex eos magno proelio fudisset, tamen tot occisorum aspectu commotus, nunc, patriarcha nequidquam reclamante, subditorum cuique libertatem dedit, eam religionem profitendi, quae sibi melior videretur, quo

facto quam plurimi ad pristinam haeresin defecerunt. Basilides autem, Seguedi a. 1632. mortui filius et successor patriarcham et Jesuitarum plerosque expoliatos et male tractatos in Indiam misit. Caeteri, qui remanserant, interfecti sunt, imo rex proprium fratrem eo, quod ecclesiae Romanae adhaereret, capitis damnavit. Sic omnis ecclesiae Abyssinicae cum Romana conjunctio, quod praecipitius et violenter effectui daretur, destructa est, nec postea restaurari potuit, quia omnes missionarii, qui Abyssiniam ingredi audebant, mox interficiebantur, quod speciatim a. 1642. tribus Capucinis accidit.

Ludolf historia Aethiopica. Ejusd. commentarius et appendix ad suam histor. Aethiop. Lobo voyage historique d'Abissinie, avec plusieurs dissertations du chanoine le Grand. La Croze historische Beschreibung des Zustandes der christl. Religion in Aethiopien u. Armenien. Le Quien lib. cit.

§. 780. Cum Coptis, Jacobitis et Armenis.

Monophysitarum in Aegypto, qui Copti dicuntur, patriarchae bis hac periodo spem unionis cum ecclesia Romana fecerunt. Primo enim circa annum 1560. patriarcha Coptorum virum quemdam ad pontificem misit, qui voluntatem ejus in unionem ecclesiasticam pronam testatam faceret, quem non multo post epistola patriarchae ejusdem argumenti secuta est. Hinc pontifex Christophorum Rodericum e societate Jesu in Aegyptum misit, splendida dona afferentem, quibus acceptis patriarcha declaravit, se per legatum litterasque suas nonnisi consuetum urbanitatis obsequium pontifici exhibere voluisse. Anno autem 1594. Coptorum patriarcha Gabriel legatos Romam misit, litteras ad Clementem VIII. afferentes, in quibus pontificem principem patriarcharum et decimumtertium apostolum nominavit, perfectam ei subjectionem promisit, et fidem ecclesiae Romanae in omnibus acceptavit, quam fidem etiam legati coram pontifice et cardinalibus solemniter

professi sunt. Verum hoc actu tota unio absoluta fuit, neque enim postea aliquam inter utramque ecclesiam communionem intercessisse compertum est, neque legationes, quas saeculo 17. pontifices et Ludovicus XIV. Galliae rex ad Coptos eum in finem miserunt, aliquem effectum habuere. [1]). — Stabilior fuit unio, quam pars Jacobitarum cum ecclesia Romana hac periodo inivit. Isto nomine vocari consueverunt Monophysitae in antiqua Babylonia, Mesopotamia et Syria, qui versus finem saeculi 16. circiter ex 50,000 familiarum, utplurimum pauperum et rudium constabant, et patriarchae, Antiocheno dicto, sed Amidae seu Diarbecchiae residenti, suamque ecclesiam patriarchalem in monasterio Zafranensi prope urbem Mardin habenti, et praeter hunc primati seu maphriano Tacritensi, metropolitae Jerosolymitano, quem pariter patriarcham dicunt, pluribusque archiepiscopis et episcopis suberant. Horum Jacobitarum haud paucos quidam Andraeas Achigian, Romae institutus, et a pontifice patriarcha Antiochenus ordinatus, saeculo 17. ad unionem cum ecclesia Romana perduxit. At ejus successor, agente patriarcha Monophysitico, a Turcis in exilium missus est, quo facto Jacobitarum unitorum status et numerus decrevit quidem, sed non expiravit. [2]) — Idem fere valet de Armenis, qui caeteros Monophysitas morum litterarumque cultura superabant. Etiamsi enim missionarii Romani in eis ad ecclesiam Catholicam reducendis multum laborarent, pauciores tamen stabilem cum ea unionem inierunt, iique nonnisi in imperio Turcico, in cujus provinciis Asiaticis remotioribus, plures Armenorum unitorum coetus exorti sunt. Ex ipsis Armenorum patriarchis CPnis nonnulli missionariis Romanis aurem praebuerunt, plerique tamen eis acriter adversati sunt. Pro eo Armeni in Polonia a. 1667. ad ecclesiam Romanam transierunt, cui etiam Venetiis habitantes accesserunt, ita, ut saltim aliqui ex omni Christianorum Orientalium genere ecclesiam Romanam

ceu veram, ejusque supremum antistitem ceu caput universalis ecclesiae venerarentur. [3])

[1]) Sacchini historia societatis Jesu. Renaudot histor. patriarcharum Alex. Jacobit. Josephus Abudacnus historia Jacobitarum seu Coptorum in Aegypto etc.

[2]) Asseman dissertatio de Monophysitis, praemissa tomo 2. bibliothecae Orient. Simon lib. cit. Le Quien lib. cit.

[3]) Serpos compendio storico di memorie chronologiche, concernenti la religione e la morale della nazione Armena, suddita dell impero ottomanno. Le Bret Geschichte der fremden Nationen in Italien.

§. 781. Immunitas clericorum. Bulla in coena Domini.

Quod attinet relationem ecclesiae et cleri ad civitatem, immunitas tam personalis quam realis in universum hac periodo conservata est, quamquam imperantes civiles in casibus specialibus haud raro a bonis ecclesiasticis et clericis tributa exigerent. Immunitatis tuendae auctoritas ecclesiastica, imprimis sedes pontificia, admodum studiosa erat. In concilio Tridentino, ubi de reformatione agebatur, etiam de reformatione principum sermo factus est, sub qua liberatio clericorum a potestate intelligebatur, quam nonnunquam civitatum rectores in personas et bona illorum exercebant. Cum vero principes contra talem reformationem magnopere exciperent, concilium ea de re nihil quidem decrevit; attamen sessione 22. illis anathema dixit, qui jurisdictionem aut bona ecclesiae sibi arrogarent. Ex pontificibus Paulus IV. in indicem librorum prohibitorum, ejus jussu confectum, illos quoque libros retulit, in quibus aliqua in clericos jurisdictio magistratui civili asserebatur. Excommunicatio autem contra laesores immunitatis clericalis statuta erat in bulla, quae, quoniam quotannis feria quinta majoris hebdomadae Romae in ecclesiis praelegebatur, bulla in coena Domini vocari consuevit. Sed et in multos

alios

alios excommunicatio ibidem statuta est, nominatim in haereticos et schismaticos eorumque protectores et fautores, nec non in eos, qui libros haereticos typis imprimunt, legunt, possident, defendunt, et qui haereticis aut Muhamedanis arma aut ejusmodi res procurant, quibus in bello contra Christianos uti possunt; porro relate ad pontificem in eos, qui ab hujus decretis ad futurum concilium generale provocant, vel ad forum saeculare se convertunt, qui causas ecclesiasticas jurisdictioni pontificiae subtrahunt, proventus, quos sedes apostolica ex ecclesiis et monasteriis sibi reservavit, retinent, qui terras pontificias, ad quas etiam utraque Sicilia, Sardinia et Corsica referuntur, infestant aut occupant, piratae, qui mare Romanum infestant, litterarum pontificiarum suppositores et adulteratores, omnes, qui, quominus annona aut aliae indigentiae aulae pontificiae advehantur, impediunt, qui ad eandem aulam proficiscentes aut inde revertentes, aut devotionis causa Romam peregrinantes expoliant, capiunt, mutilant aut occidunt; praeterea ii, qui exercitium jurisdictionis episcopalis perturbant; denique principes, qui subditis suis nova tributa imponunt aut consueta augent, exceptis illis casibus, ubi id ex jure aut speciali sedis apostolicae licentia eis concessum est. — Fundamenta hujus bullae jam praecedenti periodo posita fuere, siquidem jam a pluribus saeculis Romae usitatum erat, haereticos aliosque pontificis adversarios in coena Domini excommunicatos pronuntiare. Quam bullam postquam hac quoque periodo plures pontifices novis excommunicationibus auxissent, Urbanus VIII. a. 1627. ultimam ei manum admovit. Contra bullam ipsam principes non reclamabant; cum vero Pius V. eam ubique ecclesiarum in coena Domini praelegi jussisset, plerique huic jussui se opponebant, et vicerex Neapolis in episcopos ac monachos animadvertebat, qui bullam propagare studebant, pon-

tifex vero immorigeros excommunicatos pronuntiavit, vix in mortis articulo absolvendos.

Pragmatische Geschichte der Bulle in coena Domini.

§. 782. Dissidium inter Paulum V. et rempublicam Venetianam.

Quum pontifices immunitati ecclesiasticae conservandae adeo studerent, collisiones cum imperantibus civilibus, suam potestatem ea limitari aegre ferentibus, deesse non poterant. Ex his collisionibus illa praeprimis notari meretur, quae ineunte saeculo 17. inter Paulum V. et rempublicam Venetorum exorta est. Haec nempe a. 1603. vetuit, ne quis absque senatus licentia novas ecclesias, monasteria, aut alia aedificia ecclesiastica extrueret, societates spirituales erigeret, bona immobilia clero venderet, donaret, aut testamento legaret. Praeterea nonnullos clericos criminum reos carceri mancipavit. De his igitur decretis et actis tanquam libertatis ecclesiasticae et immunitatis clericorum laesionibus pontifex apud senatum Venetianum conquestus est, atque ut illa revocarentur, clerici vero incarcerati sibi traderentur postulavit. Cum senatus decreta per legatum suum defenderet, pontifex litteras monitorias ad rempublicam dedit, quibus illa irrita pronuntiavit et sub poena excommunicationis latae sententiae revocare jussit. At senatus per jurisconsultos Italicos, Gallicos, et Hispanicos, quorum arbitria exquisierat, in sententia sua firmatus litteris ad pontificem datis justitiam legum a se latarum denuo propugnavit. Quare pontifex post iteratam admonitionem a. 1606. judicium contra rempublicam scriptum edidit, quo senatus cum praeside omnibusque asseclis suis excommunicabatur, omuibns bonis et privilegiis, a Romana aliisque ecclesiis acceptis privabatur, et si porro resisteret, tota respublica interdicto subjiciebatur. Verum his omnibus senatus flexus non est, sed protestationem ad universum clerum suum edidit, qua excommunicationem

immeritam et irritam declaravit, atque ne quis clericorum interdictum observaret, vetuit. Eorum plerique senatui paruerunt, et qui potius pontifici morem gererere volebant, Jesuitae, Theatini, Capucini, e ditione Venetiana excesserunt. Cumque etiam populus acta regiminis approbaret, tranquillitas publica nullibi turbata est. Principes externi plerique, imprimis rex Gallorum, Henricus IV., reipublicae Venetianae favebant, et pro ea apud pontificem intercedebant; soli Hispani hunc ad coepta sua prosequenda hortabantur. Interea causa Venetorum a pluribus viris eruditis, juris consultis et theologis defendebatur, inter quos nemo magis inclaruit, quam Paulus Sarpi, Servita, Venetiis natus, jam admodum juvenis a duce Mantuano dogmaticae et casuisticae lector constitutus, postea theologiae doctor et ordinis sui in ditione Veneta praepositus provincialis, serius procurator generalis factus, nunc autem a regimine consultor status electus, quo in munere ipse potissimum illius acta in dissidio cum pontifice dirigebat. Verum in scriptis suis nimium progressus plura protulit a sensu Catholico aliena et principiis Protestantium consona, quare inquisitio Romana non tantum plures ex ejus libris tanquam tales damnavit, in quibus doctrinae temerariae, scandalosae, seditiosae, schismaticae et haereticae contineantur, sed ipsum etiam sub poena excommunicationis ad causam dicendam Romam evocavit, cui autem evocationi non paruit. Pontifex Hispanorum auxilium sibi sperans jam peditum equitumque agmen contra Venetianos colligere coepit. Cum vero Hispani subsidia sperata non adducerent, e contra Henricus, qui magno studio pacem inter litigantes efficere conabatur, militem quoque conscriberet, pontifex ad cedendum pronior redditus est, ita ut cardinalis Joyeuse qua legatus Gallicus a. 1607. pacem efficere posset, ex cujus conditionibus pontifex censuras suas contra Venetos, senatus autem protestationem suam contra easdem revocavit, clerici incarcerati, salvis

tamen reipublicae juribus, legato Gallico traditi, et monachi propter interdictum e republica egressi recepti sunt, exceptis Jesuitis, quos recipere senatus propterea constanter recusavit, quia post abitum suum omnibus, quibus poterant, modis contra regimen egerant. Serius tamen et ipsi recepti sunt.

Andr. Mauroceni historiar. Venet. l. XVII. Sarpi istoria particolare delle cose passate tra il sommo pontefice Paolo V. et la republica di Venetia. Thuanus historiar. lib. CXXXVII.

§. 783. Clericorum jurisdictio in rebus saecularibus, et legislationis civilis participatio.

Immunitatem realem ipse Turcarum imperator, Muhamedes II., qui imperium Graecum destruxit, patriarchae CPno, cunctisque episcopis et eorum successoribus concessit, quamquam caeterum magna vis argenti a patriarchis munus suum auspicaturis extorquebatur. Eidem patriarchae CPno jurisdictio in causis saecularibus non tantum clericorum, sed etiam laicorum Graecorum commissa est, ita ut ipsam capitis poenam infligere posset. Similiter episcopi, adhibitis sedium suarum primariis incolis jurisdictionem saecularem in populares suos exercebant, atque in Moldavia et Wallachia archiepiscopus supremo harum terrarum senatui praesidebat. In Russia patriarcha Moscoviticus nonnisi a concilio judicari poterat, ipsi vero omnes clerici non tantum in ecclesiasticis sed etiam in civilibus causis suberant, idemque per officiales suos laicis, fundos ipsius incolentibus in omnibus causis, reliquis vero in illis jus dicebat, quae secundum canones decidendae erant. Caeterum clericorum immunitatem personalem in Russia sub patriarcha Nicone limitatam fuisse, jam supra narratum est. Jurisdictionem saecularem in subditos suos in Catholica quoque ecclesia non tantum episcopi caeterique praelati, sed etiam parochi illarum ecclesiarum, quae dominio instructae

erant, per officiales suos secundum leges publicas exercebant, atque episcopi insuper omnibus suis dioecesanis in causis matrimonialibus, et aliis quibusdam, quarum arctior cum religione et moralitate nexus erat, jus dicebant. Speciatim illi praelati in Germannia, qui immediate imperatori subjecti erant, sicut caeteri imperii ordines ad majorem continuo ab illo independentiam enitebantur, atque inter eos omnes, tres archiepiscopi electores primarium locum maximamque auctoritatem, elapsis saeculis partam conservarunt. In caeteris regnis Catholicis, praelatis saltim primarius locus inter publicos ordines conservatus est, et nonnunquam praecipua munera, imo suprema regnorum administratio nonnullis eorum concredita. Id tamen, cum laicorum in scientiis et negotiis versatorum numerus indies cresceret, minus frequenter quam saeculis elapsis factum est.

§. 784. Relatio pontificum ad imperantes civiles.

Diversae Catholicorum circa pontificis potestatem in rebus saecularibus sententiae.

Quemadmodum circa pontificis potestatem ecclesiasticam duae inter Catholicos hujus periodi vigebant sententiae, ita similis differentia circa ejusdem potestatem in civiles imperantes obtinebat, cum alii omnem in causis regnorum ac principum saecularibus potestatem ei abjudicarent, alii supremam in his causis potestatem ei assererent, ita ut principes etiam deponere, subditosque eorum ab officio fidelitatis et obedientiae absolvere possit. Priorem sententiam Gallorum plerique fovebant. In libertatibus ecclesiae Gallicanae, a Petro Pithoeo conscriptis, etiam hae occurrebant: pontifex de regno Gallico non pro arbitrio disponere, illud regi non adimere, aut alii principi conferre potest, etsi excommunicationem vel interdictum contra eum pronuntiarit, ejus subditis non licet obedientiam ei debitam denegare. Porro: ponti-

fex in rebus saecularibus intra limites regni Galliarum prorsus nihil decernere aut praecipere potest; quod, si nihilominus fecerit, nemini nec clericorum nec laicorum his decretis aut praeceptis morem gerere licet. Eadem sententia in prima quatuor illarum propositionum a conventu Parisiensi editarum expressa est. Ei tuendae praecipue senatus Parisiensis invigilabat, idque eo magis, quia non deerant inter Gallos, qui contrariam sententiam propugnarent. Sic cum a. 1561. et rursus a. 1595. quidam baccalaureatus candidati in suis thesibus ad publicam defensionem propositis asseruissent, pontificem qua Dei in terris vicarium summam non tantum iu rebus ecclesiasticis sed etiam saecularibus habere potestatem, senatus theses eorum seditiosas pronuntiavit, eas lacerari jussit, auctores vero adegit, ut coram congregata facultate theologica, nudato capite flexisque genibus de sua ista temeritate dolorem cortestarentur et veniam precarentur.

D'Angentré collectio judiciorum de novis erroribus.

§. 785. Continuatio.

Non minus sua senatus Parisiensis officia interposuit, cum a scriptoribus quibusdam externis libri editi essent, in quibus pontifici suprema in rebus saecularibus potestas adstruebatur. Iis edendis ansam dedit jusjurandum, quod Jacobus I. Angliae rex a subditis suis Catholicis exegit. Cum enim horum nonnulli inconsiderato religionis zelo abrepti, et indignantes, quod rex matris Catholicae filius, leges severas ab Elisabetha regina contra Catholicos latas non abrogaret, senatum una cum rege adfuturo, pulvere pyrio aedibus, in quibus ille congregandus erat, subjecto et explodendo, a. 1605. perdere voluissent; rex, conjuratione feliciter detecta, omnibus Catholicis jusjurandum praescripsit, quo eis profitendum erat, pontifici non esse jus, reges deponendi, eorum subditos a fidelitate jurata absolvendi, de eorum regnis disponendi, se doctrinam, ex qua

principem a pontifice excommunicatum deponere aut occidere liceat, impiam et haereticam censere, se obligatos esse ad fidem regi servandam, quaecuncque papa contra eum pronuntiaret, se denique non credere, pontificem ab hoc jurejurando absolvere posse. Hoc jusjurandum Angli Catholici ipsique eorum presbyteri reapse emiserunt, atque Georgius Blakwell, archipresbyter Anglorum Catholicorum illud singulari scripto defendit. At Paulus V. pontifex illud emittere Anglis Catholicis interdixit, quo facto alii idem scriptis impugnarunt, alii defenderunt. Cardinalis Bellarminus vero hac occasione a. 1610. tractatum edidit, de potestate summi pontificis in rebus temporalibus inscriptum. Hunc librum senatus Parisiensis tanquam talem, qui supremae potestatis politicae ruinam, obedientiae denegationem, seditiones, molimina in vitam summorum principum promoveat, sub poena criminis laesae majestatis acquiri, aliis communicari, aut typis imprimi vetuit, omnibusque professoribus doctrinam in eo propositam tradere interdixit. De hoc senatus consulto tanquam auctoritati pontificiae adverso nuntius apostolicus apud aulam Parisiensem conquestus est, quae jam senatum admonuit, civitatis interesse, ne concordia cum sede apostolica turbetur. Hinc etiam regina tunc temporis regnum administrans Sorbonnae prohibuit, ne librum similis argumenti, quem Becanus sub titulo: controversia Anglicana de potestate regis et pontificis, ediderat, publico examini subjiceret; quapropter illa periculosis auctoris assertionibus de depositione principum per pontificem reginae indicatis acquievit. E contra senatus Parisiensis a. 1614. decrevit, ut defensio fidei Catholicae et apostolicae adversus Anglicanae sectae errores, a Francisco Suarez anno priori edita, in qua pontifici vis coercitiva in principes, adeoque potestas, injustos et incorrigibiles, praecipue schismaticos et haereticos deponendi asserebatur, publice per carnificem combureretur, et quatuor e Je-

suitis Parisiensibus coram senatu comparerent, ut propter librum illum propagatum correptionem et gravioris poenae minas ibidem perciperent, si talibus sententiis porro inhaerentes deprehenderentur. At pontifex de eo, quod senatus praeter assertiones a se ipso reprobatas, alias quoque impetierit, quae jura et praerogativas sedis apostolicae concernant, graviter conquestus, a rege Ludovico XIII., ne decreta senatus effectui darentur, impetravit.

Le Vassor histoire du regne de Louis XIII.

§. 786. Pontificum agendi ratio contra principes, a religione Catholica deficientes.

Eo saltim in casu, quo summus princeps contra promissum a se juratum a religione Catholica deficeret, subditosque suos ad exemplum suum sequendum pertraheret, hos auctoritate ecclesiae sive per pontificem, sive per concilium ab officio fidelitatis erga eum absolvi posse, cardinalis Perronius in conventu ordinis civici enuntiavit, postquam hic a rege petiisset, ut legi condendae consentiret, qua statueretur, nulli potestati terrenae, neque saeculari, neque ecclesiasticae jus competere, regem deponendi aut ejus subditos quacuncque ex causa a fidelitate ei debita absolvendi. Huic petitioni aula eo minus annuendum censuit, quia talem legem proponere ad ordinem civicum haud pertinebat, caeterum illa propositione aperte clerus et pontifex petebantur. Secundum principium a Perronio pronuntiatum pontifices hac periodo reapse egerunt. Sic Paulus III. Henricum VIII. Angliae regem, eo quod ab ecclesia Romana defecerit, excommunicatum et depositum pronuntiavit ejusque regnum Scotiae regi obtulit. Paulus IV. Elisabethae, Angliae reginae, quae religionem Catholicam iterum exturbabat, omne in istud regnum jus abjudicavit. Pius V. eandem solemniter excommunicavit, ejusque subditos a fidelitate ei jurata absolvit. Sixtus V. excommunicationem renovavit, et reginam

simul depositam pronuntiavit, omnibusque, ne ei auxilium ferrent, vetuit, sed potius ut copiis Hispanicis, contra eam proficiscentibus se adjungerent, praecepit. Pius IV. Joannam, reginam Navarrae, haeresi Calvinianae addictam, Romam ad tribunal suum evocavit, additis minis, ni intra sex menses comparuisset, eam dignitate regia et terra sua privandam, et liberos ejus nothos ac regni incapaces pronuntiandos fore. Quam tamen evocationem pontifex, interveniente aula Parisiensi revocavit. Sixtus V. ejusdem Joannae filium et successorem, Henricum, qua haereticum, omni jure in regnum suum privatum, successionis in quocuncque throno incapacem, edita bulla pronuntiavit, ejusque subditos a jurejurando fidelitatis ei praestito absolvit, atque a Galliae rege, ut hoc judicium exequeretur, postulavit. Sed is potius bullam pontificiam promulgari vetuit. Eo interfecto cum idem ille Henricus rex Navarrensis, qua proximus ejus consanguineus ad regnum Galliae pervenisset, pontifex Gregorius XIV. eum excommunicavit, omnibusque Gallis, ne ei obedirent, interdixit, atque a. 1591. etiam copias contra eum in Galliam misit, quae vero variis casibus attritae, regi parum nocuerunt. Etiam Clemens VIII., a. 1591. ad pontificatum evectus, efficere studebat, ut Henrici loco rex Catholicus a Gallis eligeretur. Is quidem dignitatem suam contra adversarios feliciter tuebatur, nihilominus ad eam sibi firmandam consultum existimavit, a. 1593. ad sacra Catholica transire. Absolutio, quam ei in persona duorum ejus legatorum pontifex post duos annos publice et solemniter Romae impertitus est, tandem omnes ejus adversarios in Gallia pacavit.

Thuanus lib. cit.

§. 787. Pontificum collisiones cum Hispaniae regibus Carolo I. et Philippo II.

Cum principibus Catholicis pontifices hac periodo saepius quidem collidebantur, censuras tamen nonnisi

propter graviorem immunitatis ecclesiasticae laesionem eis infligebant, cujus rei exemplum historia dissidii inter Paulum V. et rempublicam Venetianam superius enarrata suppeditat. In caeteris casibus, ubi pontifices ex causis mere politicis cum principibus collidebantur, jam non, sicut elapsis saeculis cum armis ecclesiasticis, sed solis materialibus contra eos pugnabant, v. g. alios principes contra eos excitabant, hos pecunia aut milite adjuvabant, foedera cum eorum aemulis aut hostibus inibant, copias contra eos mittebant. Sic cum annis saeculi 16. vigesimis inter Franciscum I. Galliae, et Carolum, Hispaniae regem eundemque imperatorem, bellum in Italia exarsisset; Clemens VII. de posterioris praepotentia, praesertim in eadem Italia, ubi utramque Siciliam possidebat, sollicitus, iterato foedus contra eum inivit, suosque milites Gallis et Venetianis sibi confoederatis adjunxit. Verum supremus Caesareorum dux, devictis hostibus, a. 1527. exercitum suum Romae admovit, eamque vi expugnatam militibus depraedandam commisit, qui omnis generis violentias et crudelitates exercuerunt, ipsosque cardinales Carolo addictos pessime tractarunt. Imperator quidem publice testatus est, ea omnia, se inscio facta esse, et spectacula, caeterasque oblectationes publicas, quae tum propter natum sibi primogenitum fiebant, cohibuit. Nihilominus pontifex a militibus Caesareis in arce angeli, quo se receperat, septem menses obsessus, nec prius dimissus est, quam pretium sibi praescriptum solvere coepisset, et imperatori omnia munimenta in suo territorio se traditurum promisisset. Ille nullas propterea censuras contra Carolum pronuntiavit, sed potius post duos annos a confoederatis penitus recessit, et separatam cum eo pacem Barcinonae inivit, ad quam firmandam nuptiae inter pontificis et imperatoris cognatos decretae sunt. Nec multo post Carolus a Clemente Romae coronatus est. [1]) — Ejus filio et successori Philippo II. Paulus IV. utramque Siciliam eripe-

re, eamque, haud exigua parte sibi reservata, cuidam Gallorum regis filio tradere meditabatur. Ansam inde sumsit, quod Philippus familiae Columnarum, cui pontifex dominium quoddam eripuerat, causam ageret. Id seditionem esse pronuntiavit, qua rex jus in Siciliam amisisset. Qui cum praeterea censum annuum, quem Clemens VII. in pace Barcinonensi pro restitutione quarumdam civitatum, a Venetis et duceFerariensi sibi ereptarum, Carolo ejusque successoribus remiserat, Paulus autem nunc iterum postulabat, dare renueret, is hac quoque ex causa jure in utramque Siciliam illum excidisse pronuntiavit. Igitur pontifex, foedere cum Gallis inito, copias contra Hispanos collegit. Sed Philippus, posteaquam majoris securitatis tutiorisque conscientiae causa, theologorum suorum sententiam de variis actibus contra pontificem suscipiendis exquisivisset, huic jam bellum intulit, suumque belliducem et Neapolis gubernatorem a. 1556. territorium pontificium invadere jussit, quod hic eo successu fecit, ut magnam illius partem occuparet, qua in re ea cautione usus est, ut in omnibus urbibus occupatis insignia collegii cardinalitii affigeret, eo significans, se non pro suo domino, sed pro ecclesia et futuro legitimo pontifice earum possessionem capere. Galli quidem auxilia pontifici miserunt, cum vero ipsi magnam cladem apud fanum S. Quintini passi fuissent, et periculum esset, ne Hispani Roma ipsa potirentur, ille jam pacem quaesivit, eaque lege a. 1527. impetravit, ut misso cum Gallis foedere pristinam amicitiam Hispanorum coleret, et loca ab his occupata, destructis tamen eorum munimentis, reciperet. [2])

[1]) Guicciardini historiar. sui temporis lib. 15. seq.

[2]) Panvini vita Pauli IV. Giannone Geschichte des Königreichs Neapel.

§. 788. Cum Ludovico XIV. Galliae rege.

Sicut Philippus, ita etiam Ludovicus XIV. rex Galliarum in suis cum pontificibus dissidiis victoriam

retulit, imo ut erga eum humiliarentur, effecit. Ejus apud Alexandrum VII., qui a. 1655. ecclesiae praefectus est, legatus, erga ipsos pontificis cognatos insolenter se gerebat. Hinc etiam milites Galli, horumque duces, qui cum legato erant, praetorianos pontificios, natione Corsos, diversimode vexabant et impetebant, et tandem a. 1662. unum eorum occiderunt. Hi inde irritati ante palatium legati concurrunt, Gallos adoriuntur, ita ut pugna eo exorta, plures eorum vitam amittant, atque ipsum currum, in quo legati uxor vehitur, sclopetis cum effectu mortifero petunt. Nunc legatus, injuriam hanc nepotibus pontificis auctoribus tribuens, illico Romam deseruit. Rex vero non tantum nuntium pontificium per milites e Gallia eduxit, sed etiam gravissimam a pontifice satisfactionem postulavit, quam cum sibi sufficientem non praestaret, Avenionem manu militari occupavit, atque adversus Romam ipsam copias misit. Pontifex ab aliis principibus non adjutus, et solus resistendo impar, anno tandem sequenti satisfactionem a Gallo sibi praescriptam praestitit, quae in eo consistebat, ut frater pontificis scripto per honorem suum contestaretur, sibi nullam impetus in Gallos partem fuisse, pontificis nepos, cardinalis, Parisios profectus coram rege declararet, familiam suam venia fore indignam, si ad injuriam illam aliquomodo cooperata esset, alius pontificis cognatus revertentem Gallorum legatum ad limites territorii pontificii exciperet, Corsi praetoriani dimitterentur, extructo ante diversorium eorum lapide, causam dimissionis scriptam exhibente, ipsa denique natio Corsica stipendiorum pontificiorum incapax haberetur. His praestitis Avenio pontifici restituta est.[1]) — In Innocentium XI. optimum pontificem, cui jam indignabatur, quod suis jus regaliae extendendi conatibus se opponeret, idem rex Ludovicus ita se gessit. Pontifex abusum, quo regum Catholicorum legati, Romae residentes, maleficis in suis palatiis, imo in circuitu

eorum summo tranquillitatis et salutis publicae detrimento, asylum concedere solebant, abrogatum voluit, et regum consensum in rem aequissimam facile impetravit. Solus Galliarum rex privilegio illi renuntiare detrectabat, et novo legato, quem, mortuo priori a. 1687. Romam misit, mille circiter milites addidit, quibuscum ille totam urbis regionem, per quam asylum Gallicum valuerat, occupavit. Sed pontifex eum nec legatum agnovit, nec ad conspectum admisit, cardinalibus et nobilibus cum eo conversari vetuit, ecclesiam S. Ludovici, quam Galli Romae sibi propriam habebant, interdicto subjecit, et universim interdictum contra legatum observari jussit, ita ut, cum aliquando multis comitibus stipatus templum D. Petri ingrederetur, omnes clerici ex eo diffugerent. His omnibus rex Ludovicus magis irritatus, Avenionem per milites occupavit, et nuntium, quèm pontifex Parisiis avocaverat, manu militari retinuit. Hic rerum status, quamdiu Innocentius vixit, mutatus non est. Sed cum ejus († 1689.) successore Alexandro VIII. qui Gallis favebat, Ludovicus facile in gratiam rediit, privilegio asyli Romani renuntiavit, et Avenionem reddidit. Sic cum summi pontifices olim negotiis politicis regnorum extraneorum sese immiscuissent, nunc sorte inversa principes extranei internis negotiis regiminis pontificii saecularis interveniebant, et pontifices nonnunquam ad consilia sua dimittenda adigebant.[2])

[1]) Relation de tout ce, qui se passa entre le pape Alexander et le roi de France. A Cologne. 1670.

[2]) Guarnacci lib. cit. Le Bret Geschichte von Italien.

§. 789. Relatio inter pontifices et imperatores.

Pontifices pristinam imperatorum ad se relationem, quae in electionem eorum confirmando, in obedientiam, fidelitatem et praesidium ecclesiae seu pontifici promittendo et praestando potissimum consistebat, conser-

vare frustra conabantur. Paulus IV. contra Ferdinandum I., cum hic per legatum, imperium se adiise nuntiasset, et obedientiam ac praesidium promisisset, propter ejus electionem, ab electoribus ex parte haereticis, ideoque jure eligendi privatis peractam, propter ejus decessoris abdicationem, inconsulto pontifice factam, et propter varios ipsius actus excepit, statuitque, ut Ferdinandus totam suam causam pontificis judicio ad supplendos defectus in ea obtinentes subjiceret. Verum effectus non alius erat, quam ut imperator legatum suum, declarata Germannorum indignatione, Roma avocaret, et imperii vicecancellarium libellum edere juberet, quo legitimam imperatoris electionem a pontificis confirmatione non dependere, et abdicationem tanquam actum mere politicum ad eum nihil attinere pronuntiabatur. Non minus Pius IV. electionem Maximiliani II., Ferdinandi filii, a. 1562. peractam agnoscere gravabatur, tum quod inter electores, pauciores Catholici essent, tum quod jus non haberent, vivente adhuc imperatore, absque pontificis permissione, regem eligendi. Nihilominus ad electionem confirmandam pronum se esse dixit, si Maximilianus, ut defectus illi inhaerentes suppleret, petiisset, jusjurandum de fide Catholica et sede apostolica tuenda praestitisset, et per legatum pontifici obedientiam promisisset. Verum Maximilianus non plus praestitit, quam ut dictionibus generalibus concessionem eorum omnium a Pio peteret, quae pontifices alias concedere consuevissent (quod Romani de electionis convalidatione et confirmatione interpretabantur), atque ut per legatum suum eidem amorem, reverentiam, observantiam, et, loco obedientiae, obsequium promitteret. Cum inde a Ferdinando I. nullus imperatorum coronationem pontificiam quaereret, adeoque papae confirmatione jam nulla ex parte indigeret; pristina eorum ad pontificem relatio paulatim penitus expiravit.

Schmidt neuere Geschichte der Deutschen. Heinrich deutsche Reichsgeschichte.

§. 790. Causa decrementi potentiae pontificiae.

Quod pontifices inde ab Urbano VIII. usque ad Clementem IX. per 25 annos, reges Portugallorum, qui dominium Hispanicum a. 1640. abjecerant, agnoscere, et episcopos ab eis denominatos confirmare recusarint, etiam impotentiae potius quam potestatis eorum specimen est, quia illud ex metu, aulam Hispanicam offendendi fecerunt, quae postquam juri suo in Portugalliam renuntiasset, etiam recusatio pontificia cessavit. Denique ex hoc etiam decrementum, quod potentia et auctoritas pontificia hac periodo passa est, apparet, quod non amplius regiam dignitatem pro arbitrio conferre potuerint. Etiamsi enim Paulus IV. sub Maria Angliae regina cum Hibernia dignitatem istam conjunxit, tamen Pius IV. principum reclamationibus impeditus est, quo minus ad regis aut archiducis gradum Tusciae ducem elevaret; et quem huic Pius V. attribuit magni ducis titulum, ejus demum filius et successor, ex concessione Maximiliani II. imperatoris, solutis centum aureorum millibus, a contradictione liberum nactus est. Causas istius decrementi potentiae pontificiae non est difficile reperire. Principia scilicet, quae labente superiori periodo de potestate pontificia a variis eruditis disseminata et a nonnullis etiam principibus observata fuere, paulatim, accedente mentis illustratione, in animos plurimorum penetraverant, et sicut multum contulerunt, ut plurimi a pontifice penitus deficerent, ita effecerunt, ut reliqui, qui in ejus communione perseverabant, saltem regem regum et dominum dominantium non amplius eum haberent, praesertim cum exemplum apostatarum certe non omni vi in animos eorum careret. Praeterea regum, sedi apostolicae magis vicinorum potentia, sive acquisitis novis

terris, sive regni ordinibus ad majorem subjectionem et adhaesionem perductis, plurimum creverat. Speciatim quoad Germanniam, dubium esse non poterat, quin, etiamsi omnes ordines Catholici ab imperatore, pristinis armis pontificiis impetito, deficerent, ipsumque gladium in eum converterent, ille in auxilio ordinum Protestanticorum, non minus potentium, validum praesidium habiturus esset, unde ecclesiae Catholicae in Germannia multo majus adhuc detrimentum enasci potuisset. Et quemadmodum commemorata omnia progrediente hac periodo continuos progressus faciebant, ita etiam potentiam pontificiam in rebus saecularibus magis magisque decrescere necesse erat.

§. 791. Territorium pontificium.

Territorii sui possessionem pontifices hac periodo satis tranquillam habebant, illudque novis ditionibus etiam amplificarunt. Leo X. Carolo imperatori foedere junctus, a. 1521. Parmam et Placentiam Gallis armata manu eripuit, et deinceps quoque retinuit. Easdem civitates a. 1545. Paulus III. filio suo tanquam feuda contulit, reclamante tamen imperatore, qui eas feuda imperii esse asseruit. Has civitates Pauli posteri, seu Farnesii, post aliquos impetus per totam hanc periodum possederunt, eisque comitatum Roncilionem et ducatum Castrensem addiderunt. Sed hunc potissimum ducatum pontifices ducibus Parmensibus eripere conabantur. Id primus fecit Urbanus VIII. qui 15,000 militum adversus ducem Parmensem misit, eumque, quod varia subjectioni vasalliticae adversa commisisset, a. 1642. excommunicavit, et qua seditiosum omnibus feudis privandum pronuntiavit. Verum quo minus id fieret, Venetiani, Tuscii, et Mutinenses impedierunt, quippe qui junctis ad illius defensionem copiis, territorium pontificium invaserunt, et Urbanum etiam ad ducatum Castrensem reddendum adegerunt. Sed ejus successor Innocentius X. ducem Parmensem,

quod

quod aes alienum Romanis debitum non solveret, et episcopus Castrensis interfectus fuisset, a. 1649. armis denuo invasit, et Castrum ad deditionem compulsum, munimentis nudavit. Alexander VII. autem, qui post Innocentium X. ecclesiae praefectus est, a. 1660. ducatum Castrensem cum territorio pontificio penitus conjunxit, et quamquam inter conditiones pacis, qua dissidium cum Gallia propter injuriam legato Gallicano illatam, compositum est, haec quoque esset, ut Castrum duci Parmensi redderetur, ea tamen effectui data non est. Multo prius ducatus Ferariensis territorio pontificio adjunctus est. Cum enim dux Alphonsus II. a. 1597. sine prolibus decessisset, Clemens VIII. Ferariam ut vacans feudum pontificium ad sedem apostolicam rediisse pronuntiavit, eamque Caesarem Astensem, quem proxime sibi cognatum Alphonsus terrarum suarum, inter quas etiam Mutina et Regium erat, haeredem instituerat, tradere jussit. Quod cum hic recusaret, pontifex eum excommunicavit, missisque contra eum copiis Ferariam occupavit, quae jam inter terras Romanas permansit. Faciliori opera sedes apostolica ducatum Urbinum acquisivit; mortuo enim a. 1631. ultimo duce sine haeredibus, Urbanus VIII. illum, nemine resistente, ut vacans feudum pontificium territorio Romano adjunxit.

Le Bret Geschichte von Italien.

§. 792. Potestas principum in rebus ecclesiasticis.

Imperantes civiles hac periodo non multo majorem, quam antea in rebus ecclesiasticis potestatem exercuerunt; pontifices enim magno studio vigilabant, ne sibi ultra id, quod eis antea hac in re concessum erat, aliquid assererent. Sic quantas lites Paulus V. reipublicae Venetae propter leges quasdam immunitati ecclesiasticae adversas moverit, jam est narratum. Idem Papa Genuenses ad revocandum quoddam de-

cretum, circa confraternitates spiritnales editum, minis adegit. Carolum V. imperatorem, translato Bononiam concilio Tridentino religionis normam pro interim edidisse, sedes apostolica vehementer improbavit. Imperatorem Maximilianum II. Lutheranis in Austria liberum religionis exercitium concessurum Pius V. a proposito absterrere, sed frustra conatus est. — Ampliorem, quam caeteri principes Catholici in rebus ecclesiasticis potestatem Galliae reges exercebant, ex priori adhuc periodo ut plurimum descendentem. Henricus II. de concilii Tridentini per Julium III. renovatione vehementer irritatus, episcopos suos Tridentum proficisci non permisit, sed in finem concilii nationalis proxime celebrandi, quemlibet abusus suae dioecesis explorare jussit, atque per legatos Tridentum missos contra concilium protestatus est. Ut decreta disciplinaria hujus concilii in Gallia acceptarentur, nec pontifex, nec clerus Gallicanus, etiamsi saepe magnam operam adhiberent, unquam efficere potuerunt. Restiterunt constanter reges eorumque consiliarii, senatus Parisiensis, et ordines regni, quia decretorum illorum alia propter statutas poenas temporales, transgressoribus ab episcopis infligendas, jurisdictioni civili, alia libertatibus ecclesiae Gallicanae adversa videbantur. Similem ob causam aliae quoque civitates velut Hispania et Venetia decreta Tridentina nonnisi eatenus acceptarunt, quatenus juribus publicis non adversentur. [1]) — Inter illas libertates ecclesiae Gallicanae, praeter alia etiam sequentia regis jura in rebus ecclesiasticis occurrunt: ille potest synodos provinciales et nationales congregare, in quibus etiam decreta, constitutionem ecclesiae Gallicanae concernentia, concipi possunt. Sine ejus consensu pontifex nullum legatum in Galliam mittere potest; praelati Gallici, etsi a pontifice citati, Romam proficisci non possunt; pontifex nihil ex proventibus beneficiorum percipere, fidei inquisitor neminem comprehendere, alienigena munus ecclesiasticum

nullum obtinere potest; nullae litterae pontificiae sine regis consensu executioni dari possunt, quae executio non apostolica sed regia auctoritate peragitur. Denique huc pertinet jus regaliae, in eo consistens, ut rex proventus episcopatuum vacantium per suos officiales administrare, et beneficia non curata, alias ab episcopo conferri solita, conferre possit. Quod jus, cum Ludovicus XIV., qui Hispanis et Germannis plures provincias eripuit, a. 1673. ad omnes totius regni sui episcopatus extendendum decrevisset, grave eum inter et pontificem Innocentium XI. dissidium exortum est. Cum enim episcopi Alectensis et Pamiensis, decreto regio se submittere recusantes, illius auxilium implorassent; Innocentius Ludovicum monitis et minis a coeptis avocare conabatur, sed frustra; rex enim litteris pontificiis nonnisi severa decreta opponebat. Mortuo a. 1680. episcopo Pamiensi tam rex quam capitulum vicarium generalem et administratorem temporalium constituit. Regios pontifex excommunicavit. Inde irritatus Ludovicus conventum episcoporum et procerum, superius jam enarratum a. 1681. celebravit, Innocentius autem episcopis ab eo denominatis confirmationem denegabat, quo factum est, ut paulatim 29 episcopatus praesulibus carerent. Tandem Innocentius XII. regi eousque cessit, ut episcopis ab eo denominatis confirmationem, ipsi vero jus regaliae in veteri seu propria Gallia universa concederet, quod nihilominus postea ad provincias quoque extraneas acquisitas extensum est. [2])

[1]) Courayer dissertation sur la reception du concile de Trente, particulierement en France.

[2]) Guarnacci lib. cit. Jäger hist. eccles. et polit. saeculi 17.

§. 793. Modus perveniendi ad dignitates ecclesiasticas.

Iidem Galliae reges vi concordati, inter Leonem X. et Franciscum I. initi, jure gaudebant, episcopatus et abbatias in regno suo conferendi. Jus episcopos

denominandi etiam a nonnullis aliis regibus, nominatim Hungaricis, Lusitanicis, Hispanicis hac periodo exercitum deprehenditur, a posterioribus tamen nonnisi in America Hispanica, nec non in terris Hispanicis in Asia et Africa; quod vero regnum utriusque Siciliae attinet, Hispanis pariter subjectum, Clemens VII. Carolo V. in pace Barcinonensi nonnisi facultatem tribuit, 24 episcopos per Neapolim denominandi, cum collatio episcopatuum in isto regno ad pontificem pertineret. In aliis terris Catholicis sive electio, sive denominatio pontificia, prout haec vel illa concordatis aut reservationibus pontificiis stabilita erat, tanquam ordinarius modus ad dignitates ecclesiasticas perveniendi hac periodo perduravit. Quoad electionem Romani pontificis, Pius IV. pristinam conclavis formam, multum neglectam restauravit, Gregorius XV. autem statuit, ut electio nonnisi scrutinio, compromisso, vel inspiratione perageretur, ut in scrutinio duae tertiae partes ad valorem electionis requirerentur, quae, si deessent, per accessum compleri possent. Praeterea abusus in electionibus hactenus usitatos gravissime interdixit, et caeremonias observandas accuratissime definivit.

Histoire des conclaves depuis Clement V. jusqu'a present. A Cologne. 1703.

§. 794. Bona ecclesiae temporalia.

Bona ecclesiastica iis in terris, quarum rectores religioni Catholicae fideliter inhaerebant maximam partem conservata sunt, quia ab altera parte pontifices eorum conservationi quantum poterant, operam dabant, ab altera principes saeculares, justitiae reverentes iis non inhiabant. Nec deerant tam inter principes, quam inter caeteros laicos, imo et clericos, qui hac quoque periodo fundationibus et donationibus ad bona ecclesiastica augenda conferrent. Plures novi ordines religiosi, hac periodo exorti, imprimis socie-

tas Jesu non exigua bona temporalia acquisiverunt. In America autem Hispanis et Lusitanis subjecta, episcopatibus, ecclesiis et monasteriis ibidem erectis amplus plerumque dos ex munificentia regia collatus est.

B. *Liturgico.*

§. 795. Status liturgicus hac periodo.

Status liturgicus ecclesiae Catholicae in universum nullas hac periodo mutationes subiit. Ritus et caeremoniae sacrae, praecedentibus saeculis introductae, conservatae quidem, fortasse etiam multiplicatae, sed non novis antea incognitis auctae sunt. Calicem eucharisticum, quem Ferdinandus I. imperator et dux Bavariae pro terris suis, tanquam praecipuum medium, quo plurimorum ad Lutheranos defectio cohiberi posset, a concilio Tridentino et pontifice impense flagitarunt, Pius IV. cujus arbitrio haec causa a concilio commissa fuit, episcopis quibusdam Germannicis, laicis distribuendum quidem concessit; ejus tamen successores post aliquod tempus hanc concessionem iterum revocarunt. Festis, hactenus introductis quovis hujus periodi saeculo nova quaedam accesserunt, e quibus notamus festum B. Mariae de victoria, a Pio V. ob victoriam de Turcis in pugna navali apud insulas Echinades reportatam institutum, festum nominis B. Mariae, quod in nonnullis ecclesiis jam introductum Innocentius XI. ob cladem Turcarum, Vindobonam obsidentium, ad universam ecclesiam extendit. Missale denique, rituale, et breviarium ex decreto consilii Tridentini, curantibus summis pontificibus emendata sunt.

C. *Disciplinari.*

§. 796. Res disciplinaris hujus periodi.

Inter varia disciplinae ecclesiasticae genera, jejunia publica hac periodo nec aucta nec minuta sunt. Quoad poenitentiae disciplinam, concilium Tridentinum sessione 24. decrevit, ut pro peccatis publice commissis, e quibus alios scandalizatos fuisse non dubitandum sit, poenitentia publica imponeretur, facta tamen simul episcopis potestate, ejusmodi poenitentiam, si consultius duxerint, in secretam mutandi. Sed rerum adjuncta jam ita comparata erant, ut decretum istud vix unquam effectui daretur. Itaque nonnisi consueta privatae poenitentiae genera in usu manebant. De indulgentiis concilium statuit, earum usum, ceu populo Christiano maxime salutarem retinendum, in eis tamen concedendis moderationem adhibendam, abusus circa eas emendandos, imprimis vero omnem quaestum pro eis consequendis abolendum esse. Secundum hoc decretum reapse indulgentiae plenariae, et non plenariae, tam antiquae, velut jubilaei et portiunculae, tum novae, minus tamen frequenter ac antea, et nunquam pro pecunia dispensabantur. Denique idem concilium monuit, ut excommunicatio nonnisi sobrie et magna cum circumspectione, nec propter leviores causas infligeretur. Et reapse longe pauciora excommunicationis hac periodo inflictae exempla in historia occurrunt.

§. 797. Mores Catholicorum.

Magna morum corruptela, ex praeterita periodo in praesentem transgressa, altero demum saeculi 16. dimidio paulatim minui, et tum quoad effraenem licentiam, tum quoad extensionem decrescere coepit. Haec morum emendatio partim salutaribus concilii Tridentini decretis, effectui datis, partim assiduo piorum quorumdam episcoporum, inter quos Carolus Borromaeus

Mediolanensis et Franciscus Salesius. [illegible] [illegible]-nebant, studio, clerum populumque [illegible] [illegible] ad pietatem Christianam [illegible]. [illegible] [illegible] quibusdam religiosis, qui [illegible] [illegible] et religiosam juventutis educationem [illegible] [illegible] [illegible] attribuenda est. Ea majores adhuc progressus factura fuisset, nisi diuturna bella, [illegible] religiosis in Gallia praecipue et Germania excitata, animos iterum feriores reddidissent, et multiplicibus vitiis ac flagitiis fomentum praebuissent. Quamquam autem haec a populo Catholico minime aberant, atque in Italia praesertim et Gallia luxuria ex aulis ad populum quoque propagabatur; sensus tamen religiosus, omnis moralitatis fundamentum et conditio necessaria, in plerisque adhuc conservatus est, qui in multis tantus erat, ut eos ad mores suos praescriptis evangelicis plene conformandos, ad virtutes maxime arduas exercendas, denique ad veram sanctitatem perduceret. Inter illos, qui hujus compotes facti, ab ecclesia solemni ritu sanctorum numero adscripti sunt, sequentes notandi veniunt. Ex saeculo 16.: Pius V. pontifex maximus, ex ordine Praedicatorum; Carolus Borromaeus; Thomas de Villanova, archiepiscopus Valentianus in Hispania; Alexander Sauli, episcopus Ticinensis; Ignatius de Lojola; Franciscus Borgias, ex familia ducum Gandiae in Hispania, post amplissima munera publica gesta, societati Jesu adscriptus et tertius ejusdem praepositus generalis; Franciscus Xaverius; Aloysius e familia Gonzagarum, marchionum Castellionis in ducatu Mantuano, pariter societatem Jesu ingressus; Stanislaus Kostka, Polonus, nobili genere natus, juvenis Romae in societatem Jesu assumtus, ibique novitiatu nondum transacto mortuus; Ludovicus Bertrandus, Hispanus, ordinis Praedicatorum, qui Americanis evangelium praedicavit; Joannes a cruce, pariter Hispanus, Carmelita; Petrus de Alcantara, ita cognominatus ab urbe in Estremadura Hispanica, ubi a. 1499. nobilibus parentibus natus est, ordi-

ni S. Francisci adscriptus, et minister quoque provincialis factus; Paschalis Baylon, pariter Hispanus, eidem ordini qua frater adscriptus; Felix a Cantalicio in Italia, frater ordinis Capucinorum; Philippus Nerius, Italus, fundator congregationis sacerdotum de oratorio; Cajetanus Thienaeus, fundator Theatinorum; Andreas Avellinus, Neapolitanus, huic Theatinorum ordini adscriptus; Hieronymus Aemilianus, Venetianus, fundator clericorum regularium Sommascensium; Joannes de Deo, auctor ordinis fratrum misericordiae, natione Lusitanus; Camillus de Lellis, Buclanici in regno Neapolitano natus, qui congregationem clericorum regularium, aegrotis inservientium fundavit; Theresia, virgo Hispanica; Magdalena de Pazzis, Florentina, utraque ordini Carmelitarum adscripta; Angela, in ditione Venetiana nata, a qua ordo Ursulinarum fundatus est. Ex saeculo 17.: Franciscus Salesius, episcopus Genevensis; Fidelis Sigmaringae, in Suevia nobilibus parentibus natus, ex causidico Capucinus, missionarius, a Calvinianis Grisonibus a. 1622. martyrio coronatus; Vincentius a Paulo, Gallus, presbyter saecularis, fundator Lazaristarum; Petrus Fourerius, pariter Gallus, canonicus regularis in dioecesi Tulensi, qui post gestum munus parochiale confratres suos reformavit; Joannes Franciscus Regis et ipse Gallus, e societate Jesu; Josephus Calasanctius, Hispanus, qui instituit clericos piarum scholarum; Josephus, a Cupertino in regno Neapolitano, ubi natus erat, cognominatus, presbyter ordinis fratrum minorum, vitae rigore et frequentibus, quas patiebatur, extasibus clarus; Joanna Francisca Fremiot, uxor baronis de Chantal in Gallia, quae post mortem mariti, societatem monialium a Francisco Salesio institutam prima direxit; Rosa, virgo Limana, tertio ordini S. Dominici adscripta.

§. 798. Reformatio cleri per concilium Tridentinum.

Desideria Catholicorum quoad reformationem.

Inter causas, quibus meliores hujus periodi mores attribuendi sint, etiam concilium Tridentinum commemoratum est. Qui credebant, defectionem ab ecclesia Catholica, per Lutherum et consortes effectam, in corrupto illius statu, in pravis clericorum moribus potissimum fundatam esse, a concilio oecumenico, quod ad defectionem illam cohibendam celebrari cupiebant, nihil magis, quam ut corruptela ista tolleretur, desiderabant. Hinc reformatio ecclesiae, et imprimis emendatio morum cleri unus erat e praecipuis finibus concilio Tridentino propositis. Itaque jam videndum est, in quantum hoc concilium fini illi responderit, et desideriis Catholicorum, reformationem flagitantium satisfecerit. Cardinales aliique praelati, quibus Paulus III. concilii convocationem meditans mandaverat, ut objecta reformationis litteris consignarent, in scripto a. 1538. ei exhibito, praeter alia, haec praecipue proposuerunt: mores et scientias tam sacris ordinibus initiandorum, quam ad beneficia promovendorum, expectativas, reservationes, pluralitatem beneficiorum, simoniam, absentiam episcoporum a suis ecclesiis, impunitatem delictorum, speciatim a clericis commissorum, vitam irregularem monachorum, morum dissolutionem in urbe Roma, impias philosophorum doctrinas, librorum pravorum impressionem, multitudinem indulgentiarum, negligentem hospitalium administrationem. His accedebant objecta, circa quae nationes Catholicae reformationem desiderabant, e quibus praecipua tantum illorum commemoramus, quae in prioribus non occurrunt. Igitur episcopi Hispanici in concilio praesentes desiderabant, ut concilia provincialia restituerentur. Senatus regius Castellanus in libello

per Carolum imperatorem pontifici et concilio exhibendo sequentia reformanda proposuit: commendas, munus coadjutorum, unionem plurium beneficiorum pro una persona ad dies vitae, artes, quibus successio in beneficiis obtinetur, clandestinam et fraudulentam beneficiorum renuntiationem, collationem beneficiorum amicis factam, exemtiones a jurisdictione episcopali, jus communitatum ecclesiasticarum, sic dictos conservatores Romae sibi eligendi. Imperator Ferdinandus in articulis reformationis, per legatos suos concilio exhibitis desideravit, ut dispensationes tollerentur, vel saltim minuerentur, ut proventus ecclesiastici non amplius dissiparentur et melius distribuerentur, ut ipse pontifex et aula ejus reformaretur, ut numerus cardinalium ad 24 determinaretur, ut clericorum excessibus obex poneretur, pro sacramentorum dispensatione aliisque functionibus sacris nihil exigeretur, ut jejunium liberae cujusvis voluntati relinqueretur, excommunicationes nonnisi urgentissima ex causa, et nunquam in litibus de rebus temporalibus infligerentur, ut etiam matrimonio juncti ordinibus sacris initiarentur, et calix eucharisticus laicis concederetur, tandem ut missalia et ritualia emendarentur, et orationes ac cantus in lingua vernacula durante divino cultu publico instituerentur. Denique legati Gallorum praeter plura ab aliis jam postulata, in suis reformationis desideriis habebant, ut pontifex nonnisi eo in casu episcoporum, abbatum, et parochorum administrationi sese immisceret, ubi isti negligentes deprehensi fuerint, ut in posterum nullas quacuncque in causa dispensationes contra conciliorum decreta concederet, ut annatae et caeterae taxae abrogarentur, et omnia gratis expedirentur, ut episcopi sine consilio capitulorum nihil majoris momenti agerent, ut juxta 6. concilii Calcedonensis canonem nemo nisi ad determinatum munus ecclesiasticum ordinaretur, ut ordinum interstitia observarentur, ut prioratus simplices cum beneficiis curatis, a quibus

separati fuerunt, iterum conjungerentur, ut pensiones ex proventibus ecclesiasticis dari solitae abrogarentur, ut beneficia peregrinis non conferrentur, ut ab impedimentis matrimonii ex consanguinitate oriundis nonnisi imperantes civiles dispensarentur, ut pro peccatis publicis poenitentia publica praescriberetur, ut abusus circa imagines, reliquias, sacras peregrinationes, indulgentias, confraternitates tollerentur, ut durante missa evangelium, et ante dispensationem sacramentorum, effectus eorum salutares populo in lingua vernacula explicarentur.

§. 799. Decreta concilii Tridentini reformatoria.

Si haec nationum Catholicarum desideria cum decretis comparantur, quae concilium Tridentinum circa reformationem edidit, quaeque diversis hujus historiae locis allegata sunt, et adhuc allegabuntur, intelligitur, desideriis illis magna ex parte satisfactum fuisse. Nam quod speciatim clerum attinet, concilium decrevit, ut in quavis dioecesi seminarium erigeretur, in quo juvenes clerici in grammatica, in cantu ecclesiastico, et in caeremoniis sacris instituantur, s. scripturam et scripta patrum diligenter legant, et ad confessionem peccatorum recte peragendam informentur; ut apud singulas ecclesias cathedrales et collegiatas theologiae, et in monasteriis s. scripturae doctor constitueretur; ut mores ordinandorum ope publicae eorum in ecclesia parochiali proclamationis explorarentur; ut ante completum annum 22. subdiaconus, 23. diaconus, 25. presbyter nemo ordinaretur; ut clerico 14 annis minori beneficium nullum conferretur; ut nonnisi bonis moribus et sufficientibus scientiis instructi ad beneficia promoverentur; ut ad beneficia promovendi ab ordinario examinarentur, et si habiles inventi non fuerint, reprobarentur; ut canonicatus nonnisi ss. ordinibus initiatis conferrentur, et dimidia pars canonicatuum ca-

thedralium doctoribus theologiae vel juris canonici reservaretur; ut nemo sine titulo ordinaretur; ut clerici beneficium vel munus aliquod ecclesiasticum tenentes ad residentiam adigerentur; ut parochi saltim singulis diebus Dominicis et festis verbum Dei praedicarent, vel si ipsi non possunt, id per alios facerent; ut iidem, sicut et ipsi episcopi, ante sacramentorum dispensationem eorum virtutem, nec non s. scripturam populo in lingua vernacula diligenter explicarent; ut nonnisi tales, qui post accuratum examen bonis moribus, necessaria scientia et habilitate praediti fuerint deprehensi, episcopi eligerentur; ut electus episcopus saltim intra tres ab electione menses consecrari se curaret; ut episcopi aliique praelati apud suas ecclesias residerent, quod graviter inculcatum est; ut ipsi verbum divinum praedicarent; ut quotannis dioecesim suam vel saltim partem ejus visitarent, a qua visitatione neque singuli neque communitates exemtione aut quocuncque privilegio liberari possint; ut clericorum sibi subditorum moribus invigilarent, et in puniendis delinquentibus, nulla altiori dispensatione impedirentur, quem in finem sic dicti conservatores et litterae conservatoriae, quas singuli clerici vel coetus ecclesiastici nonnunquam Romae sibi impetrarant, nullius pro futuro valoris pronuntiatae sunt; porro ut episcopi in conferendis ss. ordinibus interstitia servarent, et pro ordinatione litterisque suis nihil exigerent; ut nemini ex aliena dioecesi ordines sacros conferrent, neque functionem episcopalem in aliena dioecesi peragerent.

§. 800. Continuatio.

Universo clero, cardinalibus non exceptis, concilium simplicitatem in victu, vestitu et suppellectili praescripsit, ne cognatos suos ex bonis ecclesiasticis ditarent, interdixit, statuitque, ut omnia, quaecuncque sacris canonibus de bonis moribus et scientiis necessariis clericorum praescripta sint, sub iisdem, atque

etiam gravioribus poenis in posterum observarentur, nullaque appellatio morum emendationem impedire posset. Respectu beneficiorum concilium mandata de providendo, expectativas, nec non reservationes (extra concordata aut alia jura) pro ipsis etiam cardinalibus abrogavit; beneficiorum pluralitatem vetuit, ita ut praeter unum reliqua mox dimittenda essent; sic dictas commendas et beneficiorum uniones ad dies vitae, sustulit, episcopisque mandavit, ut etiam in perpetuas uniones inquirerent, et quas illegitimas aut sine justis causis factas deprehenderint, irritas redderent, neque beneficia sub hac conditione conferri aut acceptari permitterent, ut pars reddituum aut jurium eis inhaerentium alteri relinquatur; porro decrevit, ne cuiquam praelatorum coadjutor daretur, nisi pontifex id necessarium judicaverit. Respectu laicorum concilium praeter alia, duella sub gravissimis poenis interdixit, matrimonia clandestina sustulit, atque totam rem matrimonialem singulari decreto ordinavit, statuitque, ut catechismus, ex jussu suo conficiendus in linguas vernaculas transferretur. Denique pro sustentanda et perficienda reformatione decrevit, ut omni triennio synodi provinciales, singulis autem annis dioecesanae haberentur. — Quodsi concilium non omnibus omnium votis respondit, id partim inde venit, quia non omnia ecclesiae salutaria existimavit, partim inde, quia multorum et potentium hominum, quorum emolumenta reformatione tangebantur, ratio ei omnino habenda erat. Neque omnes nationes Catholicae decreta reformationis a concilio Tridentino condita, et a Pio IV. in solemni cardinalium consistorio approbata acceptarunt. Praeter Gallos enim Hungari ea non admiserunt, et quoad Germanniam Catholicam Ferdinandus quidem in terris sibi subditis ea valere jussit, caeterorum autem principum Catholicorum nomine Daniel, archiepiscopus Moguntinus in comitiis a. 1563. Augustae habitis Commendono legato pontificio significavit,

eos decreta, hierarchiam et disciplinam concernentia, neutiquam acceptare.*) Neque ibi, ubi acceptata sunt, omnia semper effectui dabantur vel observabantur. Interim tamen vel per hoc, quod respectu eorum, in regnis Catholicis reapse factum est, (in Gallia v. g. plurima eorum, quae Tridenti statuta fuerant, legibus publicis praecepta sunt) mores, imprimis clericorum, mutationem admodum laudabilem subierunt, neque amplius tanta in eis ruditas, tam effraeni excessus, tam supina ignorantia quam saeculis praecedentibus deprehendebatur. Episcopi, relaxato nexu vasallitico ab onere castra sequendi liberati, jam magis magisque munus suum ecclesiasticum curabant; pontifices vero, etsi inter eos non deessent diversis atque etiam majoribus naevis laborantes, in universum tamen viri erant, moribus venerabiles, et nonnulli etiam sanctitatis compotes.

*) Delladerchi annall. eccles. ad a. 1566.

§. 801. Theatini. Clerici regulares S. Pauli et S. Majoli.

Altera causa, cui mores emendati Catholicorum attribuendi sunt, haec erat, quod jam primo hujus periodi tempore a pluribus viris, religionis et salutis animarum studiosis, fundatae fuerint societates clericorum qui non tantum, sicut pristini canonici regulares propriae perfectioni morali operam darent, sed etiam sedula muneris pastoralis administratione aliorum emendationem et salutem pro viribus promoverent; quem finem tam propriis conatibus, quam caeteris clericis ad imitationem excitatis saltim magna ex parte reapse consecuti sunt. Ex istis clericorum societatibus prima erat, quae originem suam debuit Cajetano, ex nobili Thienaeorum genere Vincentiae oriundo, prius juris doctori et protonotario apostolico, deinde presbytero, qui, postquam in urbe patria piae cuidam confraternitati adscriptus, aliquamdiu infirmis curandis et peccatori-

bus a vitio avocandis operam dedisset, Romae emendationem cleri meditabatur. Ejus consilia probabantur Joanni Petro Caraffae, episcopo Theatino et archiepiscopo Brundusino in regno Neapolitano, qui dignitatibus muneribusque suis dimissis, cum duobus aliis viris Cajetano se adjunxit ad societatem efficiendam, cujus finis esset, sedula et decenti cultus divini publici peractione, adhortatione ad frequentem sacramentorum poenitentiae et eucharistiae usum, diligenti et condigna verbi divini praedicatione, haeresum impugnatione, infirmorum consolatione, assistentia malefactoribus publice enecandis praestita, salutem animarum et pietatem Christianam provehere. Societatem istam ingressi ad tria vota monastica et ad paupertatem ea ratione colendam tenebantur, ut spretis omnibus possessionibus et proventibus ne mendicando quidem victum quaererent, sed voluntaria fidelium dona expectarent. Pontifex hanc congregationem a. 1524. approbavit, privilegia canonicorum regularium congregationis Lateranensis ei concessit, et nomen clericorum regularium tribuit; attamen ab episcopatu Caraffae vulgo Theatini dicti sunt. Postquam hic ipse a. 1555. pontifex electus fuisset, Paulus IV. dictus; illorum per Italiam propagatio eo majores progressus fecit, quia itinera quoque apostolica non tantum ad fideles, sed etiam ad Ethnicos usque in Asiam suscipiebant. Saeculo 17. etiam in Galliam et in alia regna Catholica introducti sunt. — Similem societatem non multo post priorem fundarunt tres presbyteri saeculares Mediolanenses, inter quos Antonius Zacharias, antea doctor artis medicae primarius erat. Postquam enim jam antea, pietatis fervore repleti, opera charitatis corporalia et spiritualia sedulo exercuissent, et in pia quadam confraternitate, cui adscripti erant, se cognovissent; a. 1530. Mediolani conjunctionem inter se inierunt, et ad alios quoque propagare statuerunt, cujus socii, votis monasticis ligati, et ad vitam pauperem ac humilem adstricti verbo divi-

ne praedicando, confessionibus excipiendis, juventuti instituendae, seminariis regendis, verbo, curae animarum diligentem operam navarent. Hoc institutum Clemens VII. a. 1532. approbavit. Ei adscripti nominati sunt clerici regulares S. Pauli, scilicet apostoli, quem sibi patronum et exemplar elegerunt. Postea vero ab ecclesia S. Barnabae, quae Mediolani eis tradita fuit, Barnabitarum nomen acceperunt, quo jam vulgo compellabantur. Cum etiam sic dictas missiones susciperent, brevi tempore Vincentiam, Ticinum et Venetias vocati sunt. Imo Zacharia a. 1539. moriente, ejus societas in Italia jam satis numerosa erat. Eorum fama eo augebatur, quod Mediolani et Ticini etiam theologicas aliasque litteras publice docerent, virosque eruditos et scriptores haud contemnendos inter se haberent. Saeculo 17. Henricus IV. Galliae rex eos in meridionales regni sui partes ad haereticos ibi convertendos vocavit. Praeterea in Austriam et alias quasdam provincias introducti sunt. — Finem non minus in salutem aliorum directum, sed magis specialem sibi praefixum habuit congregatio, cujus auctor extitit Hieronymus Aemilianus, senatorio Venetorum genere natus. Is ab initio militiae adscriptus vitiis indulsit, calamitatibus autem sibi captivo illatis ad meliorem frugem perductus post liberationem suam austeris poenitentiae operibus, pietatis exercitiis, et pauperum infirmorumque curae diligenter vacavit. Postea a gravi morbo sanatus negotia saecularia penitus dimisit, abjectis nobilioribus vestibus vili habitu incessit, et jam praecipue parvulorum, per luem pestiferam paulo antea grassatam parentibus orbatorum curam gessit. Eundem in finem a. 1531. cum nonnullis philanthropis, qui ei se adjunxerant, in alias quoque ditionis Venetianae urbes se contulit, pauperesque in religione instituens et peccatores ad poenitentiam adhortans, in pluribus urbibus orphanotrophia fundavit. Postea Sommascae in agro Bergamensi sede fixa, sociis suis, inde Sommascensibus dictis, ascesin uni-

uniformem praescripsit, in qua silentium, orationes nocturnae, austeritates corporales, manuumque labor erant, addita ruricolarum in religione institutione. Hanc congregationem, ab initio e clericis et laicis compositam, tertio a morte fundatoris, a. 1537. defuncti et nunquam clero adscripti, anno, Paulus papa III. approbavit, Pius V. autem, praescripta ei regula S. Augustini, nomine clericorum regularium S. Majoli, cui ecclesia, quam Ticini habebant, sacra erat, inter ordines religiosos retulit. Cum de juventute etiam in altioribus scientiis instituenda bene mererentur, posteriores pontifices eos a jurisdictione episcoporum exemerunt, aliisque privilegiis ornarunt. Extra Italiam propagati non sunt.

Helyot histoire des ordres monastiques religieux et militaires.

§. 802. Societas Jesu.

Ejus initia.

Societates clericorum, hactenus enarratas longe post se reliquit tum lata propagatione, tum rerum a se effectarum magnitudine illa societas, quae a nomine Jesu compellari voluit. Ejus auctor erat Ignatius, nobilis Hispanus, a. 1491. in arce Lojola in provincia Jupuscoa natus. Militiae adscriptus a. 1521. in defensione Pampelunae contra Gallos grave vulnus accepit, ex quo decumbens legendis sanctorum biographiis tempus transigebat. Horum mirabilibus gestis, atque abnegationis et excruciationis sui ipsorum exemplis ad imitationem tractus, recuperata valetudine jam novam vitae rationem iniit; et postquam in Monte serrato peccata sua confessus esset, servitiisque spiritualibus se devovisset, primo in vicina urbe Manresa severissimis poenitentiae operibus corpus suum afflixit, dein Jerosolymam profectus est, partim ut peccata sua amplius expiaret, partim ut infideles converteret, quod posterius consilium cum effectui dare non posset, in patriam reversus, Bar-

cinonae pedem fixit. Ibi perpendens, quantum in procuranda, quam anhelabat, animarum salute scientiis theologicis adjuvari posset, homo 33 annos natus non dedignabatur, ad grammaticam Latinam discendam cum pueris in schola considere. Postea studiorum philosophicorum causa Complutum profectus, mendicando sibi aliisque pauperibus victum quaerens, jam plebejos in fidei rudimentis imbuebat, et nonnullos ad pietatis exercitia perducebat. Cum vero propter motus inde excitatos ab ipsis fidei inquisitoribus bis custodiae traditus fuisset, a. 1528. Parisios se contulit, ubi quidem litterarum studia eo successu continuavit, ut a. 1534. etiam magister philosophiae renuntiaretur, simul tamen spontaneam mendici paupertatem et ipse colebat, et aliis persuadebat, universim corporalibus et spiritualibus proximi indigentiis pro viribus inserviens. Quibus quo amplius satisfieret, societatem ad id se obstringentium condere meditabatur, atque reapse sex juvenes litterarum studiosos ad consilia sua pertraxit, Petrum Fabrum, Sabaudum, Franciscum Xaverium, nobilem Navarrensem, Jacobum Lainezium, Alphonsum Salmeronem et Nicolaum Bobadillam, tres Hispanos, et Simonem Rodriguezium nobilem Portugallum. Hi igitur una cum Ignatio a. 1534. in ecclesia montis martyrum prope Parisios, post peractam peccatorum confessionem et sumtam eucharistiam votum de colenda omnimoda paupertate, et de procuranda salute proximi spirituali et corporali emiserunt. Post tres annos Venetiis congregati voto suo imprimis sedulo ministerio, infirmis in nosocomiis exhibito, respondere satagebant, et verbum divinum publice in plateis praedicabant. Novis sociis auctus Ignatius eodem adhuc anno cum Fabro et Lainezio Romam profectus pontificis arbitrio sua suorumque servitia obtulit. Is Fabro et Lainezio munus in universitate Romana docendi demandavit, Ignatium vero caeterosque socios, qui post hunc Romam venerunt, cum jam omnes presbyteri es-

sent, verbum divinum praedicare et animarum curam gerere permisit, qua in re praeter alia usum poenitentiae et eucharistiae plurimum neglectum frequentiorem reddere studebant. Post duos annos societatem suam in ordinem ab ecclesia approbatum transformare meditabantur, eumque in finem constitutionem illius composuerunt.

§. 803. Ejus constitutio.

Primariae huic constitutioni postea statuta, pariter constitutiones dicta, ab Ignatio confecta, sed ab ejus in ordine regendo successore Lainezio declarationibus multum mitigata, nec non diversae litterae pontificiae accesserunt, quibus omnibus variae res inter socios vel noviter introductae vel mutatae sunt. His omnibus collatis talis erat constitutio societatis Jesu. Finis ejus primarius erat, religionis et pietatis incrementum verbi divini praedicatione, confessionum exceptione, exercitiis spiritualibus, operibus caritatis, institutione parvulorum rudiumque in doctrina Christiana promovere. Tria vota monastica socii admittebant, sed haec fere sola erant, quae cum monachis communia habebant. Non enim sic dictum officium divinum communiter in choro, sed singuli privatim recitabant, nec habitum quemdam singularem, sed vestitum clericorum saecularium deferebant, neque ad frequentes monachorum devotiones et castigationes, omnium minime ad vitandum hominum consortium obligati erant, quod finis eis praefixus potius quaerere jubebat. Inter negotia eis praescripta praecipuum quemdam locum tenebat puerorum rudiumque in religione institutio, quam mox ita amplificarunt, ut litteras philosophicas quoque et theologicas frequenter et postea fere soli docerent. Quoad votum paupertatis statutum erat, ut societas sic dicta collegia, in quibus litterae doceantur, habere possit, fundis aut aliis fixis redditibus, in usum docentium et discentium impendendis instructa, perfe-

ctiores autem Jesuitae, professi et coadjutores vocati, omni peculio tam communi, quam privato careant, donationes quidem sponte oblatas accipiant, minime vero requirant, sed potius semper ad mendicandum parati sint. Obedientiam generali ordinis praeposito plenissimam et nonnisi praeceptis divinis limitatam praestare, ipsumque Jesum Christum quasi praesentem in eo revereri omnes tenebantur, ipse vero nemini subjectus erat et solummodo quatuor, assistentes dictos, sibi additos habebat, qui eum partim in negotiis administrandis juvarent, partim ejus actiones observarent. Ille jure gaudebat, regulas constitutioni consentaneas proponendi, quarum acceptatio, sicut et graviorum ordinis causarum definitio a pluralitate votorum in congregationibus generalibus dependebat; caeterum illimitatam potestatem habebat praecipiendi, quidquid regulis societatis non adversum esset. Ab initio munus ejus perpetuum erat, versus medium autem saeculum 17. in congregatione generali statutum est, ut post singula novennia illud in tali congregatione, a qua generalis semper eligebatur, deponeret, et nonnisi ea volente reciperet. Consuetis tribus votis ordinis fundatores quartum addiderunt de inconditionata erga pontificem, labores apostolicos quacunque in terra, sive inter fideles, sive inter haereticos et schismaticos, sive inter infideles mandantem, obedientia. Omnes socii in tres classes distributi erant, in scholasticos, qui post probationem, emissis tribus votis consuetis litteras in collegiis discebant et docebant, in professos, qui post novam probationem quartum votum emiserant, primarii et quasi veterani societatis erant, et praecipue missionibus impendebantur, denique in coadjutores clericos (nam et inter laicos Jesuitae habebant viros, societati suae devinctos, ejusque finibus inservientes) qui in subsidium professorum destinati medium hos inter et scholasticos locum tenebant. Inter probationes novitiorum, in quorum su-

sceptione: justa corporis forma, ingenium, et facultas cum hominibus suaviter conversandi respiciebatur, hae quoque erant, ut per mensem exercitiis spiritualibus ab Ignatio conscriptis vacarent, per alium infirmis in nosocomiis ministrarent, per alium denique sine aere, et victum mendicando quaerentes devotionis causa peregrinarentur, et praeterea toto tempore vilissima servitia domestica obirent. Quantum jam societas Jesu a caeteris ordinibus religiosis distulerit, ex hactenus dictis sufficienter apparet. Id quoque singulare habebat, quod Ignatius ex concessione pontificis directionem monialium longe ab ea removerit, unde etiam societates faeminarum, quae saeculo 17. nomine Jesuitissarum propria auctoritate in Italia et Germannia coaluerant, et constitutiones Ignatii, pro ratione sexus mutatas sibi observandas proposuerant, ab Urbano VIII. mox sublatae fuerunt. Porro Ignatius ab initio quidem statuit, ne quis sociorum episcopatum aut altiorem dignitatem ecclesiasticam acciperet, id quod ad arcendos ambitiosos et ad idoneos societati conservandos necessarium videbatur. Postea vero, cum societas jam satis firmata esset, pontificibus ita volentibus Jesuitae consentiente generali, et hic ipse, consentiente societate, episcopatus et dignitatem cardinalitiam acceptare poterant et reapse acceptabant. Hujus constitutionis praestantiam et voti quarti in illis rerum adjunctis, ubi ordines antiquiores haeresibus, continuo magis invalescentibus reprimendis non sufficere videbantur, utilitatem, nec non primorum sociorum in promovenda religione et pietate fervorem et dexteritatem perpendens Paulus III. societatem Jesu a. 1540. singulari bulla approbavit, et sub praesidium sedis apostolicae constituit.

§. 804. Ejus privilegia.

Cum Ignatius ejusque socii indefessa cum industria optimoque successu fidelium saluti et ecclesiae

utilitatibus inservirent, inter remotissimos Paganos fidem Christianam propagarent, haereticos impugnarent, Judaeos converterent, juventutem instituerent, orphanorum sustentationi providerent, peccatores, speciatim meretrices e vitiorum coeno educerent, pietatem et bonos mores passim promoverent; pontifices, nominatim Paulus III. et ejus successor Julius III., partim ad tanta merita remuneranda, partim ad eorum labores et conatus promovendos societati amplissima et hactenus inaudita privilegia tribuerunt, quibus eis praeter exemtionem ab omni inspectione et jurisdictione episcoporum concedebatur, ne ullus episcopus aut alius praelatus quemquam Jesuitarum excommunicationi aut interdicto subjiceret, ut episcopi Jesuitis ad ordinandum sibi propositis absque ulla conditione et examine sacros ordines conferrent, ut Jesuitae in omnibus ecclesiis et aliis locis convenientibus sine episcopi et parochi licentia verbum Dei praedicarent, confessiones exciperent, et reliqua sacramenta administrarent, e contra episcopis operam suam locare non tenerentur, et si sponte id facerent, non ejus, sed praepositorum suorum praescriptis subessent, ut ubique oratoria haberent, atque in eis vel aliis locis decentibus, etiam super aris portatilibus omni hora, et ipso interdicti tempore, tum vero clausis januis, missam celebrarent, ut ab omnibus decimis aliisque tributis solvendis penitus liberi essent, ut propter graviora negotia recitationem breviarii omitterent vel aliud opus bonum ejus loco praestarent, ut ab omnibus peccatis, criminibus et censuris, etiam sedi apostolicae reservatis absolvere, et vota in alia pia opera mutarent, ii vero, qui inter infideles versarentur, etiam a delictis in bulla coenae contentis absolverent, a rebus matrimonium prohibentibus dispensarent, et universim jurisdictionem episcopi, ubi talis longe remotus esset, exercerent, ut professi socios a jejunio vel ciborum vetitorum abstinentia dispensarent, generalis autem eos ab omnibus censuris

et peccatis absolveret, exceptis solis criminibus, quae Sixtus IV. in bulla, mare magnum dicta, sedi apostolicae reservavit, ut idem generalis, neminis permissione requisita publicos theologicarum aliarumque litterarum e suis professores constitueret, sociosque ad honores academicos promoveret eo effectu, ut promoti eorumdem, quibus ab universitatibus promoti, jurium, privilegiorum, et honorum participes essent, quae promovendi potestas aliis quoque superioribus societatis a pontificibus concessa est.

§. 805. Ejus propagatio.

Eadem Jesuitarum studia et merita, quae pontifices tot tantisque privilegiis remunerabantur, etiam plerosque principes Catholicos permovebant, ad eos mox in terras suas admittendos, quam admissionem ipsi Jesuitae studiose quaerebant. Ac primo quidem extra Italiam in Portugallia, cujus rex Joannes III. Ignatii coaevus eis plurimum favebat, plura collegia, et inter haec ipsum Conimbricense, a rege pro tradendis litteris philosophicis et linguis Orientalibus erectum, acceperunt. Franciscus Xaverius, Goae in India Lusitanica collegium admodum numerosum fundavit, cujus membra educandis et erudiendis Jndorum conversorum prolibus potissimum occupabantur. Etiam in Brasilia Jesuitae cito sedes fixerunt. Similiter primo jam tempore in Hispania duo pro eis collegia erecta fuere, alterum Compluti, alterum Gandiae, ab hujus urbis duce, Francisco Borgia, qui ipse non multo post societati adscriptus, tertius ejus praepositus generalis extitit. Cum vero Salmanticae collegium essent adepturi, vehementer eis se opposuit Melchior Canus, vir ob pietatem non minus quam eruditionem celebris, qui cum Jesuitas plane Antichristi praecursores pronuntiaret, nobiles ac ignobiles multos ab eis abalienavit, eorumque in Hispania progressus aliquantulum retardavit. In Germanniam eos primus a. 1549. vocavit Guilielmus IV.

dux Bavariae, ubi ab initio tres eorum in universitate Ingolstadiensi theologiae professores constituti sunt, et post aliquot annos proprium pro eis collegium fundatum est. Anno 1551. invitante Ferdinando I. in Austriam venerunt, et Viennae collegium acceperunt, ubi praecipue Petrus Canisius ad Lutheranismum minuendum plurimum contulit, eumque in finem etiam, mandante Ferdinando, catechismum suum composuit. Coloniae quoque Jesuitae eo tempore pedem fixerunt. Itaque cum Ignatius a. 1556. moreretur, ejus societas jam in sequentes terras introducta erat: in Italiam, Portugalliam, Hispaniam, Belgium et Germanniam, extra Europam vero in Brasiliam, Indiam orientalem et Abyssiniam, atque in iis centum circiter sedes, et ultra mille socios numerabat. Post Ignatium societas Jesu non tantum in iisdem terris continua incrementa cepit, sed etiam reliquis Catholicis in Europa, pluribusque in Asia et America illata est; imo ex ipsis Anglis Catholicis complures ei adscripti clam in patria ad fideles instituendos firmandosque commorabantur, haud pauci tamen eorum detecti et sub praetextu conjurationum enecati sunt. — Serius et aegrius Jesuitae in Galliam admissi sunt. Licet enim jam Henricus II. a. 1550. facultatem eis dedisset, Parisiis collegium erigendi, supremus tamen senatus, episcopus Parisiensis, et Sorbonna obstitere, quo minus facultas regia effectui daretur. Ii varias quidem reprobationis suae causas praetenderunt, re vera autem principiis Jesuitarum de illimitata pontificis potestate, et privilegiorum, iisdem concessorum magnitudine ad eos arcendos permoti fuisse videntur. Attamen post decem annos, postulante Francisco II. rege, ejusque matre Catharina Medicaea, regnum administrante et Jesuitis favente, a praelatis Gallicanis, Pisciaci a. 1561. congregatis suscepti sunt, ea tamen restrictione, ut plerisque privilegiorum suorum pro Gallia renuntiarent, neque nomen societatis Jesu, quod arrogantius videbatur, sed collegii Clara-

montani, quod Parisiis erigebant, gererent. Alia collegia in aliis Galliae urbibus a nonnullis praelatis, qui eis benevolebant, fundata sunt, atque a. 1563. in Parisiensi litteras docere coeperunt, facultate a rectore universitatis, hac tamen inscia et frustra reclamante, impetrata. Perduravit tum universitatis tum senatus Parisiensis pristina contra Jesuitas invidia, id quod post 30 annos potissimum manifestum factum est, cum a. 1594. juvenis quidam sceleratus et in desperationem actus Henricum IV. regem occidere tentasset. Tunc enim, quoniam sicarius in quaestione dixerat, se in scholis Jesuitarum, quas aliquando frequentaverat, audivisse, tyrannum occidere, opus meritorium esse; Jesuitae senatus consulto ex universa Gallia relegati, eorumque bona fisco adjudicata sunt. Verum post 10 circiter annos Henricus rex, intellecta opprobriorum Jesuitis factorum falsitate, intercessione pontificis, aliisque rationibus permotus, eos redire permissit, quo facto latius quam antea per Gallium propagati sunt, et post aliquot annos a rege etiam facultatem acceperunt, primo theologicas, postea etiam philosophicas litteras et artes liberales publice docendi. Universitas tamen in gremium suum eos non admisit, et generatim multos in Gallia adversarios semper habebant, multisque litibus impliciti sunt. Caeterum eorum per orbem Catholicum propagatio tanta fuit, ut hoc tempore 23 domus professionis, 372 collegia, 123 domicilia et residentias, quibus nominibus collegia minus plena denotabant, 41 domus probationis et ultra 13 sociorum millia haberent, quorum numerus usque ad finem hujus periodi fere duplicatus est. Tantae propagationis causae in liberaliori aevoque magis congrua societatis constitutione, in rerum magnarum efficiendarum dexteritate, in meritorum magnitudine, in privilegiorum, quibus instructa erat, commodo ac splendore, in potestate, quam in animos juventutis litterarum studiosae,

fere totius sibi commissae, habebat, denique in ejus auctoritate et fama sitae erant.

§. 806. Ejus auctoritas, virtutes, naevi.

Fama societatis Jesu rebus magnis ab ea gestis, inter quas morum emendatio, haeresum limitatio, et religionis Catholicae inter infideles propagatio eminebant, viris eruditis, quos in omni fere scientiarum genere versatissimos habebat, praestantibus operibus scriptis ab eis magno numero editis, denique hominibus, sanctitate etiam conspicuis nitebatur. Ejus auctoritas tanta erat, ut Jesuitae nonnunquam, velut sub rege Sebastiano in Lusitania, sub Maria Medicaea, Ludovici XIII. minorennis matre in Gallia, sub Rudolpho II. et Ferdinando II. in Austria, in ipso regimine politico multum valerent, et praeterea summi principes ac proceres conscientiae moderamen et liberorum educationem passim eis committerent, scholas publicas inferiores et superiores eis fere solis concrederent, atque etiam populus in eos potissimum fiduciam collocaret. Tantam auctoritatem et in animos hominum potestatem, scientiis, prudentiae, dexteritati in negotiis administrandis hominibusque tractandis, sapienti ad diversam diversorum indolem accommodationi, minori proprii commodi, quam salutis alienae studio, moribus denique non minus suavibus et politis, quam venerandis, quibus omnibus plerique instructi erant, Jesuitae debebant. Non tamen naevis carebant. In congregatione generali, sub Francisco Borgia, societatis vicario generali habita, inter alia decretum est, a sociis causas litiogosas coram judice nullas agendas, mercaturam non faciendam, neminemque admonendum esse, ut potius societati quam pauperibus legata testamento decernat. Generales Aquaviva et Vitellescius primis saeculi 17. annis in suis ad societatem epistolis fatentur, exprobrari Jesuitis superbiam, ambitionem, arrogantiam, qua ipsi soli omnia dirigere, omnia efficere studeant,

porro nimiam negotiorum saecularium, civilium, et politicorum curam, habendi amorem, proclivitatem in temerarium de actionibus et moribus aliorum judicium, utilitatis propriae et vitae commodioris studium, et quod magis prudentes ac politici, quam religiosi et vere spirituales sint. His vitiis accedebant doctrinae quaedam morales, quae aliis laxiores et periculosae videbantur, et a pluribus Jesuitarum moralistis et casuistis propugnabantur, velut: tyrannum occidere licere, in casibus vel rebus, ubi certitudo non habetur, sequi licere opinionem minus probabilem, spreta magis probabili, aequivocationes et reservationes mentales non esse illicitas, saltim in casibus necessitatis. Ipse Innocentius XI. a. 1679. 65 propositiones morales laxiores, majorem partem casuistis Jesuitarum attributas, edita bulla damnavit. Haec omnia effecerunt, ut Jesuitae acres passim adversarios nanciscerentur, et multis diversi generis scriptis impeterentur, inter quae nullum eorum famae magis nocuit, quam quod Blasius Paschal, Jansenista, Parisiis a. 1656. sub titulo: epistolae a Ludovico de Montealto ad quemdam provincialem, sermone Gallico edidit, in quibus laxas Jesuitarum doctrinas morales admodum ingeniose exagitavit, sed cum non ex ipsis fontibus hausisset, multa, quae nemo illorum unquam docuerat, eis attribuit. Verum hic aliique impetus ordinis firmitatem et potentiam hac saltem periodo labefactare non valuerunt.

Petr. Maffei de vita et moribus Ignatii Loyolae. Institutum societatis Jesu. Historiae societatis Jesu, ab Orlandino, Sacchino, Cordara, Pussinio, Juvencyo conscriptae. Histoire generale de la naissance et des progrés de la compagnie de Jesu. Kritische Jesuitergeschichte. Frankfurt und Mainz 1765.

§. 807. Congregatio patrum oratorii.

Jesuitae spiritualibus indigentiis non ita satisfacere valebant, ut post eos novae clericorum hunc in finem

consociationes omnino superfluae visae essent. Talem fundavit Philippus Nerius, Florentinus, qui Romae litteras philosophicas et theologicas didicit, et jam tum pietatis et salutis animarum sudio flagrabat. Postquam a. 1551. presbyter ordinatus fuisset, cum illis, qui conscientiam suam ei moderandam committebant, primum in cubiculo suo, dein, aucto eorum numero, in oratorio ecclesiae, apud quam habitabat, quotidie post meridiem colloquia de rebus divinis, inflammando firmandoque virtutis studio accommodata instituebat, iisque progressu temporis alia pietatis exercitia adjunxit. Salutaribus hujus instituti fructibus permotus a. 1575. postquam propria ecclesia sibi tradita fuisset, annuente pontifice illos, qui ex presbyteris sibi adhaerebant, apud eandem ecclesiam hunc in finem congregavit, ut ibidem praeter consuetum cultum divinum publicum exercitia spiritualia cum auditoribus instituerent. Jamque etiam horum exercitiorum formam variis praescriptis, postea a Paulo V. solemniter approbatis ordinavit, statuitque, ut singulis septimanae diebus, praemissa lectione ex libro quodam spirituali, quatuor colloquia de rebus divinis haberentur, et collatio cantico et oratione terminaretur, in colloquiis praecipue virtutis decus vitiique dedecus describeretur, et exemplo alicujus sancti semper proposito, animis auditorum eo altius imprimeretur. Caeterum sacerdotes vestitum clericorum saecularium gestare, suisque singuli sumtibus vivere, litteras theologicas colere, et praeposito obedire, non tamen vota monastica emittere jussi, sed potius libertate praediti erant, congregationem, quamprimum visum fuerit, deserendi. Hoc institutum etiam extra Romam ita placebat, ut in multas Italiae urbes introduceretur.[1]) In Gallia illud imitatus est Petrus Berullius, a. 1575. in Campania Gallica, patre senatore Parisiensi natus, adultus presbyter saecularis factus, postea ad dignitatem cardinalitiam evectus, quin propterea vilem humilemque vivendi rationem, quam sem-

per observaverat, mutaret. († 1629.) Is ad mores clericorum et laicorum emendandos, a. 1611. plures presbyteros in suburbio quodam Parisiensi congregavit, qui ex suo patrimonio vel peculio pauperem vitam viverent, beneficiis et muneribus ecclesiasticis abstinerent, officia tamen muneris pastoralis sedulo exercerent, et episcopis morem gererent. Hanc congregationem rex Ludovicus XIII. approbavit, et pontifex Paulus V. nomine oratorii Jesu confirmavit. Post mortem fundatoris a. 1631. a societate statutum est, summam regiminis potestatem penes ipsam societatem congregatam fore, non penes praepositum, qui sine consensu trium adjutorum ei additorum etiam in rebus temporalibus nihil decernere valeat; porro cuivis socio annuam pecuniae summam, attamen exiguam, ad communes sumtus contribuendam fore, nemini votum aliquod obtrudendum, sed cuivis libertatem, e congregatione excedendi relinquendam esse. Praeterea societas contra voluntatem fundatoris, qui socios nonnisi ad munus pastorale rite gerendum constitui voluit, scholas et litterarum studia inter suos introduxit, quo facto multos magni nominis eruditos habuit, quales aliis hujus historiae locis jam plures commemorati sunt. Praeter Parisiensem in pluribus aliis Galliae urbibus similes congregationes erectae sunt. [2])

[1]) Galloni vita B. Philippi Nerii.
[2]) Helyot. l. c.

§. 808. Patres piarum scholarum. Lazaristae.

Ad parvulos in litterarum rudimentis instituendos saeculo 17. fundatus est ordo patrum piarum scholarum. Ejus auctor erat Josephus Calasanctius, nobilis Arago, qui, postquam in patria decanus et vicarius generalis episcopi sui Urgellitani fuisset, a. 1591. depositis beneficiis et muneribus, Romam migravit, ibique aliquamdiu vitam privatam sed asceticam et pietatis ac caritatis operibus dedicatam agebat. Cum lue

a. 1596. per urbem grassante, pauperum tabernas frequentaret, morbo afflictis auxilium spirituale et corporale adferens, eaque occasione haud paucos parvulos, sibi solis relictos et informatione destitutos ad petulantias et vitia abripi animadverteret, eorum saluti subventurus, in domo hunc in finem a se emta scholam pro eis aperuit, eosque additis sibi quibusdam ludimagistris in elementis litterarum instruere, simulque ad pietatem informare coepit. Ejus exemplo permoti nonnulli alii clerici ad labores ejus juvandos Josepho se adsociarunt, ita ut a. 1600. approbante Clemente VIII. propria presbyterorum saecularium, pueros in litteris instituentium congregatio oriretur, cujus caput Josephus, nomine praefecti erat. Quoniam vero plerique sociorum propter laboris molestiam aut alias causas iterum ab eo discedebant; a. 1617. a Paulo V. impetravit, ut societas sua in congregationem regularem cum tribus votis monasticis, sed simpliciter emittendis mutaretur, quam post quatuor annos Gregorius XV. ad dignitatem ordinis religiosi cum votis solemnibus elevavit. Idem Gregorius regulas a Josepho pro ordine compositas approbavit; hic vero, qui sui instituti scholas pias dici voluit, quo indicaretur, juventutem in eis non tantum litteris, sed etiam pietate imbuendam esse, a sociis suis praepositus generalis electus est, quo facto ejus institutum non tantum per Italiam propagabatur, sed etiam terris quibusdam exteris, nominatim Austriacis inferebatur. Verum socii quidam perversi extraneis ordinis inimicis conjuncti, hunc post aliquot annos in summum discrimen adduxerunt; effecerunt enim, ut Josephus, jubente pontifice, calumniis decepto, a. 1643. munere praepositi generalis privaretur, post tres annos autem ordo ipse in simplicem congregationem presbyterorum saecularium, nullis votis obstrictorum, ad exemplum congregationis oratorii converteretur, facta professis potestate, alium pro libitu ordinem amplectendi. Sed viginti annos post

mortem Josephi, a. 1648. defuncti, Clemens IX. ejus institutum pristino statui reddidit, cujus socii, patres piarum scholarum, vulgo Piaristae dicti, progressu temporis etiam Latinas et hinc inde ipsas philosophicas litteras tradendas susceperunt. — Alii congregationi, conscientiis potissimum purgandis destinatae, originem dedit uxor comitis Joigny in Gallia. Haec scilicet horrendis criminibus, quae quis subditorum suorum, semper probus existimatus, tandem morbo afflictus confessus est, commota, Vincentium de Paulo, parochum et liberorum suorum instructorem ac confessarium suum, ad confessiones generales totius communitatis, ad quam ille pertinuerat, excipiendas permovit. Intellectis salutaribus hujus rei fructibus comes et ejus uxor ac frater, episcopus Parisiensis, a. 1624. Lutetiae domum pro suscipiendis, et dotem pro sustentandis sacerdotibus subministrarunt, qui identidem pagos per Galliam visitarent, verbum Dei praedicantes et confessiones excipientes. Sacerdotes ad hoc faciendum paratos Vincentius collegit eorumque directionem suscepit, vir qui innumerabilia caritatis opera spiritualia et corporalia peregit. Societatem eo duce exortam Urbanus VIII. nomine congregationis missionis a. 1632. approbavit. Ejus socii etiam Lazaristae dicti sunt, quoniam primaria eorum sedes apud ecclesiam S. Lazari Parisiis erat. Ii quidem nonnisi presbyteri saeculares erant, attamen exactis duobus probationis annis tria vota monastica simpliciter emittebant, et praeterea stabilitatem in electa vitae rationo vovebant, praeposito suo quidem subditi erant, sed functiones suas nonnisi concedentibus episcopis easque gratis exercebant. Hunc autem ordinem in eis observabant, ut quotannis per octo menses singulis in pagis aliquot septimanas populum juxta catechismum in doctrina Christiana instruerent, in sermonibus sacris vulgi intellectui accommodatis ad poenitentiam hortarentur, confessiones generales exciperent, et praeterea

lites componerent, inimicos reconciliarent, egenis et infirmis subsidium adferrent. Iidem etiam missiones ad evangelium inter infideles, nominatim in Sina praedicandum, ad Christianos e servitute piratarum Africanorum redimendos, vel eorum sortem sublevandam, nec non directionem paedagogiarum et seminariorum susceperunt. Ob labores adeo salutares non tantum per Galliam propagati, sed etiam in terras quasdam extraneas, velut in Sabaudiam, Pedemontium, Genuam, Hispaniam introducti sunt.

Helyot l. c.

§. 809. Reformationes monachorum. Capucini.

Similibus mediis, quibus clericorum habilitas et dignitas promovebatur, etiam mores monachorum, qui a regulis suis plurimum deflexerant, vitae licentiori indulgebant, ideoque magnum auctoritatis suae decrementum passi fuerant, emendati sunt. Concilium scilicet Tridentinum respectu eorum praeter alia decrevit, ut nemo monachorum et monialium bona mobilia aut immobilia habere permitteretur, sed omnes nonnisi a superioribus suis vitae necessaria acciperent. E contra idem concilium omnibus ordinibus, etiam mendicantium, exceptis Franciscanis et Capucinis, facultatem concessit, bona quoque immobilia acquirendi. Vetuit porro, ne quis monachus sine superioris licentia monasterium suum relinqueret, aut alicujus extranei ministeriis se addiceret. — Sed efficaciores et pleniores monachorum reformationes, sicut olim, ita et nunc, a viris regularis observantiae studiosis e gremio ipsorum monachorum effectae sunt, unde iterum novi ordines aut novae congregationes prodierunt. Ille quidem, qui fundatus est a Matthaeo de Bassi, ita dicto a loco natali in ducatu Urbino, fratre laico inter Franciscanos observantes in pago quodam ducatus Spoletani, rei admodum minutae originem suam debet.

Post-

Postquam nempe Matthaeus ex sacerdote monasterii sui audivisset, S. Francisci habitum caputio acuminato instructum fuisse, desiderio flagrans, fundatorem in hac quoque re imitandi, mox tale vestimentum sibi confecit. Intelligens autem, hanc novationem sine pontificis licentia sibi a suis non concessum iri, clam deserto monasterio a. 1525. Romam petiit, atque a Clemente VII. impetravit, ut sibi aliisque eum imitaturis caputium gestare et ubique verbum Dei praedicare liceret, ea tamen lege, ut in eremis viverent, et ad contestandam suam subjectionem quotannis provinciali in capitulo provinciae se sisterent. Reapse Matthaeo, in marca Anconitana sedem figenti imitatores et socii non defuere, quo facto, intercedente pro eis ducis Camerini uxore, pontificis nepte, breve apostolicum, quo eorum vestimentum approbabatur, adepti, ad arcendas Observantium persecutiones Conventualibus accesserunt, et a. 1528. a pontifice singulari bulla, sub nomine congregationis fratrum minorum conventualium de vita eremitica Capucinorum, approbati sunt. In eadem bulla pontifex Capucinis praeter caputium, facultatem, barbam promissam gestandi, austeram vitam vivendi, clericos et laicos in congregationem suam suscipiendi, et ubique mendicandi, denique omnia privilegia fratrum minorum et Camaldulensium concessit. Anno sequenti Capucini, numero interea plurimum aucti, in capitulo Matthaeum vicarium generalem, ministro generali Conventualium subjectum elegerunt, et statuta pro ordine suo condiderunt, inter quae erant: nonnisi unicum quotidie ferculum, ex carne et jusculo constans prandentibus apponendum, et solis diebus festis lactucam addendam, feria quarta a carnibus semper abstinendum, et neminem, qui sponte velit, ab abstinentia a carne et vino et a rigidiori jejunio detinendum esse, nullius rei copiam colligendam aut asservandam, in itinere semper pedibus incedendum, ab ecclesiis omne aurum, argentum et sericum arcendum,

certis diebus corpus flagellandum, aliis silentium observandum, nulla missarum stipendia accipienda, laicorum confessiones non excipiendas esse. Primo quidem tempore varia acciderunt, propagationi novi ordinis adversa. Nam Ludovicus de Fussembruno, Matthaei, qui jam post duos menses munus suum deposuit, successor, propter importunam severitatem et dominandi cupidinem a. 1536. ex ordine ejectus est; ex eodem ipse Matthaeus anno sequenti excessit, ubique potius concionaturus, quam superiori in monasterio obediturus; denique novus vicarius generalis, Bernardinus Occhinus, a vitae sanctitate, et sacra eloquentia clarus, Italia clam deserta ad Protestantes transiit, quo facto ordo in suspicionem haeresis incidit, et aliquot annis facultate praedicandi privatus est. Hac autem post probatam orthodoxiam a. 1545. ei restituta, jam lata brevi tempore per Italiam incrementa cepit. Anno 1573. invitante Carolo IX. rege Capucini in Galliam venerunt, saeculo autem 17. per omnes terras Catholicas propagati sunt, ita, ut sub finem hujus periodi 1500 monasteria et 25 circiter monachorum millia in pluribus quam 50 provinciis haberent. Haec lata propagatio partim humili et rigidae eorum vitae plurimis probatae, partim facilitati, qua sustentabantur, partim fervori, quo animarum salutem curabant, et ad ipsos infideles extra Europam evangelium praedicaturi abibant, adscribenda est. Caeterum vitam eremiticam progressu temporis deseruerunt et a Paulo V. a. 1619. facultatem, proprium et independentem ministrum generalem sibi eligendi acceperunt.

Helyot. l. c. Bover annales Capucinorum.

§. 810. Fratres misericordiae. Augustiniani et Carmelitae discalceati.

Novum ordinem monasticum, curandis infirmis destinatum fundavit Joannes, a. 1495. in Portugallia natus, homo laicus, qui post 45 aetatis suae annos,

terras oberrando transactos, a. 1540. Granatae in Hispania, ad peccata sua expianda et vitam aeternam promerendam, infirmos in domum a se conductam suscipere et curare coepit, et non tantum corporalibus, sed etiam spiritualibus eorum indigentiis subveniebat, in quo misericordiae opere a bonis hominibus, stipem ei largientibus aut pecuniam locantibus, imprimis vero ab urbis archiepiscopo, et ab episcopo Tuitiensi, camerae regiae praefecto adjuvabatur, qui posterior eum, quod Deum misericordem imitetur, Joannem de Deo appellavit, et propriam vestitus formam praescripsit, qua ipse et omnes uterentur, qui ei ad idem misericordiae opus se essent adsociaturi. Id reapse plures fecerunt, qui vero post mortem demum Joannis, a. 1550. defuncti, societatem regularem cum tribus votis monasticis et obligatione, infirmos ex eleemosynis collectis gratis curandi efformarunt, a Pio V. a. 1572. inter ordines religiosos relatam. Propter suam utilitatem hic ordo per omnes terras Catholicas propagatus est. Ejus membra ab opere suo fratres misericordiae dici consueverunt, plerique laici erant, et paucos tantum presbyteros ad sacra domestica peragenda, et ad indigentias spirituales aegrotorum curandas inter se habebant. — Reformationi inter Augustinianos eremitas ansam dederunt octo hujus ordinis missionarii in Hispania, qui a. 1533. in Mexicum profecturi nudipedium et vestem e lana grossiori confectam adoptarunt. Eorum exemplum mox plures secuti alias severitates addiderunt. Quas cum caeteri repudiarent, facta separatione, nova Augustinianorum congregatio, per Hispaniam primum propagata, exorta est, a Sixto V. a. 1585. tanquam proprius ordo approbata, cujus membra Augustiniani discalceati nominari consueverunt. Hi exeunte saeculo 16. Italiae, et postea aliis quoque terris Catholicis illati sunt. — Similem reformationem, in majori abstinentia, rigidiori jejunio, viliori vestitu, flagellatione, frequentioribus precibus consistentem,

inter Carmelitas in Hispania effecit Theresia, a. 1515. Abulae in Castella nobili genere nata, et 20. aetatis anno ordinem monialium Carmelitarum ingressa. Haec molliorem et a regula longe alienam sororum suarum vitam exosa, cum omnes non posset, aliquot saltim melioris indolis permovit, ut in propriam domum, quam emerat, et in finem suum converterat, secum secederent, ibique juxta regulae rigorem ex solis eleemosynis viverent. Quam restaurationem, a caeteris plurimum impetitam cum Pius IV. a. 1562. approbasset, plura alia ejusdem ordinis monialium monasteria amplexa sunt. Eandem inter monachos quoque ordinis sui Theresia introducere conabatur, atque reapse, opera potissimum Joannis a sancta cruce, primum circa annum 1560. complures ad eam admittendam permovit, quorum exemplum successive tot alii secuti sunt, ut plura ab eis monasteria in Hispania implerentur. Iidem, qui a nudipedio, quod inter austeritates suas habebant, discalceati dicti sunt, postea etiam per Galliam, Italiam aliasque terras Catholicas, ita sunt propagati, ut versus finem hujus periodi, ultra tria eorum millia numerarentur. Quoniam caeteri, qui reformationem respuebant, reformatis acriter adversabantur, nec simultates inter eos repetitis pontificum monitis et decretis extingui poterant; Clemens VIII. a. 1600., data rigidioribus facultate, proprium praepositum generalem sibi eligendi, ordinem in duas congregationes separavit.

Helyot. l. c.

§. 811. Maurini, Trappistae.

Etiam ordo S. Benedicti nonnullas reformationes subiit, e quibus praestantissima illa fuit, quam aliquot cordati ordinis hujus monachi in Gallia a. 1618. nomine congregationis S. Mauri effecerunt, a pontificibus Gregorio XV. et Urbano VIII. approbatam. Ea non solum ad accuratiorem regulae S. Benedicti observa-

tionem, et excolendam propriam perfectionem evangelicam, sed etiam ad salutem aliorum promovendam comparata erat. Hinc alii ex Maurinis in ecclesiis suis verbum divinum diligenter praedicabant, confessiones excipiebant, aliasque functiones sacerdotales obibant, alii in paedagogiis, suis in monasteriis erectis, juvenes, praecipue nobiles erudiebant et educabant, alii in suis scholis inferioribus parvulos in litterarum rudimentis, in superioribus autem monachos tyrones in litteris philosophicis et theologicis, in jure canonico, in linguis biblicis instruebant. Universim Maurini litteras sedulo colebant, unde multos viros eruditos celeberrimos, de historia ecclesiastica, patristica, diplomatica optime meritos inter se habebant. Haec Maurinorum studia Benedictinis in Gallia adeo probabantur, ut pleraque eorum monasteria reformatae illi congregationi accederent. [1]) — Soli rigori pristinae vitae monasticae restituendo dedicata, et hominibus, gravia delicta expiaturis ac conscientiam vulneratam sanaturis accommodata erat reformatio, quam Joannes Bouthillier de Rancé, monasterio Cistertiensium in Gallia, la Trappe dicto invexit. Is, postquam usque ad annum aetatis 38. licentiori vitae indulsisset, repentino aspectu foede mutati cadaveris amasiae suae, improvisa morte abreptae, adeo commotus est, ut monasterium illud, suis in fundis situm ingrederetur, atque jam a. 1664. ejus abbas factus monachos suos ad instituta rigidissima admittenda permovit. Inter haec erat separatio ab omni caeterorum hominum consortio, perpetuum silentium, victus vilissimus, in solis oleribus et fructibus consistens, preces diu noctuque per undecim horas in choro recitandae, durus manuum labor, cubile super paleam vestito corpore occupandum, perpetua poenitentiae ac mortis memoria, ad quam continuo refricandam, quotidie vespere sepulcris fodiendis occupabantur. Hae austeritates paucos aliis in locis imita-

tores invenerunt, qui congregationem Trappistarum constituerunt. [2])

[1]) Helyot. l. c. Gallia Christiana. T. VII. Le Cerf biblioth. historiq. et critiq. des auteurs de la congregation de S. Maure.

[2]) Marsollier vie de l'abbé de la Trappe. Helyot. l. c.

§. 812. Moniales.

Respectu monialium, quae non minus ac monachi passim a regula deflexerant, et vitae licentiori indulgebant, concilium Tridentinum decrevit, eas ab episcopis ope magistratuum ad clausuram observandam adigendas, eis semel saltim singulis mensibus peccata confitenda et eucharistiam percipiendam, virginem, nonnisi exacto 16. aetatis anno, atque explorata ab episcopo libera ejus voluntate ad vota facienda admittendam esse. Caeterum, sicut inter viros, ita etiam inter faeminas plures novae congregationes, seu ordines religiosi exorti sunt, caritatis operibus exercendis utplurimum dedicati. Solus ordo monialium de annuntiatione B. M. V., quae a colore caeruleo vestis scapularis, quam talari albae impositam habebant, coelestes vocabantur, a. 1605. Genuae exortus, et postea per Italiam, Galliam et Germanniam, sed non admodum magna frequentia propagatus, vitae rationem, propriae tantum perfectioni dedicatam et valde austeram adoptavit. Ex caeteris monialium ordinibus, hac periodo fundatis erant sorores angelicae, etiam Guastallinae dictae, quia fundatrix earum comitissa Guastallae erat. Haec institutum Barnabitarum imitata, faeminas sibi adhaerentes primo moribus sexus sui emendandis, deinde puellis erudiendis et educandis destinavit, atque a. 1534. congregationis suae approbationem a pontifice obtinuit; sorores misericordes, quae ad exemplum fratrum misericordium ad infirmos sui praecipue sexus curandos in congregationes, ab invicem independentes et per multas terras Catholicas

propagatas coaluerunt; Ursulinae, ita dictae, quia earum fundatrix, S. Angela, a. 1506. in agro Brixiensi nata, eas sub patrocinium S. Ursulae constituit. Angela primum a. 1537. plures pias virgines Brixiae, ubi plerumque morabatur, ad conjunctionem, confraternitatibus spiritualibus similem ineundam permovit, cujus finis esset, opera misericordiae corporalia et spiritualia exercere, et speciatim puellis ac virginibus institutione aliisque auxiliis subvenire. Eas tamen non ad communem vitam congregavit, sed simplici castitatis voto adstrictas in aedibus privatis habitare permisit, ut earum lux magis inter homines luceret. Hanc societatem post mortem fundatricis, anno jam 1540. defunctae, pius quidam sacerdos, qui illi a confessionibus fuerat, et nobiles quaedam matronae dirigendam, adjuvandam, et protegendam susceperunt, et a Paulo III. impetrarunt, ut eam a. 1544. singulari bulla confirmaret, facta simul superioribus potestate, pro rerum adjunctis constitutionem diversimode mutandi. Hac potestate primum Ursulinae Parisienses usae a. 1612. in societatem monasticam cum tribus votis solemnibus coierunt. Hae Ursulinae coenobiticae, quae propter vitae rationem a se adoptatam ad instituendas puellas potissimum restrictae erant, per omnes fere terras Catholicas adeo propagabantur, ut exeunte hac periodo ultra 300 monasteria haberent. At vero et caeterae, quae in aedibus privatis, partim singulae, partim congregatae et solo castitatis voto ligatae vivebant, pariter in diversis urbibus perdurarunt.

Helyot. l. c.

§. 813. Continuatio.

Similem ac S. Angelae mutationem institutum subiit, cujus auctor erat Franciscus, a. 1567. in arce Sales in Sabaudia natus, episcopus Genevensis, sed Anecii residens, vir piissimus et conversis multis Calvinianorum millibus, moribusque cleri sui emendatis

optime de ecclesia meritus. Is primum Anecii a. 1610. societatem fundavit, in quam faeminae confugere possent, quae ob corporis debilitatem, vel paupertatem, vel quod viduae essent, in alios ordines non suscipiebantur. Rigorem corporalem eis nullum praescripsit; hinc neque tribus votis monasticis, sed tantum castitati et obedientiae, simpliciter vovendae eas adstrinxit, et id solum eis injunxit, ut praefinitum vitae uniformis et a rebus externis abstractae ordinem accurate servantes, caritati, humilitati, et propriae voluntatis abnegationi studerent, infirmosque visitarent ac curarent. Primam hujus societatis directionem suscepit Joanna Francisca Fremiot, vidua baronis de Chantal, cujus conscientiam Franciscus moderabatur, quaeque non minori quam episcopus amore erga Deum et proximum flagrabat. Etiamsi vero mox in aliis quoque urbibus similes societates, quarum salubritas illucescebat, fundarentur; tamen Franciscus post aliquot annos, monente cardinali et archiepiscopo Lugdunensi, ipsoque summo pontifice, congregationem suam in ordinem monasticum cum tribus votis solemnibus, sub regula S. Augustini, additis quibusdam pecularibus praescriptis et monitis transformavit, quem jam Paulus V. a. 1618. approbavit sub nomine ordinis de visitatione B. M. V. Cum propter istam mutationem moniales, quae vulgo Salesianae vocabantur, infirmos visitare non possent, puellas hinc inde educandas suscepere. Novus hic ordo, quem faeminae nobiles ingredi solebant, progressu temporis per Italiam, Germanniam, et Poloniam propagatus est, ea quidem frequentia, ut ultra sex monialium millia in 160 circiter monasteriis initio saeculi 18. ad eum pertinerent.

Marsollier la vie de S. François de Sales.

§. 814. Caelibatus clericorum.

Ferdinandus I. imperator a concilio Tridentino, et postea a summo pontifice quidem petiit, ut suis in terris

terris et in Germannia universa, matrimonium clericorum restitueretur, ratus, eo defectionem multorum ad Protestantes impediri posse. Verum pontifex illud minime concedendum esse duxit. Caeterum emendatis clericorum moribus id quoque effectum est, ut continentiam multo magis quam antea servarent. Sic igitur Christus, excitato in animis multorum cultorum suorum spiritus divini fervore, ecclesiam suam, etsi non ab omnibus, a multis tamen maculis purgavit, promissamque ei assistentiam nunquam defuturam denuo comprobavit.

HISTORIA
ECCLESIAE
CHRISTIANAE,

A NATIVITATE SALVATORIS,

USQUE

AD OBITUM PII VII. PONTIFICIS MAXIMI.

AUCTORE

ANTONIO KLEIN,

S. THEOLOGIAE DOCTORE, HISTORIAE ECCLESIASTICAE IN GRAECENSI SCIENTIARUM UNIVERSITATE PROFESSORE P. O.

Tomi II.

PARS POSTERIOR.

GRAECII.

SUMTIBUS CHRISTOPHORI PENZ.

MDCCCXXVIII.

HISTORIA
ECCLESIAE
CHRISTIANAE,

A NATIVITATE SALVATORIS,

USQUE

AD OBITUM PII VII. PONTIFICIS MAXIMI.

AUCTORE

ANTONIO KLEIN,

S. S. THEOLOGIAE DOCTORE, HISTORIAE ECCLESIASTICAE IN GRAECENSI SCIENTIARUM UNIVERSITATE PROFESSOR P. O.

Tomi I.

PARS POSTERIOR.

GRAECII.

SUMTIBUS CHRISTOPHORI PENZ.

MDCCCXXVIII.

Index

plerorumque nominum propriorum personalium, et nonnullarum rerum*) in hac historia memoratarum.

A.

*) Caeteras res in indice paragraphorum lector facile inveniet.

B.

C.

E.

H.

I.

J.

K.

L.

N.

Q.

R.

S.

T.

V.

Periodus octava.

Ab initio saeculi 18. usque ad mortem Pii VII. summi pontificis. 1701—1823.

Caput primum.

De incremento et decremento ecclesiae.

§. 815. Status eccclesiae Sinensis. Lites de ritibus Sinensibus.

Ecclesia Sinensis, quae praecedenti periodo laete floruerat, praesenti plurimum afflicta et diminuta est. Ad hanc mutationem producendam lites de ritibus Sinensibus non parum contulerunt, quae saeculo 18. vehementius agitatae sunt. Clemens papa XI. a. 1702., cum s. officium sententiam de ritibus illis nondum tulisset, Carolum Thomam Turnonium dignitate patriarchae Antiocheni, commissarii et visitatoris apostolici in India et Sina, et potestate legati a latere instructum in Asiam misit, ut eo celerius firma pax et concordia ibidem restitueretur. Priusquam Turnonius a. 1705. in Sinam venisset, Romae s. officium sententiam jam tulerat, a pontifice confirmatam, ex qua Sinensibus Christianis ritus in honorem majorum defunctorum peragi solitos spectare concedebatur, si antea eos a se improbari contestati forent. Hoc decretum Turnonius a. 1707. Nankingi promulgavit, addito alio, quo pontificis nomine illius observatio omnibus Christianis Sinensibus sub poena excommunicationis prae-

cipiebatur. At Jesuitae non tantum a decreto Turnonii ad pontificem provocarunt, sed etiam de eo apud imperatorem conquesti sunt, qui jam omnibus clericis Christianis sub gravi poena interdixit, ne ritibus aut legibus Sinensibus adversarentur. Qui id nihilominus faciebant, male habebantur, et ex imperio relegabantur. Ipse legatus apostolicus Sina illico excedere jussus, et dein Macai captivus detentus est, ubi ab ipso hujus urbis episcopo, in cujus domo custodiebatur, male tractatus, post 4 annos aerumnis confectus diem supremum obiit. His Romam perlatis, pontifex a. 1710. denuo decrevit, ut lex de ritibus Sinensibus lata, una cum Turnonii decreto ab omnibus stricte observaretur, et nulla exceptio aut appellatio locum haberet. Cumque Jesuitae, in aula Sinensi degentes, Carolum Castorani, episcopi Pekingensis vicarium generalem ex ordine S. Francisci, novum istud decretum pontificium eis exhibentem repudiassent; Clemens XI. in bulla: »ex illa die,« a. 1715. edita, observationem decretorum superiorum omnibus clericis in Sina sub gravissimis poenis inculcavit, omnibusque missionariis in Asiam profecturis jusjurandum de iisdem inviolabiliter observandis praescripsit. Quam bullam, cum Castoranus in tribus ecclesiis Pekingensibus praelegisset, in vincula conjectus et 17 menses diversis calamitatibus affectus est. Simul ulterior bullae publicatio prohibita, omnibusque Christianis, qui decreta pontificia de ritibus Sinensibus observabant, gravissimae poenae inflictae. Nunc pontifex a. 1720. Carolum Ambrosium Mezzabarbam, patriarcham Alexandrinum, legatum ad imperatorem Sinensem misit, qui ab eo peteret, ut Christianis Sinensibus decreta pontificia, ritus concernentia, speciatim ultimam bullam observare, sibi vero supremam missionariorum inspectionem et directionem gerere liceret. Utrumque imperator denegavit, quin imo de bulla, postquam translatam legisset, admodum irritatus fuit. Mezzabarba a Sinensibus male habitus, et

postquam in Europam reversurus a. 1721. Macaum venisset, a Jesuitis, qui ex ejus sermonibus intelligebant, eum facultate, circa ritus Sinenses aliqua concedendi, instructum esse, ad ejusmodi concessiones faciendas adactus est, quibus fere omnes ritus permittebantur. Simul tamen Mezzabarba protestatus est, concessionibus suis bullam Clementis XI. minime infringendam, eas nemini, nisi missionariis communicandas, ideoque nec in Sinensem, nec in Tataricam linguam transferendas esse. Clementis XI. a. 1721. mortui successor Innocentius XIII. postquam ex Mezzabarba, Romam reverso omnia, quae ei in Sina, auctoribus potissimum Jesuitis acciderant, didicisset, a. 1723. praeposito generali societatis Jesu praecepit, ut omnes socios, decretis pontificiis circa ritus Sinenses obedientiam porro denegaturos, in Europam ad poenas meritas luendas revocaret, et neminem ex ordine interea in Asiam mitteret, additis minis, si intra tres abhinc annos testimonia praestitae a Jesuitis obedientiae exhibita non forent, tyronum susceptionem suspendendam esse.

Fattinelli relatio de morte cardinalis Tournon. — Viani historia delle cose operate nella China da Mezzabarba. — Georg Pray historia controversiae de ritibus Sinicis. — Acta causae rituum Sinensium. — Norbert memoires historiques sur les missions des PP. Jesuites aux Indes orientales.

§. 816. Persecutiones Christianorum in Sina.

Interea imperator Cang-hi a. 1722. mortuus fuerat. Sub ejus filio et successore Yong-tsching gubernator provinciae Fokiensis, erudito quodam Sinensi apostata missionarios et Christianos variorum accusante, vetuit, ne quis in ista provincia religionem Christianam in posterum amplecteretur, Christianis ecclesias ademit, missionarios relegavit, precesque ad imperatorem detulit, ut similia per totum imperium decernerentur.

Imperator, qui alioquin Christianis parum favebat, juxta arbitrium supremi tribunalis caeremoniarum Christianos per universam Sinam ecclesiis et missionariis, qui omnes vel Pekingum vel Cantonem abducebantur, privavit, quo factum est, ut, cum sine pastoribus essent, haud pauci eorum a fide deficerent. Posterioribus tamen imperii sui annis Yong-tsching Christianis mitiorem se exhibuit. Neque ejus filius et successor Kien-long, qui ab anno 1735.—1799. imperavit, animo ab eis admodum alieno erat, ita ut evangelium iterum in Sina propagaretur. Verum nova bulla pontificia, in hanc terram perlata, a. 1746. gravissimae Christianorum persecutionis causa extitit. Scilicet cum Jesuitae contra voluntatem Mezzabarbae, ejusdem concessiones ubique divulgassent, et episcopus Pekingensis, pariter Jesuita, a. 1733. omnes clericos suos sub poena depositionis, Mezzabarbae concessionibus uti jussisset, ejus vicarius generalis Castoranus non tantum cum multis aliis ei se opposuit, sed etiam a. 1734. Romam profectus effecit, ut Clemens papa XII. jussum episcopi Pekingensis irritum pronuntiaret, hujusque rei examen inquisitioni demandaret, Benedictus autem XIV., animo alioquin a Jesuitis alienus, a. 1742. bullam: »ex quo singulari,« emitteret, qua concessiones Mezzabarbae ceu extortas et nunquam a sede apostolica probatas sub gravissimis poenis prohibuit, atque ut praelati et clerici immorigeri illico in Europam ad poenas accipiendas mitterentur, praecepit, denique omnibus missionariis in Sina jusjurandum de hac bulla inviolabiliter observanda praescripsit. Sed, qui id in Sina faciebant, vehementer affligebantur. In provincia Fokiensi quinque Dominicani, quorum unus episcopus erat, occisi, a. 1748. tres Jesuitae eandem sortem experti sunt. Alii Christiani verberibus affecti, aut tormentis subjecti, aut bonis spoliati. Ecclesiae in pluribus provinciis destructae, pastores ad fugam compulsi. Anno 1750. persecutio vehementius exarsit.

Ultra 70 missionarii nunc in carceres conjecti; alii Christiani quamplurimi bonis et ipsa vita privati. Tandem legatus, a. 1753. a rege Lusitaniae ad imperatorem et mandarinos cum muneribus missus, Christianis pacem impetravit, postquam eorum numerus partim enecatione, partim defectione a pluribus centenis millibus ad septuaginta circiter millia depressus fuisset.

§. 817. Continuatio.

Pax, quam rex Lusitaniae Christianis Sinensibus intercessione sua impetravit, posteriori tempore saepius interrumpebatur. Sic a. 1770. nova contra eos persecutio exarsit. Hanc vehementia superavit illa, quae a. 1784. excitata est, in qua multi Christiani crudeliter torti, et post tormenta relegati, aut servituti mancipati, multi missionarii, quorum complures ad furorem persecutorum a caeteris Christianis avertendum ultro judici se sistebant, in carceres conjecti sunt, in quibus major eorum pars periit. Superstites a. 1787. libertati redditi sunt, simulque optio eis data, vel Pekingi curae animarum vacandi, vel in Europam abeundi. Anno 1805. nova persecutio exarsit, cui ansam dedit mappa geographica provinciae Cantonensis, ab Adeodato missionario cum aliis cartis, quae liti cuidam de terminis jurisdictionis ecclesiasticae decidendae inservirent, ad Europaeos quosdam, Cantone morantes easque Romam perlaturos transmissa, a Sinensibus autem intercepta, qui jam sibi persuadebant, mappam ad adjuvandam invasionem, ab Europaeis tentandam confectam esse, eamque ob causam Christianos, tanquam consilii participes, vehementer persequebantur. Caeterum haec persecutio magis in nobiles, quam in plebejos cecidit. Nonnulli illorum, vehementia cruciatuum ad Christum deserendum quidem abrepti sunt, plerique tamen in fide immobiles manserunt. Hi muneribus, dignitatibus, et facultatibus privati, multi eorum cum pluribus missionariis rele-

gati sunt. Libri Christiani combusti, ecclesiarum inscriptiones deletae, simulque edictum emissum, quo magistratibus sub poena muneris et dignitatis amittendae, caeteris sub poena exilii, ad sacra Christiana transire prohibebatur. — Persecutionem prioribus vehementiorem et diuturniorem a. 1814. gubernator provinciae Setschuen excitavit, quae mox in alias quoque provincias propagata est, multisque Christianis, tam Sinensibus, quam missionariis vitam abstulit, inter quos notatu dignissimus est Gabriel Dufresse, episcopus Tabracanus, et vicarius apostolicus, in metropoli provinciae illius publice capite plexus. In eadem metropoli ultra 400 Christiani crudeliter torti, sed plerique tormentorum vim, fortitudine, antiquis martyribus digna exantlati sunt. Anno 1818. persecutio, priori anno intermissa, vi decreti, ab imperatore ipso editi, aucto fervore recruduit, ita ut Christiani magno numero torquerentur, et qui a Christo non deficiebant, relegarentur, missionarii autem, qui in imperio deprehendebantur, laqueo enecarentur. Neque ad hodiernum usque diem plena tranquillitas Christianis Sinensibus rediit.

§. 818. Aliae causae decrementi ecclesiae in Sina.

An singulae persecutiones Christianorum in Sina specialibus causis excitatae fuerint, non constat; probabiliter ad plures saltim earum excitandas causae generales sufficiebant, cujusmodi erant: odium in alienam religionem, indignatio de ejus incrementis, sollicitudo de his incrementis, animo imperatoris incussa, quibus accedebat omissio rituum Sinensium respectu defunctorum majorum, quam Christiani recentioribus temporibus jam concorditer observabant, Ethnici vero gravi vitio eis vertebant. — Tristia fata, quae haud raro in Christianos Sinenses cadebant, non impediverunt, quo minus numerus eorum augeretur. Ita v. g.

versus finem hujus periodi in vicariatu Setschuensi, qui tres provincias complectitur, 60,000 Christianorum numerabantur, ubi ante 50 annos tantum 6000 fuerant. Haec incrementa indefessis laboribus missionariorum, ardenti studio, Dei gloriam et salutem animarum promovendi agitatorum adscribenda sunt. Inter eos prae caeteris laudari meretur Franciscus Potierus, episcopus Agathopolitanus, vicarius apostolicus Setschuensis, qui usque ad annum 1792. eximio cum fervore in vinea Domini laboravit. Praeter adultos, quos ad Christum convertunt, missionarii etiam infantes expositos, quorum in Sina semper magnus numerus esse solet, suscipiunt et baptismo initiant, atque ex iis, qui adoleverint, muneris sui adjutores sibi excolunt. Sed et cum caeteris subsidia, quae sibi nonnunquam ex Europa mittuntur, licet ipsi parcum victum manuum labore sibi comparent, liberaliter communicant, atque etiam infidelibus inopia pressis subveniunt, et sic eorum animos beneficiis corporalibus ad beneficium spirituale religionis Christianae amplectendum disponunt. Eis ita agentibus numerus Christianorum Sinensium longe amplior foret, nisi iis, quae recentiori tempore in Europa acciderunt, gravissima missionibus subsidia vel ademta vel admodum imminuta fuissent. Inter ea pertinent sublatio societatis Jesu, abolitio seminarii Parisiensis pro missionibus exteris, durante revolutione Gallicana sublati, quod, etsi imperante Napoleone restitutum fuisset, propter defectum subsidiorum missionibus parum subvenire poterat; porro occupatio territorii pontificii per Gallos, qua factum est, ut ipsa propaganda Romana aliquo tempore nihil agere posset, et sedes apostolica universim omnem sollicitudinem ad ecclesias potius Europaeas propriamque causam converteret. Hinc numerus missionariorum mortibus naturalibus et violentis continuo diminutus recentissimo tempore ad decem decreverat. Pace in Europa restituta, et firmiori ordine introducto, melior

quidem spes missionibus affulgere coepit. Ludovicus XVIII. Galliae rex a. 1816. congregationem Lazaristarum repristinavit, et amplis redditibus instruxit, quo facto plures tum sacerdotes, tum alumni ei adscribi voluerunt. Haec congregatio sicut et propaganda Romana jam plures novos operarios in vineam Domini Sinensem misit. Eorum tamen numerus pro tanto imperio, ubi singuli coetus adeo ab invicem distant, longo adhuc tempore non sufficiet. Propter haec impedimenta numerus Christianorum Sinensium, ad universam incolarum multitudinem, quae 150 milliones superat, relatus, perexiguus est, siquidem vix 200,000 comprehendit, quae per totum fere imperium, maxime per provincias australes ita dispersa sunt, ut pauciores singulorum coetuum ex pluribus quam 300, plerique ex 60 aut 80 membris consistant, numerosissimi autem Pekingi et Nankingi sint. In Macao insula, quam Lusitani sub supremo Sinensium dominio possident, circiter 4000 Christianorum Lusitanicorum reperiuntur. [1]) — Quod attinet caeteras terras, ad imperium Sinense pertinentes, vel ab eo dependentes, Clemens papa XI. a. 1712. 12 Capucinos ex marca Anconitana in regnum Tibetanum ad evangelium praedicandum ablegavit. Hi accepta ab utroque regni capite, religioso et politico, licentia, munere suo apostolico eo successu fungebantur, ut in metropoli Lasta et in aliis locis plurimi, imo ex ipsis sacerdotibus seu lamis haud pauci baptismum admitterent, qui successus inde etiam repetendus esse videtur, quia religio Tibetana originetenus Christiana fuit, saeculorum lapsu multis fabulis haereticis, speciatim Manichaeis et ritibus Ethnicis corrupta. Anno 1744. iterum 12 Capucini tanquam missionarii in Tibetum abierunt, et opus ab antecessoribus coeptum successu non minus prospero continuarunt, ita ut in hoc regno, in quo 18 circiter hominum milliones habitare dicuntur, sine dubio haud pauci religionem Catholicam profiteantur. Peninsulae

Coreae, quam trium fere millionum homines incolunt, ultimis saeculi elapsi annis religio Catholica illata est, atque, etiamsi, qui eam amplexi sunt, saevissimis persecutionibus jam subjecti fuerint, plura tamen eorum millia hucusque perdurarunt. [2])

[1]) Lettres edifiantes et curieuses, ecrites des missions etrangeres par quelques missionaires de la compagnie de Jesu. 1699. Fortgesetzt seit 1715, unter dem Titel: Nouveaux memoires des missions de la compagnie de Jesu dans le Levant. Nouvelles des missions Orientales. 1789. Mosheim Erzählung der neuesten chinesischen Kirchengeschichte vor dem 2. Theil von Du Halde's ausführlicher Beschreibung des chinesischen Reichs. Bahr allerneueste chinesische Merkwürdigkeiten. Fraas Fortsetzung von Schlegels Kirchengeschichte.

[2]) Relazione del principio e stato presente della missione del vasto regno de Tibet. In Roma 1742. Giorgi Alphabetum Tibetanum. Auszug davon in Gatterers allgemeiner historischer Bibliothek. 5. 6. 7. Band.

§. 819. Ecclesiae in India anteriori decrementum.

Quae saeculo 17. laete floruerat, et continua fere incrementa ceperat, ecclesia Christiana in Madaura, Mysura, Carnatica, et Tanschauro, saeculo 18. plurimum decrevit. In posteriori regno ejus interitus procuratus est spectaculo, quod a. 1701. Pondicherii pro more a Jesuitis introducto publice ante eorum ecclesiam propositum est. Cum enim in eo quidam ex conversis indigenis, personam S. Georgii, daemonem debellantis agens, idola supremorum, quae ab Indis coluntur, numinum confregisset, pedibusque calcasset; non tantum Braminorum et caeterorum Ethnicorum odium contra Christianos admodum auctum est, sed etiam rex vicinus Tanschaurensis praecepit, ut omnes sibi subditi Christiani, si ad religionem patriam reverti recusarent, verberibus affecti in carceres conjicerentur, ut ibidem perirent. Porro ecclesiae Chri-

stianae omnes destructae, et omne religionis exercitium interdictum. Effectus omnium erat, ut exceptis paucis, qui ad Europaeos fugerunt, reliqui omnes ad cultum Deorum deficerent, neque amplius religio Christiana in hac terra restitui posset. In aliis Indiae provinciis ecclesiae Christianae decrementum litibus potissimum effectum est, quas nunc praecipue Capucini, Pondicherii operantes, Jesuitis de conversionis methodo et de ritibus Malabaricis moverunt, et ad ipsum pontificem detulerunt. Accusarunt eosdem praeterea, quod in baptismo usum salivae et salis, et insufflationem omitterent, quod baptizandis nomina deorum, aut Indorum, poenitentiae operibus clarorum, darent, quod nuptias inter parvulos 6 aut 7 annorum, imaginem dei nuptiis praefecti, multasque caeremonias superstitiosas, ad nuptias pertinentes, apud Christianos tolerarent, quod faeminas infirmitate menstrua laborantes ad confessionem sacramentalem non admitterent, quod Christianos in templis Ethnicorum musicam facere paterentur. Hos mores, sicut plerosque ritus Malabaricos legatus Turnonius, cui Clemens XI. etiam ecclesiae Indicae compositionem demandarat, a. 1704. Pondicherio discedens, edito decreto scripto interdixit. At Jesuitae, ex ejus observatione decrementum ecclesiae Indicae praevidentes, illud non publicarunt, ritus et mores commemoratos suis porro concesserunt, atque episcopus Meliapurensis e societate Jesu litteras pastorales edidit, in quibus Turnonii decreto vim obligandi abnegavit, et Capucinos quoque ad illas publicandas adegit. At hi paulatim omnem cum Jesuitis communionem sustulerunt, aliosque clericos insignes sibi consentientes nacti sunt, inter quos praecipuus erat Claudius de Visdelou, episcopus Claudiopolitanus in partibus, et in India vicarius apostolicus, Pondicherii residens. Sed Jesuitas ad obedientiam Turnonio et pontifici, qui ejus decretum approbaverat, praestandam perducere non valuerunt. Post-

ım autem Clemens XII. a. 1734. res quasdam mino-
concessisset, Jesuitae illud acceptarunt, ipsumque
jurandum emiserunt, quo pontifex jam omnes mis-
ıarios ad accuratam decreti mitigati observationem
ıtringebat, quo facto Capucini post 25 annorum se-
'ationem in communionem cum Jesuitis redierunt.
ıilominus illis postea quoque tum de decreto non
urate observato, tum de juribus et bonis sibi ere-
s variae contra Jesuitas querelae fuerunt, ad quas
mam perferendas a. 1740. Norbertum Platel, supe-
rem suum et parochum Pondicherianum ablegarunt.
st 4 annos Benedictus XIV. in bulla: »omnium sol-
tudinum,« ritus et mores Malabaricos denuo seve-
sime interdixit, jusjurandum, a Clemente XII. prae-
iptum confirmavit, et omnes missionarios in Ma-
ıra, Mysura et Carnatica ad obedientiam adigendos
c statuit. Hanc Jesuitae non amplius quidem dene-
re ausi sunt; at ecclesiae in commemoratis regnis
inde magis magisque decreverunt.

Norbert memoires etc.

§. 820. Continuatio.

Sexagesimis saeculi 18. annis ecclesia Christiana
missione Carnaticensi, cujus sedes principalis Pon-
:herium est, revolutionibus, in illis regionibus ex-
tis, et calamitatibus bellicis, cum eis conjunctis,
ıgnum decrementum passa est, ita ut, cum sublata
cietate Jesu missio a. 1777. congregationi Parisiensi
o missionibus exteris traderetur, nonnisi 20,000 Chri-
anorum in ea numerarentur. Ab hoc tempore usque
annum 1793. res Christiana ibidem nova quidem
crementa cepit. Sed ab illo anno, partim bello, in-
Gallos et Anglos gesto, qui Pondicherium cum
a ditione expugnarunt, partim sublatis in Gallia in-
tutis pro missionibus factum est, ut numerus tum
ssionariorum, tum Christianorum continuo decresce-
t. Pace restituta religio Christiana in illis regioni-

bus iterum cum successu propagari coepit. — In littore Malabarico viciuisque Indiae partibus conversiones infidelium ad Christum per missionarios Catholicos, quamquam non admodum magno numero effectae, nunquam cessarunt. At vero Tipuzahebus, qui inde ab anno 1787. regno Mysurano dominabatur, tum quod universim violentus tyrannus esset, tum quod fanatico religionis Muhamedanae zelo agitaretur, Christianos in suis ditionibus acriter persecutus est, multaque eorum millia vario mortis genere sustulit. Non minus saeviit contra Christicolas in alienis provinciis, quas bello, a. 1790. cum Anglis sibi exorto invasit, ubi multas ecclesias, seminaria et domos missionariorum destruxit. Postquam autem a. 1799. in defendenda metropoli sua vitam amisisset, et terrae ab eo possessae inter victores destributae fuissent, Christianis illarum regionum pax rediit, ecclesiae destructae pleraeque restauratae, et conversiones per missionarios renovatae sunt. — In regno australi Travancorensi res Christiana fere semper prospera sorte fruebatur. Ejus regem Ramavarmerum Paulinus missionarius religioni Catholicae adeo conciliavit, ut hujus asseclas variis beneficiis ornaret, et epistolas aliquas cum Clemente XIV. et Pio VI. pontificibus communicaret. Hinc ecclesia Christi in ejus regno continuo majora incrementa cepit.

Paulinus a S. Bartholomaeo India orientalis Christiana. Nouvelles lettres edifiantes des missions des Chines et des Indes Orientales. 1818.

§. 821. Religio Christiana in India anteriori per Acatholicos propagata.

Non tantum Catholici, sed etiam Acatholici evangelium in India anteriori propagarunt, idque primo Lutherani, auctore Friderico IV. Daniae rege, qui, ut Ethnici in urbe Tranquebaria et ditione adjacente, sibi subjecta, ad Christum converterentur cupiens curavit,

nt duo praedicatores, natione Germanni, a. 1706. in Indiam abirent, et a. 1714. proprium collegium ad conversionis causas dirigendas instituit. Illi, quibus post aliquot annos identidem novi accedebant, prioribus quidem annis admodum exiguum laborum successum habebant, siquidem singulis annis non multos ultra 30 convertere poterant. At inde ab anno 1720. numerus conversorum continuo augebatur, ita ut in ditione Danica tres coetus ecclesiastici orirentur, qui versus medium saeculi 18. jam plura millia Christianorum complectebantur. Missionarii Danici etiam extra ditionem regis sui in regno Tanschaurano, in Batavica urbe Negapatam, et in civitatibus, Anglorum dominio subjectis, Madras, Cudelur, Calcutta, et Tirutschinapalli Indis evangelium praedicarunt, et in iisdem urbibus, opitulante societate, a. 1698. auctore Guilielmo III. Angliae rege ad promovendum cognitionem Christianam in Anglia fundata, scholas et seminaria pro excolendis missionariis condiderunt, per quos dein evangelium in India ulterius propagatum est. Media, quibus missionarii Danici in finem suum utebantur, praeter oralem adultorum exhortationem et institutionem haec erant, quod scholas ad informandos parvulos Indorum erigerent, quod infantes coemerent, et in religione Christiana educarent, quod s. scripturam in linguas vernaculas translatam inter Ethnicos distribuerent, quod ex ipsis indigenis conversis aptiores instruerent et ad propagandum evangelium destinarent, a quibus, catechetis Malabaricis dictis, postea jam solis conversionis opus exercebatur, Europaeis illud fere nonnisi dirigentibus. Eorum labores eadem illa societas Anglicana, quae ad finem suum in India promovendum missionariis Tranquebariensibus potissimum utebatur, distributis inter eos pecuniis, libris, machinis typographicis, aliisque subsidiis plurimum promovit. Recentiori tempore missionarii ex ipsis Anglis Christianismum inter Indos propagare conabantur. Etenim Angli ab an-

no circiter 1792. evangelium inter Ethnicos universim propagandum magno cum studio susceperunt, quem in finem multae inter eos societates coaluerunt, e quibus quatuor in Indiam operantur, et missionarios illuc mittunt. Hi ab initio potissimum saeculi 19., postquam Angli, everso regno Mysurano summa rerum in India potiti essent, evangelium interioribus quoque hujus terrae partibus inferre, praecipue vero in latis ditionibus, genti suae immediate subjectis Christo cultores comparare non sine successu nitebantur. Missionariis Europaeis accedebant nonnulli, qui ex indigenis ad sacra Christiana transierunt, velut Adool-Messehus, antea Muhamedanus, et Annada-Rayerus, antea Braminus, qui infidelibus Christum magno cum zelo praedicabant. Ex Anglis vero hac in re notatu dignissimus est Middleton, ab anno 1814. Calcuttensis Anglicanorum episcopus, qui omnia fere loca, in quibus Angli missiones habent, visitavit, pecunia, consilio, intercessione missionarios adjuvit, plures Ethnicos nobiles ad Christum convertit, multas scholas erexit, effecitque, ut etiam in India societates ad promovendum Christianismum tanquam filiales earum, quae in Anglia sunt, coalescerent. Non tantum autem viva missionariorum voce Angli evangelium inter infideles universim propagare conantur, sed etiam et vel maxime distributis inter eos bibliis, in linguas Asiaticas translatis, quae societates biblicae, inde ab anno 1804. in Anglia, et postea in aliis quoque terris, primitus ad propagandam inter populum Christianum religionis cognitionem erectae, ingenti numero et diversissimis in linguis imprimi, et vel exiguo pretio, vel gratis ubique locorum, tum inter Christianos, maxime Protestantes, tum inter infideles distribui curant. Nec desunt relationes, in terris Asiaticis, speciatim in India anteriori biblia a plurimis infidelium avide expeti, diligenter legi, et legentium complures ad Christum converti. — Quod jam attinet

numerum Christianorum in India anteriori, is ad universam incolarum multitudinem relatus, adhuc exiguus est. Dum enim numerus omnium incolarum plus quam centum milliones efficit, Christiani omnium confessionum vix 1.500,000 constituunt. Interim plura sunt, quae spem uberiorum fructuum pro futuro tempore excitant. Inter haec pertinent: suprema Anglorum in India potestas, qui evangelii propagandi studiosi, et ibidem erga alias confessiones tolerantes sunt, multiplicia tam ipsorum quam Catholicorum ad propagandum evangelium instituta, mansuetus incolarum animus, species cujusdam similitudinis inter primaria religionis Christianae et Bramanicae dogmata. Ab altera parte severa Indorum in certas classes separatio, et ingens Braminorum apud eos auctoritas impedimentum objicere videtur, haud facile superandum.

Walch kurze Geschichte der evangelischen Missionsanstalten zur Bekehrung der Heiden in Ostindien, in dessen neuester Religionsgeschichte. 3. Th. Niecap Historie der evangelischen Mission in Ostindien. Fortgesetzt bis 1767. von Mich. Meier. Knapp neuere Geschichte der evangelischen Missionsanstalten zur Bekehrung der Heiden in Ostindien. Halle 1807. 71 St. 1823. Magazin für die neueste Geschichte der protestantischen Missions - und Bibelgesellschaften. Basel 1816.

§. 822. Status Christianismi in India posteriori.

In regno Tunkingensi saeculo 18. novae eaeque graves persecutiones, speciatim annis 1721. et 1736. contra Christianos excitatae sunt, quibus eorum numerus haud parum minutus est, qui vero posteriori tempore, stabili pace eis concessa, continuo fere crevit. — In Cochinchina religio Christiana vice versa priori elapsi saeculi tempore continuos progressus fecit, praesertim inde ab anno 1739., quo Jesuitae, mathesis et artis medicae periti, archiatrae regii constituebantur. Verum a. 1748. rex ejusque ministri malam suspicionem contra

fidelitatem Christianorum admiserunt, et persecutionem contra eos excitarunt, in qua missionarii relegati, et ecclesiae destructae sunt. Haec persecutio etiam sequenti tempore continuata est, et anno adhuc 1773. admodum cruenta erat. Sed anno sequenti rex mitioribus erga Christianos consiliis adoptatis, servituti aut captivitati mancipatos libertati restituit, liberumque religionis exercitium eis concessit, quo facto 30 Jesuitae in hoc regnum venerunt, et evangelium prospero cum successu propagarunt. Caeterum reges Cochinchinenses, labente altero saeculi 18. dimidio terras Lao, Cambodscha, Lactho, et Bintuam sibi subjecerunt, et tandem etiam regno Tunkingensi potiti sunt, atque imperatoris titulo assumto, nexuque vasallitico cum Sinensibus disrupto, imperium sic dictum Anamense, a caeteris omnibus independens, et a 23,000,000 incultum condiderunt. Gialongus, primus imperator, qui ab a. 1800 — 1820. regnavit, religionem Catholicam semper protexit, et missionariis benevolum se exhibuit. Ejus filius et successor Minmangius patris vestigiis inhaeret, quamobrem status Christianismi in hoc imperio satis prosper est. Numerus Christianorum ultra 400,000 assurgit, quorum tres quartae partes ad regnum Tunkingense seu Anamum septentrionale pertinent, in quo missio in duos vicariatus distributa est, quorum alterum Dominicani Hispanici, alterum presbyteri Gallici administrant. Ibidem etiam seminarium, ad clericos ex indigenis excolendos existit. [1]) — In regno Siamensi ecclesia Christi haud exiguum decrementum passa est per Birmannos, qui illud sexagesimis elapsi saeculi annis saepius invaserunt, dire vastarunt, et magnam ejus partem sibi subjecerunt, atque inter alia etiam seminarium et collegium, quod missionarii Gallici ad clerum ex indigenis formandum erexerant, funditus everterunt. Pace terrae reddita ecclesia Christiana ibidem paulatim respirare coepit; rex, qui post revolutionem, a. 1780. effectam, thronum conscendit, ei favebat, episcopum

episcopum

scopum in metropolim vocavit, et missionariis facultatem dedit, evangelium ubique praedicandi. Nihilominus progressus, quos religio Christiana in hoc regno fecit, exigui erant, atque ex universa incolarum multitudine, 1,000,000 circiter comprehendenti, vix 3000 Christum profitentur, quorum major pars ex posteris Lusitanorum, et ex Cochinchinensibus, propter bella in patria illuc profugis, consistit, id, quod ex parte subtractis recentiori tempore Europaeis missionum subsidiis adscribendum est, quo factum, ut missio Siamensis, exeunte saeculo 18. nonnisi tres Europaeos et aliquot ex indigenis sacerdotes haberet. — In peninsula Malacca, in qua 500,000 circiter habitant, quorum plerique Muhamedanismum profitentur, Christiani non penitus desunt, siquidem in suburbiis Malaccae metropolis multi Lusitanorum posteri consident, atque recentissimo tempore Angli, n. t. in linguam Sinensem translato, inter Sinenses in Malacca habitantes distributo, evangelium propagare conati sunt. — In regno Birmannico, quod circa medium saeculi 18. fundatum est, cum Birmanni seu Avani, antea a Peguensibus subjugati, duce Alompra jugum excuterent, et regnum Peguense, Cassajense, partemque Siamensis sibi subjicerent, ita ut rex jam centies centenis hominum millibus dominetur, duodecim circiter Catholicorum millia deprehenduntur, qui cuncti in provincia Avana, ubi metropolis ejusdem nominis tercentos habet, existunt; nam Christiani, qui in quatuor urbibus provinciae Peguensis inveniuntur, plerique peregrini sunt, mercaturae causa aliquo tempore ibi morantes. [2]).

[1]) Vollständiges Handbuch der neuesten Erdbeschreibung von Gaspari, Hassel, Cannabich, Gutsmuths und Ukert. Weimar 1819.

[2]) Lettres edifiantes etc. Nouvelles des missions Orientales. Auszüge aus Originalbriefen von den apostolischen Vicarien und Missionarien in China, Tunkin, Cochinchina etc. Wien 1811.

§. 823. Religio Christiana in insulis Asiaticis.

Quod insulas attinet, Sinam et Indiam circumjacentes, in Japonia regiminis cura perdurat, summaque cum severitate exercetur, omnia excludendi et amovendi, quaecuncque vel minimum religionis Christianae vestigium produnt. Ex magnis insulis, ad austrum posterioris Indiae sitis, unica Java Batavis subjecta majorem Christianorum diversae confessionis numerum continet, siquidem inter 4,000,000 incolarum, maximam partem Muhamedanorum, circiter 200,000 Christianorum inveniuntur, e quibus ultra dimidium Bataviam metropolim incolunt, caeteri in communitatibus ad littora potissimum sitis existunt. In reliquis insulis, Borneo, Sumatra, Celebi, nemo religionem Christianam profitetur, quam pauci Europaei, Anglicae potissimum et Batavicae gentis, qui ibidem mercaturae causa morantur. — Major Christianorum numerus est in insulis Moluccensibus, Batavis nunc subjectis, in quibus circiter 1,000,000 habitant, speciatim in insula Timor, ubi multi sunt, a Lusitanis descendentes, qui olim insulas illas possidebant; porro in insulis Philippinis, quas 3,000,000 incolunt, e quibus non tantum Hispani, qui illis dominantur, sed etiam plurimi aboriginum religionem Catholicam profitentur. Incolae insulae Madinganao, numero circiter 1,000,000, ex parte religioni Catholicae addicti sunt, praesertim illi, qui in parte Hispanis subjecta habitant. Inter insulas Marianas, seu Latronicas Agana, ab Hispanis occupata, ecclesias quasdam Catholicas habet. Denique in insula Ceylon, quae nunc tota Anglis subjecta est, et a 1,000,000 incolitur, religionem Christianam profitentur primo sic dicti Portugalli Indici, descendentes a Portugallis, qui hic sedes fixerant et cum indigenis commixti fuerant; dein Angli et Batavi, qui potissimum in urbibus Trinconomale et Colombo sedes fixe-

runt; denique tertia fere pars aboriginum, qui Singalenses vocantur, et partim Catholicam, partim Calvinianam fidem amplexi sunt. Posteriorem debent conatibus Batavorum, qui, postquam saeculo 17. in India, Ceylone, Java, aliisque terris pedem fixissent, tandem saeculo 18. etiam de Ethnicis ditionum suarum incolis doctrina Christiana imbuendis cogitarunt, eumque in finem biblia, catechismum Heidelbergensem, aliosque libros religiosos, in linguis Asiaticis typo impressos, inter illos divulgarunt, et Columbae ac Bataviae scholas pro parvulis, et seminaria ad fidei praecones ex ipsis indigenis excolendos erexerunt. Ex Singalensibus Calvinianis recentiori tempore haud pauci iterum ad idola defecerunt, ad quam defectionem cohibendam, et evangelium latius propagandum, ab Anglicanis missionum societatibus, a Methodistis quoque et Baptistis, inde ab anno 1814. plures praedicatores huc missi sunt.

Vollständiges Handbuch der neuesten Erdbeschreibung. Stäudlin kirchliche Geographie und Statistik.

§. 824. In Asia Russica.

Populorum Ethnicorum, qui Asiam Russicam incolunt, magna pars labente saeculo 18. ad religionem Christianam perducta est. Mox eo ineunte Philotheus, archiepiscopus Tobolscensis, fidei praecones inter Tataros, Mungalos, Wogulos, et Ostiacos misit. Anno 1712. ipse cum pluribus sacerdotibus, ad illos populos, praesertim Ostiacos profectus est, sed primo anno fere nullos, eo largiores autem sequentibus annis laborum suorum fructus retulit, pluribus Ostiacorum millibus ad Christum conversis, in quo tamen opere non ab omnibus violentiis abstinuit. Philothei successor Theodorus conversiones ab illo coeptas non tantum continuavit, sed etiam ad alias gentes, Buraetas, Tungusos, Morduinos, Tschuwassos, Tscheremissos et Wotjacos extendit. Aucto fervore religio Christiana

inter populos Sibiricos propagata est imperante Elisabetha, quae eos ad Christum perductos vehementer desiderabat, pluraque ad hunc finem promovendum instituit. Tunc Petropoli collegium de propaganda fide erectum; clerus, ut de conversionis negotio deliberaret, congregatus, qui catechismum pro missionariis confici curavit; denique scholae erectae, in quibus ad vincenda obstacula, ex peregrinis populorum illorum linguis prodeuntia, pueri ex iisdem populis assumti, in doctrina Christiana instituebantur, eandem quondam popularibus suis praedicaturi. Catharina II. imperatrix a. 1767. a propaganda Romana aliquot clericos Catholicos, in seminario ejusdem propagandae excultos postulavit, qui evangelium inter Tataros Muhamedanismo addictos eique tenaciter inhaerentes propagarent, quibus impetratis Astrachani missio Catholica erecta est, quae ab anno 1784., remotis quibusdam obstaculis prospero successu gaudebat. Recentiori tamen tempore conversionis studium inter Russos deferbuisse videtur. Hinc magna adhuc infidelium multitudo tam Muhamedanorum, quam Ethnicorum in Asia Russica superest, atque illorum quoque, qui ex posterioribus baptismum admiserunt, haud pauci, multam superstitionem Ethnicam retinuisse videntur. Caeterum status ecclesiae Christianae in Asia Russica hodie fere sequens est: In Caucasia seu in terris, inter mare Caspicum et nigrum sitis, in quibus circiter, 1,600,000 habitant, 600,000 Christianorum numerantur, quorum plerique schismatici, permulti Armeni sunt. Gens Ossetarum in Grusia, Imiretta, et Circassia religioni Christianae multam superstitionem Ethnicam admiscuit. Ex Awchasiis seu antiquis Abasgis, qui sub imperatore Justiniano ad Christum conversi, sub dominio autem Turcarum ab eo abducti fuerant, nobiles nunc Muhamedanismum profitentur, plebeji vero certam religionem non habent, sed diversi diversos de rebus divinis conceptus fovent. In regno Astrachanensi,

cujus incolae 2,500,000 efficere existimantur, fere 500,000 Deum ex praescripto Muhamedis colunt. Caeterorum plerique Christiani schismatici sunt, ad quos non tantum Russi et Cosaci, sed etiam Woguli, Morduini, Tscheremissi et Tschuwassi pertinent. Eodem fere modo res se habet in regno Casanensi, quod 5,700,000 continet. Etenim et hic 500,000 circiter Islamum profitentur, et caeterorum plerique Christum colunt, Russi scilicet et maxima pars Tscheremissorum, Tschuwassorum, Wotjäkarum, Morduinorum, et Calmucarum. Quod denique Sibiriam attinet, in quo 1,700,000 habitare putantur, in gubernio Tobolscensi plerique, in Tomscensi multi, in Irkutzcensi pauci incolarum ecclesiae Russorum schismaticae adscripti sunt. Omnes Christiani circiter 700,000 efficere videntur. Inter gentes, quae ibi praeter Russos et Cosacos Christum profitentur, pertinent: Woguli, Cobali, plerique Ostiaci ad fluvium Oby habitantes, Camtschadali, et exigua pars Jacutarum. Caeterae, exceptis 80,000 Muhamedanorum, idola colunt. Universim ex 11,800,000, qui Asiam Russicam incolere scribuntur, 8,400,000 Christianismum, 1 800,000 Muhamedanismum, 1,600,000 Ethnicismum profiteri videntur.

J. Bernhard Müller Leben und Gewohnheiten der Ostiaken. J. Georg Gmelin Reise durch Sibirien. Pallas Sammlung historischer Nachrichten über die Mongolischen Völkerschaften. Borhek Erdbeschreibung von Asien.

§. 825. Pagani in Europa.

Sed et Europaea Russia Muhamedanos et Paganos habet. Illi quidem praeter aliquot millia, in Asiae confiniis habitantia, numerosissimi sunt in Bessarabia et Tauria, plerique Tatari; omnes 770,000 circiter efficiunt. Qui in Russia Europaea idola adhuc colunt, numerum 50,000 circiter constituunt. Inter eos pertinent magnae catervae Calmucarum in terra Cosacorum a Tanai fluvio compellatorum, plerique Morduini ad

Wolgam in gubernio Nishegorodensi, nonnulli Tschuwassi, pars Samojedarum in gubernio Archangelscensi, et Lappones in extremo septentrione. Sed Lappones, olim Danis et Suecis, nunc posterioribus solis subjecti, hac periodo fere omnes ad Christum perducti sunt. Equidem quod Danicos attinet, rex Fridericus IV. eorum convertendorum curam a. 1714. collegio pro missionibus a se instituto demandavit, quo facto Thomas de Westen, praedicator quidam Norwegicus non tantum ipse saepius evangelizandi causa ad eos profectus est, sed etiam alios missionarios et ludimagistros inter eos constituit, scholas et ecclesias ac oratoria aedificavit, et Dronthemii in Norwegia seminarium missionariorum et ludimagistrorum pro Lapponibus erexit, qui opus ab eo coeptum continuarunt. Eodem fere tempore Sueci, qui jam initio hujus periodi in convertendis Lapponibus sibi subjectis laborare coeperant, efficaciora media ad conversionem eorum perficiendam adhibuere. Quamquam enim missionarios quoque ad eos mitterent; rex tamen Fridericus I. a. 1723. statuit, ut qui ex Lapponibus testimonium pastoris de frequentato cultu divino publico, et de percepta eucharistia singulis annis magistratui civili exhibere non potuerit, in vincula conjiceretur et ad labores publicos condemnaretur.

Acta histor. eccles. X. Band. Högström Beschreibung des Schwedischen Lapplands. Schlegel Kirchengeschichte des 18. Jahrhundertes.

§. 826. Status ecclesiae Christianae in Turcia, Persia, et Arabia.

In Turcia Europaea Christiani Muhamedanos numero longe superant. Nam ex centies et quinquies centenis incolarum millibus, circiter septagies et bis centena millia Christum colunt, inter quos schismatici longe maximam partem efficiunt. Muhamedani frequentissimi sunt in Rumilia, ubi ad minimum duae partes cunctorum incolarum ad eos pertinent. In Bulgaria,

Bosnia, Albania et Macedonia satis numerosi sunt; pauci vero in Moldavia, Wallachia, Serbia, Jania, Livadia, Morea et in insulis Archipelagi reperiuntur. In Turcia Asiatica contrarium obtinet. Nam ex duodecim incolarum millionibus, septem ad minimum Muhamedem prophetam venerantur. His accedunt tercenta millia Judaeorum et ducenta millia Ethnicorum. Reliqui sunt Christiani diversarum confessionum, Catholici, seu cum ecclesia Romana uniti, inter quos speciatim Maronitae pertinent, schismatici, Armeni, Jacobitae, Nestoriani. Christiani in omnibus Turciae Asiaticae provinciis reperiuntur, atque in nonnullis, velut in Armenia Turcis subjecta et in insulis Archipelagi maximam populi partem efficiunt. Inter eos schismatici et Armeni sunt numerosissimi. Status Christianorum inter Turcas generatim durus est, illique similis, quo prioribus temporibus Judaei inter Christianos utebantur. Concessum quidem eis est liberum religionis exercitium, neque Turcae rebus eorum ecclesiasticis se ingerunt. Sed illud exercitium non usquequaque publicum est; ecclesias suas externe crucibus ornare aut turribus campanisque instruere certe vetantur, exceptis insulis, in quibus perpauci Turcae morantur, et ubi etiam sicut in Wallachia et Moldavia magistratus ex suo populo electos habent, atque universim majori libertate politica et ecclesiastica fruuntur. Ecclesias novas Christianis extruere non licet, atque facultatem, vetustate consumtas reparandi, nonnisi multo aere, praefectis solvendo sibi comparare possunt. Universim gravibus tributis seu potius praefectorum exactionibus premuntur, a Turcis in contemtu habentur, vestitu his proprio, aut nominibus propriis, iisdem usitatis, uti prohibentur, ac singulorum insolentiae et vexationibus sunt obnoxii. His ex causis magnum in eos odium conceperunt, quod non parum confert ad eorum in avita religione perseverantiam firmandam, et defectionem ad Muhamedanismum impediendam, cujus rei nonnisi sin-

gula exempla innotuerunt, a talibus data, qui vel rerum angustiis vel indomitis libidinibus abripiebantur, praesertim cum Turcae ex superba infidelium contemtione et quadam animi indolentia proselytis faciendis studere non soleant. Multo minus Muhamedanorum quisquam ad sacra Christiana transit, id quod etiam severis legibus prohibitum est, tum contra transituros, tum contra conversuros statutis. Hinc missionarii Catholici, qui in diversis, praesertim Palaestinae locis morantur, et plerique Galli, Hispani et Itali ex ordine S. Francisci sunt, non Turcas, sed vel schismaticos vel haereticos ad ecclesiam Romanam perducunt.[1]) — Inter tria regna, in quae antiquum imperium Persicum nunc divisum est, solum occidentale, quod Iran vocatur, et 12,000,000 hominum continet, Christianos habet, numero fere 2,000,000 quorum plerique Armeni sunt, cum orientalis Armeniae pars ad hoc regnum pertineat. — In Arabia, quae pariter a 12.000,000 incoli creditur, diversi quidem, sed non multi Christiani deprehenduntur. Equidem in tractu inter duo brachia sinus Arabici Graeci schismatici degunt, qui ibidem etiam duo monasteria habent, alterum in monte Sinai, alterum in pago Thor, ab eis Raythu dictum. Armeni et Abyssinii commercii causa in pluribus urbibus, praesertim Adenae morantur. Posteriorum complures etiam aliis in locis qua servi vivunt. Nestoriani et Jacobitae in insula Socothora habitant. Angli, Americani ex civitatibus confoederatis, et Galli in nonnullis locis, mercaturae opportunis morantur.[2])

[1]) Hasselquist Reise nach Palästina in den Jahren 1749. 50. Volney voyage en Syrie. Thorton das türkische Reich in allen seinen Beziehungen. Aus dem Englischen. Elsner Fortsetzung der Beschreibung der griechischen Christen in der Türkey. Lüdeke glaubwürdige Nachrichten von dem türkischen Reiche.

[2]) Chardin voyage en Perse. Vollständiges Handbuch der neuesten Erdbeschreibung. Stäudlin lib. cit.

§. 827. Status Christianismi in Africa.

Statum hodiernum Christianismi in Africa perlustraturi, a terris, mari mediterraneo adjacentibus initium facimus. Inter eas ex Arabia Africam ingredientibus primo occurrit Aegyptus. In ea hodie 4,000,000 hominum habitare creduntur, e quibus circiter 1,500,000 Christiani sunt, plerique Monophysitae, qui hic Copti vocantur, per totam terram dispersi, in superiori autem ejus parte frequentissimi. Eorum status similis est illi, quo Graeci in Turcia Europaea et Asiatica utuntur. In civitatibus Tripolitana et Tunetana nonnisi singuli Christiani reperiuntur, qui vel tanquam mercatores, vel tanquam servi ibidem degunt. Frequentiores sunt Christiani in civitate Algeriana tam servi, quam liberi, ad quos posteriores pertinent nonnullae familiae Graecae in metropoli, propria ecclesia et sacerdote instructae, mercatores, artifices, opifices, et consules commerciales Europaei, e quibus Catholici plerique in domibus suis sacella et nonnunquam sacerdotes habent. Praeterea liberi Christiani, iique indigenae existunt Orani, ubi ecclesia Catholica cum monasterio est, Masalquiviri, quod cum priori a. 1790. ab Hispanis civitati Algerianae traditum est, Calli, ubi nonnisi Christiani, plerique Galli habitant, et Colli, cujus, sicut et prioris incolae fere omnes ministeriis Gallicae commercii societatis dedicati sunt. Simili modo res Christiana se habet in imperio Maroccano, ubi pariter servi et liberi Christiani, iique mercatores, artifices, opifices, et consules commerciales reperiuntur. Pro servis Christianis Mekini et Marochchii monasterium est, quod a Franciscanis tenetur. Ceuta, quam Hispani in hac terra possident, plerumque a Christianis incolitur, episcopum habentibus. — In insulis Azoricis, Canariis, Madera, Portu sancto, et promontorii viridis, incolae omnes religioni Catholicae addicti sunt. In Senegambia, ubi indigenae partim Muhamedani, partim idololatrae

sunt, altero saeculi 18. dimidio Galli religionem Christianam propagare conabantur. Anno 1763. Demanetus, capellanus aulicus Ludovici XV. in ditionibus Sin et Barra plura centena Paganorum et nonnullos Muhamedanos ad baptismum admittendum permovit. Idem vestigia deprehendit, religionem Christianam in territorio Barrano jam olim adfuisse. Praeterea Galli incolas Goreae insulae, quam sibi subjecerunt, numero circiter 3000, ad religionem Catholicam perduxerunt, eandemque in insulam Senegaliam, sibi pariter subjectam et a 7000 habitatam introduxerunt. Similiter nonnulli ex Dscholofis Muhamedanis fidem Catholicam amplexi sunt. Eadem dominatur in ditionibus Lusitanicis, videlicet in urbe Katschao, colonia Lusitanica ad ostia fluvii S. Dominici, in insula Bissao, et in mansionibus Lusitanorum a fluvio S. Dominici usque ad Nunesium amnem sitis.

Demanet nouvelle histoire de l'Afrique Française.

§. 828. Continuatio.

Christianismus Anglicanus deprehenditur in possessionibus Anglorum, quales sunt varia domicilia, commercii causa in littore Portandicensi erecta, insulae Bulam et S. Jacobi. Iidem suam fidei Christianae confessionem inter indigenas propagare conantur, quem in finem duae missionum societates, nempe Edimburgensis, a. 1796. fundata, et societas ecclesiae altae, a. 1801. exorta, missionarios inter gentes, ad Gambiam et Senegal habitantes mittere solent. Posterior, nec non illa, quae inter Methodistas Arminianos ad propagandum evangelium coaluit, etiam in Guinea et speciatim in littore montis Leonini missiones erexit. Ibidem Licestriae paedagogium erectum est, in quo parvuli Nigrorum, qui in navibus, propter emta et vendenda mancipia captis reperiuntur, secundum methodum Lancasterianam erudiuntur, et in religione Christiana instituuntur, quam aptiores ex eis quondam gen-

tilitiis suis praedicaturi sperantur. Interim Guinea vix alios Christianos habet, quam Europaeos, videlicet Gallos, Danos, Batavos, et maxime Anglos, qui in diversis illius terrae littoribus, praecipue in littore auri et montis Leonini diversa castella, domicilia commercialia, ac nonnulla etiam oppida a se extructa tenent. Insulae autem Guineenses, quarum maxima, a 15,000 hominum inculta ad Hispanos, tres reliquae ad Portugallos pertinent, nonnisi Catholicam religionem noverunt. Eadem propagata est per regna, quae ad Guineam inferiorem referuntur, nimirum Loangum, Congum, Angolam et Benguelam. Rex Congi ipse religionem Christianam profitetur, cui etiam omnes ejus aulici, sat numerosi addicti sunt. Hi fidei Catholicae in illis regnis progressus Lusitanis debentur, qui littus Angolae possident et supremum in Congum ac Benguelam dominium exercent. Iidem multis in locis istorum regnorum missionarios Capucinos collocarunt, qui Paganorum conversionem continuant. Insulae S. Helenae et Ascensionis, quas Angli possident, a Christianis, plerumque Anglis incoluntur. Servi tamen eorum maximam partem Ethnici sunt.

Vollständiges Handbuch der neuesten Erdbeschreibung. Stäudlin lib. cit.

§. 829. Continuatio.

Quod attinet terram, ad promontorium bonae spei relatam, Batavi, qui eam usque ad finem saeculi 18. tenuerunt, non tantum nullam curam gesserunt, ut rudibus gentibus ibi habitantibus evangelium innotesceret, sed etiam nonnisi post crebram denegationem Herrenhuthanis, qui mox post originem suam Ethnicos in America et Africa, praesertim rudes et barbaros cognitione Christiana imbuere studebant, facultatem dederunt, id ipsum faciendi, qua tandem impetrata Herrenhuthani plures ex Hottentotis ad Christum converterunt, et conversos in oppido Bethelsdorf dicto college-

runt. Ex quo autem Angli terra illa potiti sunt, plures societates, missionum causa inter eos fundatae, Christianismum in ea propagandum susceperunt, et missionarios ad Hottentotos, hisque vicinos Namaquas et Cafferos ablegarunt. Id praecipue fecit societas Herrenhuthanorum seu fratrum Moravicorum, Londini ad promovendum evangelium fundata, sub cujus auspiciis ab Herrenhuthanis in terra promontorii bonae spei duae sedes stabiles pro missionibus erectae sunt, quarum altera Gnadenthal, altera Grünekloof vocatur; deinde magna missionum societas Londinensis, qua curante in pluribus ejusdem terrae locis missiones fundatae, et Namaquae ac Cafferi ad fidem Christo adhibendam invitati sunt. Sunt quidem plerique horum missionariorum nonnisi opifices pii et in religione Christiana secundum suos conceptus bene instituti, sed quoniam hi ipsi facilius victum sibi comparant, et suppeditatis scientiis ac operibus technicis etiam corporali convertendorum commodo inserviunt, hos eo facilius Christo conciliant. In urbe, a promontorio compellata, etiam seminarium pro adolescentibus Nigris ad missiones excolendis erectum est. — In littore Senano Lusitani nonnulla castella, atque in regno Monomotopa, ad idem littus relato, plures colonias habent, e quibus praecipua Sena est, a duobus circiter hominum millibus inculta. Iidem Lusitani in littore Mosambicensi urbem Montemgellum et insulam Mosambicem cum urbe ejusdem nominis, in qua episcopus sedem habet, possident. Insulae Mascarenae, scilicet Burbonica et Francica, quarum quaevis fere 100,000 hominum continet, et Sechellenses, in quibus nonnisi 7000 habitant, cum antea ad Gallos pertinuerint, nunc autem ad Anglos pertineant; Christianos Catholicae et Anglicanae confessionis complectuntur; servi tamen, quorum maximus in iidem est numerus, plerique superstitioni Ethnicae adhaerent. — In littore Zanguebarico nunc quidem nemo Europaeorum possessionem aut dominium

aliquod habet; cum vero Lusitani olim amplas urbes et territoria ibi possederint v. g. Melindam, Mombasam, sine dubio adhuc Christiani in eis existunt. Nec desunt relationes, altero saeculi 18. dimidio in eodem littore Zanguebarico, in Monomotapa, et in insula Madagascar, quae a 3,000,000 incolitur, fidem Catholicam a missionariis Lusitanicis prospero cum successu praedicatam fuisse. In Abyssinia, quae modo in tres civitates, ab invicem non dependentes divisa est, et circiter 4,000,000 continere creditur, horum major pars ex Monophysitis constat, qui religioni Christianae multas superstitiones Ethnicas et ritus Judaicos admiscuere. Praeter Christianos magnus numerus Muhamedanorum, Judaeorum et Paganorum, qui in partibus australibus praecipue, frequentes sunt, in Abyssinia deprehenditur. In Nubia nonnisi hinc inde Christiani Abyssinii, in caeteris vero Africae terris plane nulli Christi cultores reperiuntur.

Über die Missionen in Süd-Africa in Stäudlins Magazin für Religion, Moral und Kirchengeschichte. Mortimer die Missionssocietät zu London. 1800. Magazin für die neueste Geschichte der protestantischen Missions- und Bibelgesellschaften. Basel 1816.

§. 830. Propagatio religionis Christianae in America.

In America tam Catholici, quam Protestantes religionem Christianam labente hac periodo propagare conati sunt. Utrique tamen potissimum in septentrionali ejus parte, speciatim in terris Britannicis, et in civitatibus confoederatis, atque in insulis, quae nomine Indiae Occidentalis comprehenduntur, laborarunt. Quod jam Catholicos attinet, a. 1730. fidei praecones ex Parisiensi seminario pro missionibus ad gentes, verbum Dei in Luisiana disseminandum susceperunt. Sed numerus Christianorum in ista terra recentiori potissimum tempore Europaeis, qui illuc migrarunt, auctus est. Prae

caeteris autem missio Catholica in Kentukia notari meretur. Haec ab anno 1810. quo episcopus Bairtownianus ei praefectus est, haud modicos progressus fecit; siquidem ab a. 1815 — 1819. 27 ecclesiae et 43 coetus erecti sunt. Etiam in aliis provinciis ecclesia Catholica recentissimo tempore magna incrementa cepit. Sic e. c. Sommerseti in Ohio a. 1822. ultra centum familiae Catholicae reperiebantur, ubi ante quatuor annos tres tantum fuerant. Haec incrementa maximam partem descendunt ab Europaeis Catholicis, plerumque Hibernis et Gallis, in illis provinciis considentibus. Sed et ex gentibus feris, quae ibidem adhuc versantur, haud pauci a missionariis fidei Catholicae conciliantur. Sic ad fluvium S. Josephi, quinque circiter ferorum millia sedes habent, quibus missionarii Gallici evangelium cum successu praedicarunt. Nec dubium, quin conversorum numerus longe major foret, si numerus missionariorum non adeo exiguus esset. Inter missionarios Kentukienses praecipui sunt Dominicani, qui in Kentukia proprium conventum seu monasterium habent, novisque erigendis intenti sunt. Iidem primam vineam in ista provincia plantarunt et typographiam erexerunt, ut eo frequentiores libros, doctrinam Catholicam continentes inter gentes finitimas distribuere possent. Sed et episcopi, quibus cum missione Kentukiensi nihil commune est, ulterioris fidei Catholicae propagationis curam gerunt, velut Quebeccensis, qui a. 1818. aliquot missionarios ad fluvium rubrum ablegavit, ut ibi ecclesiam Catholicam fundarent.¹) — Inter Protestantes Angli curam, quam de religione Christiana in possessionibus suis Americanis propaganda jam 17. saeculo gerere coeperant, etiam sequenti continuarunt. Societas, ad promovendam cognitionem Christianam regnante Guilielmo III. fundata, saepe fidei praecones in Americam septentrionalem misit, qui Indianos coloniis Anglorum vicinos, doctrina Christiana imbuerent, quod cum aliquo saltim successu fecerunt. Etiam aliae ex societati-

bus missionum Anglicanis, missionarios in Americam septentrionalem et Indiam Occidentalem mittebant, et etiamnum mittunt, nominatim societas exeunte saeculo 17. ad servos nigros in insulis Britannorum Americanis convertendos et instruendos fundata, et alia pro nova Anglia inita, quae rem Christianam in Neo-Brunsvico promovere studet. — Anno 1732. Georgia in honorem Georgii II. Angliae regis ita dicta, ab Europaeis incoli coepit, quorum numerus non multo post haud paucis Lutheranorum, qui e Salisburgo emigraverant, insigniter auctus est. — Praeter Anglos Herrenhuthani non multo post suam a. 1727. originem in Americanis Anglorum coloniis missionarios ex suis ad evangelium inter feros propagandum constituerunt. Iidem postea in aliis Americae terris, in meridionalibus quoque, et in India Occidentali missiones erexerunt, et etiamnum sustentant, nominatim Paramaribi inter servos nigros; Hopi ad Corentynum amnem inter Indianos Aramacenses; in pluribus insulis West-Indicis Anglorum et Danorum ad convertendos servos nigros, quibus convertendis Dani jam antea in suis insulis, a S. Thoma, S. Joanne, et S. Cruce compellatis operam dederant; porro in Labradoria, Canada superiori et Groenlandia. Hic quoque Dani jam ante Herrenhuthanos conversionis opus inchoaverant. Etenim operam potissimum dante Joanne Egede, praedicatore Norwegico, inter eos societas coaluerat, commercium cum Groenlandia factura. Haec a. 1721. homines eo misit, coloniam ibidem conditturos, quibuscum etiam Egede profectus est. Tenue conversionis rudium incolarum ab eo susceptae initium progressu temporis accedentibus cooperatoribus, erecto missionariorum et catechetarum seminario, et auctis successive coloniis Danicis non exigua incrementa cepit. Haec aucta sunt, ex quo Herrenhuthani in Groenlandiam venerunt. Hi ad conversionis opus promovendum ibidem, sicut fere ubique solebant, sedes stabiles pro missionibus erexerunt, at-

que etiam inter incolas liberos eo successu laborarunt, ut ex illis, qui ad littora Occidentalia habitant, permultos, ex iis autem, qui Orientalia incolunt, plures ad Christum converterent. [2])

[1]) Ladislaus Sappel Geschichte der fortgepflanzten Religion. Choix des lettres edifiantes Tom. VII. et VIII. auch unter dem Titel: Missions de l'Amerique. 1809.

[2]) Hans Egede ausführliche und wahrhafte Nachricht vom Anfang und Fortgang der Grönländischen Mission. Lork Beyträge zur neuesten Kirchengeschichte in den königl. Dänischen Reichen und Ländern. Schlegel Kirchengeschichte des 18. Jahrhundertes.

§. 831. Status Christianismi in America.

Si jam statum religionis Christianae in singulis Americae terris perlustramus, in Groenlandia majorem incolarum partem ei addictam deprehendimus. Etenim ex decem circiter hominum millibus, qui in littoribus terrae occidentalibus versantur, sex fere millia in coloniis Danicis habitant, qui, sive a Danis, sive aboriginibus descendant, certe plerique Christum profitentur. Inter liberos ejusdem littoris incolas altero saeculi 19. decennio 1100 Christiani in tribus coetibus numerati sunt. Incolae littoris orientalis, quorum numerus exiguus est, eodem tempore plerique adhuc idola colebant. — In Labradoria seu nova Britannia aborigines quidem, Eskimoji dicti, numero circiter 6000, idola colunt; ibidem tamen in pluribus locis Europaei, praesertim ex magna Britannia et Hibernia consederunt. Praeterea Herrenhuthani, qui tres in ista terra colonias condiderunt, plures ex Eskimojis Christo conciliarunt et baptismo tinxerunt. In insula, quae dicitur terra recens inventa (Newfoundland), incolae, exceptis paucis Eskimojis, omnes Europaei sunt, numero circiter 30,000. Eodem modo res se habet in insulis, quae a S. Magdalena, et in illa, quae a promontorio Bretonico appellatur, in quibus omnibus fe-

re 15,000 habitant, nec non in nova Scotia, et Neo-Brunsvico, in qua utraque terra numerus incolarum ad 180,000 ascendit. Canadae regiones interiores praeter nonnulla castella et domicilia commercialia ab Anglis erecta nonnisi ferae gentes, idololatriae deditae tenent. His convertendis operam navant Herrenhuthani, qui in Canada exteriori occidentali, ubi etiam nonnulli aborigines Ethnici reperiuntur, aliquas sedes stabiles pro missionibus erexerunt. Reliqua Canada a Christianis, qui maximam partem a Gallis descendunt, adeoque Catholici sunt, incolitur. In insulis Bermudicis, quae sicut terrae omnes, post Groenlandiam hactenus enarratae, Anglis subjectae sunt, 6000 liberorum et 5000 servorum reperiuntur, qui posteriores maximam partem superstitionem Ethnicam fovent. — In civitatibus confoederatis Americae septentrionalis numerus incolarum ab anno 1783., quo earum independentia ab Anglis formaliter agnita est, usque ad annum 1822. a duabus millionibus ad decem, plerumque Europaeis huc migrantibus increvit, adeoque numerus Christianorum ibidem insigniter auctus est. Quae transmigrationes, cum adhucdum perdurent, et incolae civitatum illarum etiam in provincias Occidentales magis magisque diffundantur, nullum est dubium, quin ecclesia Christiana in illis regionibus continuo latius propaganda sit. Caeterum inter incolas reipublicae Americanae septentrionalis 1,200,000 servorum nigrorum habentur, quorum major pars superstitiones Ethnicas fovet. Similiter ex Indianis, qui in provinciis occidentalibus, numero circiter 200,000 degunt, pauciores Christum colunt. In vastissimo illo terrarum spatio, quod extra ditionem civitatum confoederatarum versus occidentem et septentrionem usque ad littora oceani protenditur, nonnisi ferae gentes, idololatriae deditae, sed non admodum numerosae deprehenduntur. In littoribus tamen Americani, Angli, et versus septentrionem etiam Russi complures commercii causa con-

sederunt, posteriores numero circiter mille, qui Alexandriae in insula Codiac etiam ecclesiam habent.

§. 832. Continuatio.

Terrae Hispanicae in America septentrionali hae sunt: 1) Nova California, terra maritima, versus septentrionem peninsulae Californiae sita, et a 16,000 hominum, maximam partem Paganorum inculta. 2) Peninsula California, ex cujus incolis, numero circiter 50,000, quinque millia Catholici, reliqui Pagani sunt, ad quos, sicut et illos, qui in nova California sunt, convertendos, variis in locis missionarii Catholici constituti sunt. 3) Novum Mexicum sensu latiori, in quantum nempe provincias: novam Legionem, novam Biscayam et Culicanium cum toto territorio septentrionali complectitur. In eo 500,000 degunt, qui partim Hispani sunt, partim aborigines, e quibus nonnisi singuli Christo nomen dederunt. 4) Mexicum vetus, pariter sensu latiori, seu usque ad isthmum Panamanum protensum. Inter octo incolarum milliones, quae huic regno adjudicantur, complures adhuc liberi sunt, inter montes versantes et idola colentes. Similiter inter servos nigros haud pauci superstitioni avitae immorantur. At caeteri incolae omnes fidem Catholicam profitentur. — Inter insulas, quae Indiam Occidentalem constituunt, Cuba 600,000 hominum continet, quorum duae tertiae partes servi nigri sunt, plerique idola colentes. Hispaniola seu Haitia a 400,000 incolitur. Nigri, qui nunc ibidem dominantur, externe saltim fidem Catholicam profitentur, caeteri quoque omnes Catholici sunt. Ex 400,000, qui Jamaicam, Anglis subjectam incolunt, nonnisi 50,000 liberi, caeteri servi sunt. Ad hos convertendos in multis insulae locis missiones erectae sunt, quarum sex ad Herrenhuthanos spectant. Anno 1792. fere 40,000 servorum Christianismo addicta erant. Inter eos, qui insulam Hispanicam, portum divitem dictam, incolunt, numero circiter 100,000, quindecim

nillia Hispani, caeteri Nigri sunt. In insulis, quae di-
untur Antillae minores, 600,000 hominum habitare cre-
untur. Horum duae tertiae partes Nigri sunt, pleri-
ue servi, e quibus circiter 20,000 institutione potissi-
num Herrenhuthanorum baptismum admiserunt. Abo-
igines, sic dicti Caraibae, quorum in nonnullis insu-
is pauci adhuc inveniuntur, omnes Pagani sunt. Cae-
eri earumdem insularum incolae, sive Europaei sint,
ive indigenae, sive albi sive colorati, diversis Christi-
nae religionis confessionibus sunt addicti; exceptis
aucis Judaeis, qui in nonnullis insulis morantur. —
n terris Hispanicis Americae meridionalis, quibus
,500,000 incolarum adjudicantur, horum plerique Chri-
tiani Catholici sunt, exceptis scilicet multis aborigi-
um, qui in interioribus terrarum partibus adhuc in-
ependentes versantur. In imperio Brasilianc, quod
,500,000 hominum continere existimatur, 600,000 ser-
orum nigrorum sunt, quorum maxima pars supersti-
oni Ethnicae adhuc inhaeret. Ex aboriginibus illi po-
ssimum adhuc Pagani sunt, qui in interioribus terrae
gionibus de loco ad locum vagantur. Quod denique
uianam attinet, inter Gallos, Batavos et Anglos di-
sam, incolae, numero circiter 150,000, quoad religi-
nem ita distincti sunt, ut tertia fere pars ex Euro-
eis, aut posteris eorum constans, Christum profitea-
r, reliquae duae tertiae, servos nigros et liberos ab-
igines complectentes, Paganismo inhaereant.

Vollständiges Handbuch der neuesten Erdbeschreibung. Stäud-
lin kirchliche Geographie und Statistik.

§. 833. Christianismus in Australia.

Recentissimo tempore religio Christiana, eaque se-
ndum confessionem Anglorum, etiam in quintam or-
s partem, in Australiam perlata est. In insulis, ad
m relatis duae circiter hominum milliones vivere cre-
ntur, qui fere omnes idolis serviunt, nonnullae gen-
s omnis religionis expertes esse videntur. Religio

Christiana introducta est in novam Hollandiam, cujus littora orientalia Angli novam Valliam meridionalem appellarunt, magnam ejus partem nomine comitatus Cumbriani sibi vindicarunt, ibique plures colonias condiderunt, inter quas aliqua ex maleficis constat, qui illuc deportantur. In omnibus duodecim circiter hominum millia degunt. Similiter in insula, quae terra Diemenis vocatur, et ad austrum novae Hollandiae sita est, duae Anglorum coloniae cum mille tercentis hominibus existunt. — Ad convertendos incolas insularum socialium, magna missionum societas Londinensis a. 1796. missionarios quosdam ablegavit, qui partim in Otaheiti, partim in Tongataboo insula sedem fixerunt, sed, quamvis ab incolis amice haberentur, per multos annos neminem eorum ad fidem evangelio adhibendam permovere potuerunt, quia et familia regia et primores ac sacerdotes, probabiliter verentes, ne sua auctoritas et in animos subditorum potestas mutata religione minuenda sit, communibus consiliis populum ab amplectendo evangelio detinebant. At anno 1812. Pomaerrius rex Otaheites se de religionis Christianae veritate convictum contestatus, idola abjecit, vero Deo ecclesiam extrui curavit, cognatosque suos ad eundem colendum permovere conabatur. Nihilominus a. 1814. nondum plures, quam quinquaginta homines, inter quos aliqui ex primoribus erant, regis exemplum secuti fuerant. Eodem anno ad finem vergente Farefanius, primarius regis administer, lectione catechismi Lancasteriani potissimum motus, fidem in Christum amplexus est, jamque magno animi ardore eandem ad alios quoque propagare conabatur, eo quidem successu, ut brevi tempore Christianorum numerus admodum incresceret. Inde vero idololatrae adeo irritati fuere, ut Christianos extirpare meditarentur, et reapse versus finem anni 1815. in eos ad sacra congregatos armis irruerent. Verum hi armis arma opposuerunt, et Pomaerrio ac Farefanio ducibus magnam de idololatris victoriam re-

portarunt. Clementia, qua rex in victos utebatur, eorum animos adeo commovit, ut unanimiter, abjectis idolis, Christum colere constituerent. Itaque rege jubente sacra coemeteria cum aris, idolis dedicatis eversa, et ligneum simulacrum Oronis, qui ex principalibus eorum numinibus erat, destructum. Tum Farefafanius plures scholas Lancasterianas erexit, in quibus ipse docebat, eoque et aliis mediis popularium suorum conversionem continuavit. Haec tandem post aliquot annos, missionariis Anglis, rege Pomaerrio, aliisque Christianis Otaheitiensibus cooperantibus, ad finem perducta est, ita ut hodie omnes omnium insularum socialium incolae, numero circiter centum viginti millia, religioni Christianae secundum confessionem Anglicanam addicti sint, multasque ecclesias et evangelia in linguam suam translata habeant.

Mortimer die Missionssocietät in London. 2. Th. Überhaupt: Geist der brittischen Missionen. Basel 1817. Neueste Nachrichten aus dem Reiche Gottes. Berlin 1818. Zschokke Darstellung gegenwärtiger Ausbreitung des Christenthums auf dem Erdball. Arau 1819. Leonhardt die gesegnete Ausbreitung des Christenthums unter Heiden, Muhamedanern und Juden in der neuesten Zeit. Dresden 1820.

§. 834. Adversarii religionis Christianae in Anglia.

Dum religio Christiana in aliis orbis partibus propagabatur, in Europa multa hominum millia ab ea deficiebant. Id potissimum effectnm est per viros quosdam, qui tum aliis mediis, tum vero maxime scriptis, contra Christianam imo omnem religionem vulgatis, quam plurimos ad suas sententias perduxerunt. Ejusmodi viri majori numero primum inter Anglos surrexerunt, apud quos religionis impugnatio, quae jam posterioribus praeteritae periodi temporibus coeperat, ex causis, ibidem allegatis, nunc aucta frequentia et vehementia continuabatur. Quamquam ea jam primis saeculi 18. annis fieret, et usque ad hodiernum diem per-

duret, gravissimi tamen et frequentissimi in religionem insultus vigesimis et tricesimis ejusdem saeculi annis facti sunt. Qui religionem in Anglia impugnabant, nunc libere cogitantes vocabantur. Fontes, e quibus eorum irreligiositas manabat, consueti erant, nempe vel superbia de suo intellectu, et vanitas, qua supra vulgus sapere et sine praejudiciis esse volebant, vel animus depravatus, qui abjectis religionis doctrinis, monitis, et reprehensionibus eo tranquillius libidinibus suis indulgere cupiebat; ad quas res apud multos invidia contra clerum, in religionem translata, et ignorantia ac falsi conceptus accesserunt, quos de multis religionis doctrinis attraxerant, ad rectitudinem autem componere minime curabant. In finibus, ad quos progrediebantur, in rationibus et methodis, quibus utebantur, adversarii religionis neque inter se conveniebant, neque singuli sibi ipsis constabant. Alii Christianismo, alii cunctae revelationi, alii religioni universae adversabantur. Alii fundamenta impugnabant, quibus divina religionis Christianae origo nititur, alii ejus doctrinas explodebant. Iidem hodie negabant, quod heri concesserant, et modo, ubi Christianismum impugnabant, de vi luminis naturalis gloriabantur, modo, ubi de omni religione evertenda agebatur, ejusdem debilitatem deplorabant. Alii, quasi oracula edentes, simpliciter negabant et rejiciebant; alii ratiociniis et disquisitionibus philosophicis ac historicis pugnabant; plerique irrisiones, convitia, calumnias in auxilium vocabant.

§. 835. Tolandus, Colinsius, Woolstonius.

Numerus eorum, qui in Anglia religionem scriptis impugnabant, maximus erat. Inter eos nonnulli eminebant, reliquis quasi signum praeferentes, quorum scripta maximam famam consequebantur, quorum scita et dicta ab aliis nonnisi sub diversa forma repete-

bantur. Tales erant fere sequentes: Joannes Tolandus, qui jam elapsa periodo religionem impetierat, idque nunc continuabat in his libris: Adisidaemon, sive Titus Livius, a superstitione vindicatus, in quo libro auctor religionem Christianam ut superstitionem proponebat, atheismum superstitione minus noxium esse, et Mosen pantheismo proximum fuisse contendebat; Nazarenus, seu Christianismus Judaicus, Ethnicus, et Muhamedanus, in quo libro Tolandus evangelium quoddam Barnabae suppositum a quatuor evangeliis canonicis longe diversum protulit, et quo horum doctrinaeque in eis contentae genuinitatem everteret, doctrinas Nazaraeorum et Ebionitarum, a Pseudo-Barnaba propositas, veras Christi doctrinas fuisse contendit. Idem in Pantheistico, a. 1720. edito, pantheismum explicavit commendavitque, et liturgiae Anglicanae, doctrinis pantheisticis simili modo enuntiatis, illusit. — Antonius Collins, jurisconsultus, qui quamquam fidem Christianam fraudi deputabat, nihilominus, ut munera publica obtineret, eam solemniter in ecclesia professus est. († 1729). Is in tractatu de libertate cogitandi, a. 1713. edito, contradictionem contra omnes hominum sententias, speciatim illas, quae ad religionem publicam pertinent, et odium contra clericos commendavit, omnem religionem superstitionem, cultum divinum publicum histrioniam, omnes sacerdotes impostores aut fatuos nominavit. In tractatu autem de rationibus et probationibus religionis Christianae, a. 1724. in lucem emisso, ostendere conatus est, loca, quae in n. f. qua vaticinia in Jesu impleta allegantur, in v. f. longe alium sensum habere, adeoque nulla in Jesu impleta esse, hunc ergo vaticiniis in eo impletis tanquam Messiam aut legatum divinum comprobari non posse, unde sequatur, nec miracula ei adscripta ad divinam ejus legationem probandam valere, qua non probata, religionis Christianae divinitas evanescat. — Sed istud alte-

rum pro munere Jesu divino argumentum, a miraculis desumtum, eodem circiter tempore alius ex professo impugnavit, nempe Thomas Woolston, clericus, qui quod scriptis quibusdam pro religione Christiana editis non eam, quam speraverat, gloriam et mercedem consecutus, imo non multo post, munere, quod Cantabrigae habebat, privatus fuisset, quasi in rabiem actus, suam vindictae cupidinem contra clerum eo exsatiare nitebatur, quod causam, ab hoc tuendam, nempe religionem Christianam impugnaret. Ad nominis famam conservandam augendamque saepius, si alii id non faciebant, ipse contra se scripsit. († 1733.) Is praecipue in sex tractatibus, de miraculis Salvatoris nostri, inde ab anno 1729. editis, contendit, miracula Christi res adeo absurdas et incredibiles continere, ut historice accipi non possint, adeoque allegorice intelligi debeant, i. e. tanquam narrationes, quibus effectus morales, a Jesu producti sub imaginibus sanationum aut aliorum eventuum physicorum propositi sint; ejus autem resurrectionem mendacii suspectam reddere conatus est. Quo suam de Christi miraculis assertionem confirmaret, ad mysticam interpretationem antiquorum ecclesiae patrum provocavit.

§. 836. Tindalius, Morganius, Chubbius, alii.

Postquam ita fundamenta, quibus divinitas religionis Christianae nititur, impugnata fuissent, Matthaeus Tindal ei simpliciter omnem altiorem originem abjudicavit. Erat is jurisconsultus, homo vitiosus, qui sub rege Jacobo II. religionem Catholicam, cui hic addictus erat, externe professus fuerat, sub regibus autem posterioribus eam non tantum impugnavit, sed etiam, ut aulae, a qua annuam pensionem accipiebat, gratificaretur, in libro: jura ecclesiae Christianae, a. 1706.

edito, omnem religionem et ecclesiam inter instituta mere politica, a civitate in cunctis dependentia detrusit. († 1733.) In libro, quem a. 1730. sub titulo: »Christianismus mundo coaevus« edidit, realitatem, possibilitatem et neccessitatem revelationis negavit, omnes religiones, quae revelatae creduntur, deceptione aut imaginatione niti contendit, et Christianae non aliam praerogativam attribuit, nisi quod per eam quaedam veritates religionis naturalis promulgentur; doctrinas ejus positivas avarorum sacerdotum inventa nominavit; libros sacros propter eorum obscuritatem, propter multiplices scientias et disquisitiones operosas, quas, ut intelligi possint, requirant, ineptissimum medium revelationis cognoscendae judicavit. — Plerasque Tindalii sententias secutus est Thomas Morgan († 1743.), in hoc tantum illo mitior, quod revelationem fieri posse non negaret. Erat is prius praedicator apud coetum quemdam Presbyterianorum, postea medicus apud Quaekeros Bristolenses, quotidie vino sublimato et opio temulentus. Primo Arianismum, deinde Quaekerismum defendit, denique in pluribus scriptis, praecipue in philosopho morali, qui a. 1737. comparuit, universam religionem Christianam, imo omnem revelatam impugnavit. In libro autem, cui titulus: »securis ad radicem posita,« contra clerum vehementer declamavit, et religionem Mosaicam systema superstitionis et servitutis esse contendit. — His accessit Thomas Chubb, saponarius Sarisberiensis, vir quidem indoctus, sed qui multa lectione et meditatione varias scientias sibi comparaverat, promtus in vituperium, attamen quamdam moderationis speciem prae se ferens. Is in plurimis tractatibus, quos ab a. 1715. singillatim, anno autem 1730. collectos edidit, religionem Christianam a diversissimis partibus impugnavit, praecipue vero plurimis effatis et narrationibus biblicis absurda et inhonesta inesse ostendere conatus est, quo in negotio sentiendi agendique rationem antiquorum secundum modernam

aestimavit. Morti proximus († 1747.) quidem de scriptis suis, contra religionem Christianam editis doluit, aliorumque, quae adhuc in pulpito servaverat, publicationem vetuit; ea nihilominus typo vulgata sunt. Nonnulla eorum pessimas assertiones continebant, velut: Deum non curare res humanas, animi immortalitatem esse dubiam, religionem Mosaicam Dei virtutibus injuriosam, in bibliis proponi doctrinas sibi contrarias, honori Dei adversas, hominum saluti noxias. Chubbii exemplum ingentem hominum indoctorum multitudinem ad scripta conficienda excitavit, quibus religionem naturalem sufficere asserebatur, et contemtus Christianae inter plebem quoque latissime propagabatur. Ad hoc etiam tractatus anonymi cujusdam multum contulit, a. 1742. in lucem emissus, quo fidem, rem omni ratione destitutam, miraculum, inevitabilem effectum efficaciae Spiritus s. esse, ironice docebatur, Jesum et apostolos semper nonnisi fidem postulasse, nunquam vero doctrinae suae rationes attulisse asserebatur, denique omnis doctrinae religiosae examen potius noxium, quam utile esse contendebatur. Non minus ad contemtum evangelii propagandum illa artificia conferebant, quibus hominum sapientissimos non alio, quam naturali rationis lumine Deum cognovisse et coluisse ostendebatur, e contra tales, qui revelatione utebantur, et in s. scriptura laudantur, v. g. Jacobus patriarcha, rex David, tanquam vitiorum monstra proponebantur.

§. 837. Mandevillius. Radicatus. Alii.

Sed et practica evangelii doctrina a plerisque, qui theoreticam impugnabant, diversis ex partibus impetebatur. Hunc in finem vel actiones immorales, in bibliis narratas urgebant, quasi ad imitandum propositae essent, vel singularia s. scripturae effata sinistre interpretabantur, vel totum genium doctrinae Christi moralis invidiosam in lucem collocabant, atque prin-

cipia ejus impura, motiva mercenaria, praescripta manca, monastica, societati civili noxia dictitabant. Sic idem ille Chubbius praecepta, a Christo in sermone montano et alias proposita de non resistendo malo, de cura victus et vestitus non gerenda, de mendicis et claudis ad coenam invitandis, strictissimo litterae sensu accipienda esse, et Paulum, quod magistratum Dei vices gerere docuerit, despotismo favisse contendit. — Qui vero omnium impudentissime non tantum contra Christianam, sed contra omnem ethicam scripsit, erat Bernardus Mandeville, medicus, Dordraci natus, sed qui maximam vitae partem Londini transegit. († 1733.) Is in fabula de apibus, quae luxu et vitiositate opulentae ac potentes, probitate autem pauperes et debiles factae fuissent, nec non in pluribus aliis scriptis, ad fabulam explicandam et defendendam postea editis, ethicam Christianam velut farraginem praeceptorum, pigritiam, duritiem, simulationem, et odium humani generis alentium proposuit; imo omnem moralitatem rejecit, virtutem et jus nonnisi legibus civilibus fundari, sensualem sui ipsius amorem supremum hominis finem esse docuit, solis ergo actionibus utilibus et jucundis pretium attribuit, et feritatem bestialem, luxuriam ac vafritiem laudavit, hisque principiis convenienter omnem religionem secundum utilitatem, quam opificia, artes et mercatura ex ea percipere possent, aestimavit. — Non minus ethicam Christianam convitiatus est Albertus Radicati, comes de Passerano, qui e Pedemontio, patria sua ad evitandam poenam, ob contemtam religionem sibi imminentem, in Angliam fugit, ibique pluribus scriptis virus suum irreligiosum et immorale diffudit, attamen morti proximus († 1737.) de iis dolens confessus est, se ipsum a se scripta non credidisse. In illo libro, quem sub titulo: Nazarenus et Lycurgus inter se collati, edidit, leges Lycurgi et ethicam Jesu ita inter se comparavit, ut utriusque finem omnis peculii abrogationem et per-

fectam aequalitatem civilem fuisse mentiretur, et postremo leges Spartani praeceptis Christi anteferret. Idem in aliis scriptis religionem Catholicam, in aliis omnem revelatam, speciatim Judaicam insultavit, in alio denique Deum a mundo diversum, actiones moraliter differre negavit, et autochiriam defendit, quam praeter eum multi alii non tantum in singularibus tractatibus, sed etiam in operibus dramaticis, historicis et fabulis Romanensibus commendarunt.

§. 838. Bolingbrokius. Humejus.

Inter illos, qui omnem religionem eversum iverunt, adhuc commemorari merentur, Henricus, vicecomes de Bolingbroke et David Hume. Ille, homo sat vitiosus, regnante Anna amplis in republica muneribus functus, sub illius autem successore ad evitandam perduellionis accusationem e patria fugitivus, postea tamen redire permissus († 1751.), in tentaminibus philosophicis, eo demum mortuo editis, omnes Dei proprietates morales negavit, et ideo homini, cujus ratio alioquin nonnisi instinctus sit plus minus exercitatus, non alium, quam animalem finem adjudicavit. Humejus († 1776.) qui ex vanitate gloriam suam in eo quaerebat, ut de cunctis rebus a caeteris hominibus diverse sentiret, scepticum egit, et in variis tractatibus philosophicis omnibus legibus cogitandi, conclusionibus, et ratiociniis, adeoque etiam omni cognitioni de rebus, sensus transscendentibus certitudinem abjudicavit. Hinc Dei existentiam in dubium vocavit, proprietates ejus morales, et providentiam aperte negavit, animique immortalitatem incertam, attamen populo persuadendam existimavit. Praeterea voluntatem humanam haud liberam esse contendit, et tanquam fundamentum laudis ac vituperii, quod actionibus humanis tribuitur, non rationem, sed propriam quamdam naturae nostrae sensionem statuit. In proprio tractatu credibilitatem miraculorum impugnavit. Denique in naturali historia

religionis, a. 1757. edita, neo non in dialogis de religione naturali, opere posthumo, religioni cuivis omnem in animum et mores potestatem abjudicavit, et propterea anceps haesit, an religio in rationali hominis natura fundata sit.

§. 839. Media, contra scripta irreligiosa adhibita.

His, caeterisque scriptis contra religionem vulgatis irreligio et ex hac ceu prono alveo fluens morum perversitas latissime inter Anglos propagata est. Ad eam cohibendam media scriptis illis opposita eo minus sufficiebant, quod libertas, libros typo vulgandi, fere illimitata publica lege in Anglia sancita est. Media illa potissimum in scriptis consistebant, in quibus vel singuli libri ab adversariis editi refutabantur, vel veritas et divinitas religionis Christianae in universum propugnabatur. Ejusmodi scripta apologetica magno numero, et inter ea haud pauca praestantia confecta sunt. Huc etiam referendae sunt litterae pastorales, quibus nonnulli episcopi dioecesanos suos contra pestem librorum impiorum munire satagebant. Praeterea magistratus nonnunquam scripta impudentiora publice damnabant, et concremari jubebant, vel eorum auctores poena, utplurimum carceris afficiebant, quod e. c. accidit Woolstonio, qui in vinculis mortuus est, et Radicato, nonnisi datis vadibus dimisso. Denique etiam fundatio Roberti Boylii perduravit. Verum, sicut libri irreligiosi a pluribus legebantur, quam apologetici, ita etiam sermones, ex institutione Boylii contra incredulitatem quotannis habiti, nonnisi a paucis plebejis, religioni alioquin devotis, excipi solebant.

Britannische Biographie. Thorschmid Freydenkerbibliothek. Nichol biographische und litterarische Anekdoten von grofsbritannischen Gelehrten des 18. Jahrhundertes. Niceron Nachrichten. Henke allgemeine Geschichte der christlichen Kirche 6 Th. Schroeckh christliche Kirchengeschichte seit der Reformation 6 Th.

§. 840. Irreligio in Gallia.

Ejus praecipui promotores. Voltaerus. Diderotius. Dalambertus.

Longe majores progressus fecit, gravioresque effectus produxit irreligio in Gallia. Ibi morum corruptela, quae sub Ludovico XIV. invaluerat, plurimum aucta est, dum post ejus († 1715.) mortem, Ludovico XV. adhuc minorenni, Philippus, dux Aurelianensis regnum administrabat, utpote qui morum licentiae indulgebat, et religionem contemnebat. Ex libris irreligiosis, in Anglia editis plures translati clam inter Gallos serpebant et non paucos inficiebant. Idem valet de libris Baelii Hugonottae, originetenus sermone Gallico scriptis. Henricus comes de Boullainvilliers, et ipse Gallus († 1722.) librum edidit, refutatio Spinozae inscriptum, in quo hujus sententiae, hactenus paucis eruditis perviae, non tam refutabantur, quam lingua vernacula, stylo facili, et dictione amoena, qua refutatio infirma composita erat, propagabantur. Idem scripsit vitam Muhamedis cum reflexionibus in religionem Muhamedanam et consuetudines Muhamedanorum, auctore demum mortuo typis vulgatum, in quo de Muhamede ejusque religione tot ac tam egregia conficta erant, ut lectores ad eam Christianae praeferendam facile seduci possent. His omnibus praeparata erat quaedam multorum Gallorum in irreligionem propensio. Inter hos praecipuus erat Voltaerus, Parisiis a. 1694. patre causidico natus. Jam puer magnam morum licentiam et impietatem prae se ferebat. Adultus variis vitiis, imprimis voluptati, avaritiae, vanitati, indomitae in illos, qui hanc laedebant, vindictae cupidini indulgebat, aliosque satyris et irrisionibus, etiam scriptis impetere amabat, quam ob rem aliquoties male tractatus est. Cum ex vitae licentioris amore seria negotia fugeret, nullum munus publicum

ambivit, sed, quia ingenio et eloquentia pollebat, scriptis, utplurimum poeticis et historicis conficiendis operam dedit, qua in re arte, lepore, et dictionis elegantia adeo excelluit, ut maximam nominis celebritatem, quamplurimos fautores, patronos ac cultores, et sufficientes ad vitam lautam degendam facultates sibi compararet. Sed et religioni ac clero mox in scriptis suis insultabat, ita ut propterea jam custodiae tradendus esset, ad quam evadendam a. 1727. in Angliam fugit. Ibi amplam librorum ab incredulis editorum cognitionem adeptus, iisque in sua impietate adeo firmatus est, ut totam vitam suam religioni destruendae dedicare sibi proponeret. Ob scripta irreligiosa, quae ab hoc tempore emittebat, neque Parisiis, neque in aliis Galliae urbibus toleratus est. Itaque haud procul a Geneva praedium sibi emit, in quo otium suum scripta, magnam partem irreligiosa, conficiendo, aliisque modis contemtum religionis promovendo insumsit. Anno tandem 1778. patroni et cultores, quos numerosissimos potentissimosque habebat, facultatem, quam dudum, sed frustra desideraverat, Parisios revertendi, ei impetrarunt. Sed non multo post ibidem animam inter vehementissimos mortis terrores, qui eum in rabiem quamdam egerunt, exhalavit. — Alius, qui ad religionem inter Gallos destruendam dictis et scriptis quam plurimum contulit, erat Diderotius, a. 1712. patre fabro ferrario natus, artis medicae discendae causa Lutetiam missus, ubi vero postea scriptis irreligiosis potius conficiendis, quam arti aut muneri cuidam exercendo otium suum impendit. Propter ejusmodi scripta carceri mancipatus, et postquam ex eo dimissus fuisset, Galliam relinquere jussus est. Postea tamen per patronos facultatem redeundi impetravit. († 1784.) — His duobus accensendus est Dalambertus, a. 1717. Parisiis natus, nobilis cujusdam scorti filius spurius, quem a matre expositum patres oratorii susceperunt, et educandum cura-

runt. Sed adultus, abjecta religione, impietatem dictis et scriptis quam maxime promovit. Hunc potissimum Voltaerus in castra incredulorum perduxit et praecipua sua familiaritate dignatus est. Caeterum physicae plurimum operae impendit. At vero et irreligiosa scripta haud pauca consarcinavit. Reliquos astutia et dexteritate, impietatem tecto modo propagandi superavit. († 1783.)

§. 841. Impiorum conspiratio et sententiae irreligiosae.

Hi igitur triumviri praecipui erant, qui in propaganda irreligione ac impietate laborabant. Brevi tempore haud paucos ad easdem sententias, idem studium, religionem evertendi perduxerunt. Quo finem suum efficacius persequerentur, cum aliis quibusdam circa medium saeculum 18. conspirationem formalem inivernnt. Talem inter eos reapse obtinuisse, mutuae eorum epistolae, ipsis mortuis collectae et in lucem protractae sufficienter ostendunt, e quibus apparet, eos sibi ad evertendam religionem consilia, methodos, factos progressus, obstacula, media, modosque, quibus superari possent, mutuo communicasse, nebulonum in morem, ne detegantur metuentium, falsa nomina in epistolis suis mutuis assumsisse, et communem tesseram, nempe adhortatoria verba, a Voltaero suggesta: eradicate infamem! habuisse. Iidem eorumque proselyti non forte solam Christianam, sed omnem religionem eversam cupiebant, et licet nonnunquam naturalem aut aliam probare viderentur, innumeris tamen scriptorum suorum in locis, ubi veram suam mentem pandebant, omnem religionem addubitabant ac cavillabantur, et reapse in atheismum propendebant. Talia autem de religione in scriptis eorum continentur: Christum fuisse magum, apostolos impostores, qui incultam plebem deceperint, evangelia esse fabulas Romanenses, religionem Christianam esse imitationem mysteriorum, rituum,

tuum, doctrinarum ac fabularum Ethnicarum, Muhamedanismum ac Judaismum ob simplicitatem suam Christianismo longe praeferendum esse, Jovem esse venerabiliorem, quam Deum Christianorum, religionem Christianam permittere, ut Deus non ametur, ejusdem religionis praeceptum de Deo amando absurdum esse, cum ens invisibile amari non possit, religionem Christianam virtutis studio nullum adminiculum suppeditare, ejus asseclas, quod animum semper in Deum et alteram vitam directum habere praecipiantur, bonos cives et milites esse non posse, fidem in animi immortalitatem ex hominum vanitate et amore in semetipsos ortam fuisse, omnibus saeculis fuisse creditum, morte omnia finiri, Deum esse ens minime necessarium, ad nostram tranquillitatem nihil conferens, esse zerum, Deum statuere, fraudis esse, Deum credere, esse pessimum ex omnibus praejudiciis, atheismum unicum esse systema, quo homo ad libertatem et beatitatem perducatur, omnes religiones esse inventiones humanas, fructus politicae et timoris. Quoad ethicam: juvenem faeminarum illecebris resistentem imbecillem esse, adulterium non esse crimen, eo quod secundum leges naturae mulieres communes esse oporteat, cum proximis consanguineis coire nihil mali esse, id quod exemplo animalium doceatur, autochiriam specimen esse virtutis, virtutem et vitium vacuos sonos esse, ejusdem cum legibus et carnificibus originis, si vitium felices nos reddit, vitium amplectendum.

§. 842. Russovius.

His, qui omnem religionem et moralitatem eversam cupiebant, Christianam calumniis, convitiis, et cavillationibus potius, quam rationibus persequebantur, et brevitatis causa Voltaeriani dici possunt, accesserunt Russoviani, quo nomine illos compellamus, qui Russovii sententias circa religionem et societatem civilem generatim amplexi sunt. Erat autem Russovius Gene-

vensis, a. 1712. natus. Juvenis lectione fabularum Romanensium excitatus, e domo paterna, ubi ad horologia conficienda instituebatur, in Galliam aufugit, ibique religionem Catholicam professus est, a qua postea iterum descivit. Privatis hominibus operam suam qua scriptor, qua paedagogus locavit, eoque et libris componendis, postremo notis musicis describendis vitam sustentavit. Erat homo animi depravati, qui liberos suos illegitimos, receptaculo expositorum mox post nativitatem traditos nunquam curavit, superbus, misanthropus, qui praesertim opulentorum et fortunatorum meliorem sortem inique ferebat, ingratus, quem Humejus Anglus serpentem in sinu amicitiae calefactum nominavit. Vivida, imo exaltata phantasia praeditus quidem erat, et dictionis venustate pollebat; at eruditione, imo praescientiis maxime necessariis destitutus ea, quae legebat, frequenter non intellexit, unde multas res phantasticas, exorbitantes, absurdas et sibi contradicentes in scriptis suis proposuit. Propter doctrinas antichristianas, quas in eis praedicavit, e Gallia excedere jussus, postea tamen sub conditione, ut a scribendo abstineret, redire permissus, eodem, quo Voltaerus anno mortuus est. Erga religionem animo melius affectus erat, et doctrinam evangelicam ac Christum nonnunquam laudavit. Contendit tamen, biblia continere errores et res ridiculas, ea, quae circa Christum evenisse narrantur, tempore ac loco a nobis remotiora esse, quam ut credi possint; religionem Christianam servitutem commendare, saluti publicae plus obesse, quam prodesse. Universim Deismum propagare eumque in finem juxta exemplum Baelii religionem Christianam proprie puram naturalem esse, aliis persuadere conabatur. Idem morum doctrinam in universum venerabatur, contendit tamen, autochiriam nunquam malefactum esse posse. Russovius etiam a calumniis, convitiis, et cavillationibus religionis Christianae abstinuit, et plus rationibus ac disquisitionibus philosophicis pugnavit,

unde homines maturiores, quos ineptiae Voltaerianorum movere non poterant, ad suas sententias pertraxit, dum illi juvenes potissimum et leviores ac nauci flocci homines a religione abstrahebant. — Caeterum religionis eversio non unicus et supremus horum omnium finis erat, sed is potius in destructione regiae potestatis, et introductione maximae licentiae sicut moralis ita et politicae consistebat. Id et contractus socialis Russovii, et multa loca in libris caeterorum, et notum illud Diderotii dictum: nationes non prius beatas fore, quam ultimus regum intestinis ultimi sacerdotis suffocatus esset, abunde testantur.

§. 843. Media ad irreligionem propagandam adhibita.

Hi igitur cuncti omnia media, quae sibi praesto erant, ad irreligionem propagandam adhibebant. Inprimis oretenus sententias suas aliis persuadere, et in communi conversatione, in compitis, in conviviis, ubi simul famuli ministrantes dicta excipiebant, disseminare conabantur. Ad eas autem latius propagandas libris potissimum utebantur, quos diversissimi generis, serios et ludicros, philosophicos, historicos, poeticos, itineraria, dramata, fabulas Romanenses, principiis et sententiis suis refertos, maximo numero sine intermissione in lucem edebant. In his, sicut in colloquiis religionem diversis modis impetebant. Modo aperte eam impugnabant, modo Christianismi historiam et doctrinas invidiosam in lucem collocabant, modo de statu corrupto religionis ac morum conquerebantur, et personam reformatorum induebant, modo in religionis historias, doctrinas, ritus, sacerdotes, jocis et cavillationibus invehebantur, iisque inter Gallos, quos ingeniose et satyrice dicta magis, quam rationes solidissimae movere solent, plurimum efficiebant. Nec exiguam vim eorum fini opportunam, habebant nomina philosophorum, spirituum fortium, hominum absque praejudiciis,

quae sibi tam in colloquiis, quam in scriptis asserebant, utpote quibus permulti vanorum, praesertim illorum, qui inter homines cultiores se referebant, alliciebantur ad easdem sententias amplectendas; quibus ex agmine imbecillium eximerentur, supra vulgus superstitiosum elevarentur, hominibus mentis illustratae aggregarentur. Librorum illorum saltim celebriores nominandi esse videntur. Tales erant: Voltaeri dictionarium philosophicum, evangelium diei, puella Aurelianensis, Candidus, epistola ad Uraniam, religio naturalis, catechismus honesti hominis; Diderotii cogitationes philosophicae, epistolae de coecis, epistolae de surdis et mutis, codex naturae, philosophia sanae rationis; Dalamberti illustrationes elementorum philosophiae, historia Jesuitarum, a partium studio aliena, historia monachorum mendicantium, abusus criticae in materia religionis; Damilavillii, unius ex conjuratis, Voltaero, qui eum osorem Dei laudat, carissimi, Christianismus denudatus, sub nomine celebrioris Boulangerii, tunc jam mortui editus; Helvetii liber de spiritu; Marchionis Dargentii (D' Argens) litterae Judaicae, defensio Paganismi; Raenalii historia philosophica et politica commercii Europaeorum in India; Pradesii (De Prades) historia ecclesiastica Floerii in compendium redacta; Metrii (La Metrie) homo planta, homo animal, homo machina, historia animae, sermones de felicitate, ars fruendi; Serresii (Serres) examen religionis; Toussaentii mores; Joannae Huber, faeminae Genevensis, quae jam ante Russovium religionem Christianam in naturalem transformavit, epistolae de religione, homini essentiali; Russovii Aemilius, sive de educatione, nova Heloisa, confessio fidei vicarii Sabaudiensis; auctorum anonymorum historia critica vitae Jesu Christi, genius Judaismi, systema naturae, res quatuor necessariae. Opus autem principale, omnia, quae contra religionem proferri poterant, quasi collecta exhibens, erat encyclo-

paedia, in qua ordine alphabethico omnes materiae pertractabantur, quae ad litteras, artes, opificia, ad theologiam, philosophiam, historiam, jurisprudentiam, politicam spectabant. Hoc opus inde ab anno 1750. sub directione triumvirorum in lucem emitti coepit. Propter genium, religioni et potestati monarchicae inimicum, qui in eo ubique vigebat, ejus continuatio iterato quidem a regimine civili prohibita fuit; nihilominus directores ope patronorum suorum facultatem, illud ad finem perducendi, impetrarunt. Cum iidem omni occasione dictis et scriptis illud extollerent, cum revera multa utilia et scitu digna contineret, genioque illorum, qui in incredulitatem et morum licentiam propendebant, arrideret; latissime propagatum est, ita ut etiam faeminae nobiliores, voluminum in folio magnitudine et multitudine non deterritae, illud in cubicula sua susciperent, et exemplaria in regna quoque extranea usque in Russiam magno numero inveherentur. Ab eo illi, qui articulos in eo contentos elaboraverant, nec non qui sententias in eo dispersas propagare studebant, seu Voltaeriani, etiam Encyclopaedistae dicti sunt.

§. 844. Continuatio.

Ad effectus librorum impiorum certius latiusque propagandos, sophistarum complures, hortante Voltaero a. 1764. Parisiis in societatem quamdam coierunt, duce barone de Holbach, e Palatinatu oriundo, qui rebus litterariis occupabatur, a nonnullis auctor perniciosi libri: systema naturae habetur, et multos articulos pro encyclopaedia nec non turpem librum exaraverat, cui titulus: contagio sacra, seu historia naturalis superstitionis, in quo religione Christiana animi robur, libertatis amorem, omnemque virtutem suffocari et nonnisi superstitionem ac despotismum nutriri blasphemabatur. In domo, quam Holbachus Parisiis habebat, socii sua conventicula agebant. Ad hos pertine-

bant praeter auctorem Dalambertus, Diderotius, Damilavillius, Turgotus, Condorcetus, aliique. Ne a regimine politico dissiparentur, simulabant, se nonnisi ad materias eruditas discutiendas congregari, et Oeconomistas se dicebant. Re vera autem in suis conventibus libros, principiis suis accommodatos, antequam typo vulgarentur, examinabant, effata eorum ad finem suum collimantia pro rerum adjunctis vel mitigabant vel acuebant, de libris imprimendis et propagandis consilia capiebant, inter quae id quoque erat, quod magnum exemplarium numerum cartae viliori imprimi, haeque vel levi pretio vel gratis inter vulgus distribui curarent; denique etiam de adminiculis, ad rem suam promovendam facientibus, de impedimentis tollendis, de adversariis supprimendis deliberabant, et cum asseclis extraneis mutuas litteras communicabant. Aliud adminiculum, quo sophistae ad consilia sua promovenda utebantur, in eo consistebat, ut dictaturam in republica litteraria sibi vindicarent. Hunc in finem Voltaerus et Dalambertus per patronos suos potentes effecerunt, ut in academiam, quae Francica dicebatur, susciperentur, unde opinio de eorum eruditione apud plurimos crevit. Isti duo deinde technis suis rem eo perduxerunt, ut multi alii, sententiis eorum addicti, eidem societati litterariae adscriberentur. Auctoritate inde sibi adnata utebantur ad libros consiliis et principiis suis consentaneos laudandos, contrarios autem vituperandos. Quo factum est, ut hi jam a paucis emerentur, ideoque fere nemo typographorum eos imprimendos susciperet. Hinc progressu temporis nonnisi fere tales libri comparebant, qui philosophorum finibus accommodati erant, iique eo majori numero, quo magis eorum auctores laudabantur et numerosis exemplaribus venditis plus lucrabantur. Inter media, quibus sophistae finem suum persequebantur porro pertinebat tolerantia in religionis negotio, quam omni occasione laudabant et enixe commendabant, non quod eis de

humanitate et aequitate erga diverse sentientes ageretur; nemo enim ipsis erat intolerantior erga omnes, qui eis consentire et religionem abjicere detrectabant. Hos igne ferroque deletos cupiebant, sicut postea reapse fecerunt. Ipse Russovius et Fridericus II. Borussiae rex, aperte dixerunt, sophistas summa rerum potitos magis intolerantes fore, ac sacerdotes unquam fuissent. Igitur tolerantiam his potius ex causis commendabant, ut ipsi sub ejus alis securi essent, ut clerici Catholici, tolerantiae adversantes, tanquam fanatici, duri, illiberales diffamarentur multorumque invidiam incurrerent, ipsi vero qua homines benevoli, quorum consilia nonnisi salutem generis humani intendant, laudarentur, eoque plures asseclas nanciscerentur. Aliae causae erant, quia sciebant, Hugonottarum, de quorum tolerantia praeprimis agebatur, quam plurimos clam Deismo addictos esse, porro, quia sperabant, toleratos, quibus antiquum in Catholicos odium alte insidebat, ad horum religionem impetendam cooperaturos, illosque inde excitatos reacturos, atque ita alteram partem per alteram atterendam fore, denique quia sperabant, tolerantia indifferentismum nutriendum et sententias acatholicas inter Catholicos propagandas esse, quibus via ad scopum sibi propositum ulterior sterneretur. Magnam praeterea sophistae operam dabant, ut praecipue adolescentes ipsorum sententiis inficerentur. Hunc in finem juvenes e schola egressos, munerumque candidatos ad se trahebant, suisque principiis et sententiis imbuebant. Hinc tales, quos eis addictos noverant, tanquam paedagogos et professores commendabant, et saepe nimis, ut acceptarentur, effecerunt. Hinc methodum educationis a Russovio propositam, juxta quam pueri religione non imbuendi, neque cupiditates eorum refroenandae sunt, quae methodus alioquin multis tum propriae commoditatis, tum parvulorum gratia arridebat, qua vero non alii

quam irreligiosi homines effingi possunt, laudibus extollebant et pro viribus propagabant.

§. 845. Sophistarum asseclae.

His aliisque mediis sophistae progressu temporis ingentem asseclarum numerum, praesertim in patria sua inter omnes hominum classes, inter nobiles et plebejos, inter magistratus et milites, imo inter ipsos clericos nacti sunt. Horum multitudo indies crescebat, quia illi, qui ad eos accedebant, mox sententias suas aliis quoque persuadere nitebantur. Has imprimis semidocti, qui sic dictis pulchris artibus operam dabant, amplectebantur, deinde nobiles; partim propterea, quia intelligentia et scientia ad inanitatem sophismatum, errorum, et mendaciorum perspiciendam sufficienti plerique carebant, et nihilominus caeteris perspicaciores se arbitrabantur, vulgique praejudiciis, quo nomine jam religio designari consueverat, superiores esse volebant; partim propterea, quia pro molliori sua educatione et liberiori conditione in morum licentiam, cui irreligio favebat, magis proni erant. Inter nobiliores sophistarum proselytos plures etiam summi principes et potentes civitatum administri erant. Ejusmodi homines duplici modo ad irreligionem propagandam conferebant, primo quod suo exemplo et honore sophistis exhibito, utpote quos frequenter ad convivia sua invitabant, quibuscum conversabantur, et litteras communicabant, auctoritatem eis compararent, deinde quod protectione sua efficerent, ut libri irreligiosi in Gallia typis imprimerentur, vel in terris extraneis impressi clam inveherentur, magistratibus inquirentibus subtraherentur, auctores poenas decretas evaderent. Sed et faeminas nobiles multas et quasdam potentes, speciatim tales, quibus summi viri ad explendas suas libidines carnales utebantur, sophistae sententiis suis conciliabant. Tales faeminae eis praesidium et subsidium

comparabant, eorumque sententias aliis quoque persuadebant.

§. 846. Media ad cohibendam irreligionem frustra adhibita.

Non deerant, qui mala, ex propagata irreligione oriunda praevidentes, sophistarum progressus cohibere niterentur. Varia in hunc finem media tum a viris privatis, tum publica auctoritate adhibebantur. Inter illa pertinent diversi generis scripta, in quibus vel bona causa religionis, magno nonnunquam ingenio et multa eruditione defendebatur, vel sophismus in sua nuditate proponebatur, ridiculus reddebatur, mala ex eo oritura ob oculos ponebantur. Haud pauci sacerdotes etiam in sermonibus sacris calamitates, ex diffusa irreligione prodituras praenuntiabant. Clerus easdem regi Ludovico XVI. ad animum inducebat, atque ut malo, praesertim impiis scriptis obex poneretur, petiit. Reapse leges, quae contra ejusmodi scripta alioquin in Gallia existebant, saepius executioni dabantur, ista publice per manum carnificis comburebantur, eorum auctores custodiae tradebantur, aut aliis poenis afficiebantur. Sed haec et similia frustranea erant. Neglectum fuit axioma: principiis obsta etc. Sophistae technis suis et auxilio potentium, qui eis adhaerebant, omnia irrita reddebant. Rex intelligentia, fortitudine et constantia sufficienti destitutus, et aulicis ac ministris, principia irreligiosa et antimonarchica foventibus circumdatus, curiae senatoribus, religionem regiamque auctoritatem contemnentibus jam plenae erant. Etsi nonnunquam liber aliquis combureretur, tamen ejus exemplaria clam venumdabantur, eoque avidius et crebrius emebantur, quo major ejusmodi libri fama evadebat, ita ut subinde ipsi bibliopolae decretum de comburendo tali libro a se edito impetrare satagerent. Quos in Gallia typis imprimere non audebant, horum

editio in conterminis Belgii aut Helvetiae terris procurabatur, et exemplaria, indulgentibus telonariis, sententiis sophistarum magnam partem jam infectis in Galliam invehebantur. E contra cavillationibus, quas impii contra religionis morumque defensores effutiebant, incommodis et persecutionibus, quas eis parabant, nec non ope magistratuum virorumque potentium, qui eis adhaerebant, effectum est, ut libri eis oppositi aut typo prohiberentur, aut typographos et emtores vix invenirent.

Feller dictionaire historique. Barruel memoires du Jacobinisme. La Harpe du fanatisme de la langue revolutionaire. Mercier nouveaux Paris. Soulavie memoires du regne de Louis XVI. Proyart memoires du regne de Louis XVI. Ejusdem Louis XVI. dethroné, avant etre roi. Charactetschilderungen der Franzosen vor der Revolution. Frankreich vor der Revolution. Dyck Natur, Ursachen und Resultate der französischen Revolution. Henke lib. cit.

§. 847. Irreligio in Germannia. Ejus initia inter Protestantes.

Paulo serius quam in Gallia irreligio in Germannia invalescere coepit. Ibi, priusquam hoc fieret, varia acciderant, quibus animi ad illam praeparati erant. Talia erant: Christiani Thomasii insultus in praedicatores et theologos, qui in animis auditorum et lectorum existimationem religionis, a doctoribus vituperatis traditae labefactarunt; Pietistae, qui, dum religionem practicam potissimum urgebant, et de libris symbolicis minus magnifice sentiebant, plures ad opinionem perduxerunt, minus interesse, quid quis de doctrinis theoreticis sentiat. Superiori jam periodo inter Protestantes Germannicos non prorsus defuerunt viri, qui scripta religioni Christianae adversa in lucem emitterent. Prioribus saeculi 18. temporibus studium, linguam Gallicam et Anglicam discendi, inter eosdem

Protestantes magis magisque crevit, quo simul factum est, ut permulta scripta irreligiosa, in linguis illis composita cognoscerentur, Germannice verterentur, et sententiae in eis contentae a multis imbiberentur. Jamque nonnulli ex Protestantibus Germannicis principia et doctrinas, Christianae imo omni religioni adversas scriptis proponere coeperunt, quod inde ab anno 1735. primus fecit Christianus Edelmann, a. 1698. Weifsenfelsii in Thuringia natus, vir, qui pluribus sectis Lutheranis, a principali separatis, successive se adjunxit, diversas Germanniae regiones, pueris instruendis et libris scribendis vitam sustentans oberravit, et tandem a. 1767. Berolini mortuus est. Is in suis scriptis non tantum libros utriusque testamenti suppositos, Jesum merum hominem, divinam Trinitatem ex fabulis Judaicis et Ethnicis post synodum Nicaenam conflatam, creationem e nihilo, lapsum protoparentum, angelos et diabolos figmenta, totam Christianam et quamcuncque aliam religionem superstitionem esse contendit, sed etiam pantheismum aperte professus est. Cum stylo populari scriberet, suisque commentis jocos et cavillationes admisceret, eaque etiam ore aliis persuadere studeret; reapse multi, praesertim inter inferiores hominum classes, inter officiales civiles et militares, inter famulos, inter ipsas faeminas assensum ei praebuerunt. Animis ita praeparatis, a. 1740. Fridericus II. rex Borussiae thronum conscendit. Is principiis sophistarum Gallicorum, quantum ad religionem, addictus erat, quod ex parte inde venit, quia a patre suo, qui pietismum colebat, similiter ac olim imperator Julianus apostata habitus fuerat, et quia, cum adhuc adolescens esset, scripta irreligiosa sophistarum Gallicorum, quae propter facetias, leporesque et dictionis elegantiam ejus genio arridebant, cognoverat et adamaverat, atque cum primario illorum, Voltaero, familiarem amicitiam inive-

ret, quam usquequaque, datis etiam mutuis litteris, colebat. Cum Fridericus, magnis animi dotibus, quibus qua rex, qua bellidux pollebat, toto denique suo ingenio omnium admirationem excitasset; suo exemplo quam plurimos non tantum subditorum, sed etiam extraneorum ad irreligionem seduxit. Sophistae Gallici, quibuscum Fridericus conversabatur, et epistolas communicabat, quos honoribus et beneficiis afficiebat, hac rerum opportunitate egregie utebantur, ad sententias suas in terris Borussicis, ubi libros irreligiosos typis mandare jam licebat, verbo et scripto disseminandas. Praeterea rex universalem religionum tolerantiam suis in terris introduxit, qua factum est, ut omnis generis increduli ac irreligiosi securum in iis refugium invenirent, et sententias suas antichristianas libere propagarent. Ita res brevi eo devenit, ut in urbibus majoribus, praecipue Berolini, quam plurimi ex hominibus sic dictis cultioribus, religionem Christianam abjicerent, quamquam caeterum nullum certum systema religiosum tenerent, sed alii Deismum foverent, alii plane usque ad atheismum deflecterent. Haec defectio haud parum eo promovebatur, quod increduli philosophi, homines mente illustrata praediti, vulgi praejudiciis superiores censerentur, fidei e contra orthodoxae studiosi tanquam ingenia debilia vilipenderentur, variis nominibus ignominiosis compellarentur, imo velut homines illiberales, fanatici, humanitatis adversarii traducerentur. Haec irreligiositas etiam extra provincias Borussicas late per Germanniam Protestanticam propagata est, partim exemplis et scriptis illinc prodeuntibus, partim quia et ibi jam surgebant, qui similes sententias dictis et scriptis commendarent.

Büsching Character Friedrichs II. Zimmermann über Friedrich den Grofsen. Henke Kirchengeschichte 6. Theil. Stäudlin Geschichte der theologischen Wissenschaften seit der Verbreitung der alten Literatur. 2. Theil.

§. 848. Aliqui ex scriptoribus antichristianis inter Protestantes Germannicos.

Qui jam in universa Germannia Protestantica religioni Christianae, vel saltim characteristicis ejus doctrinis scripto adversabantur, praeter commemoratum Edelmannum, notatu digniores sequentes extiterunt: Car. Aug. Gebhardi, qui in libris suis, inde ab anno 1743. editis: Von der strengen Lehrart in der Theologie, et: Vernunftmäßige Betrachtungen, miracula et divinam religionis Christianae ac s. scripturae originem negavit; — J. Mich. de Loën, a. 1695. Francofordii ad Moenum natus, variisque in Germannia Borussica muneribus publicis functus. Is tum in aliis libris, tum praecipue in illo, quem a. 1750. sub titulo: Die einzig wahre Religion, publicavit, proprie religionem naturalem, retenta solum externa Christianismi specie commendavit, contendens, verae religionis summam consistere in observatione legis de amore Dei et proximi, et in fide in unum Deum, animique immortalitatem; illum verum Christianum esse, qui s. scripturam admittat, quodemumcuncque modo eam interpretetur; — Christ. Tob. Damm, rector gymnasii Berolinensis, qui in versione seu potius paraphrasi n. t., inde ab a. 1764. edita, aperte professus est, religionem Christianam, puram naturalem esse, efficacioribus motivis et egregiis rebus sperandis locupletatam, huicque conceptui versionem suam conformavit; in duobus autem libris, postea editis, nempe: Vom historischen Glauben, et: Ueber die Religion, v. t. velut complexum veritatum, errorum, et figmentorum diffamavit, atque etiam novum praejudiciis Hebraicis refertum esse contendit, Jesuque, qui ei merus homo erat, crucifixionem, resurrectionem, et ascensionem negavit; — J. Bern. Basedow, prius Altonae in gymnasio professor, postea rixis ibidem excitatis ad discessum coactus, auctor et moderator instituti paedagogici Des-

saviae, philanthropini dicti. († 1785.) Is in pluribus libris, inde ab anno 1764. editis, (Philalethie, oder neue Aussichten in die Wahrheiten und Religion der Vernunft bis in die Gränzen der glaubwürdigen Offenbarung; Methodischer Unterricht in der überzeugenden Erkenntniſs der biblischen Religion; Versuch einer freymüthigen Dogmatik nach Privateinsicht; Theologisches System der gesunden Vernunft; Vermächtniſs für die Gewissen; Vorschlag an die Selbstdenker des 19. Jahrhundertes zum Frieden zwischen dem wohlverstandenen Urchristenthum und der wohlgesinnten Vernunft) quamquam parum sibi constaret, et religionem Christianam ex vera revelatione divina descendere, Jesumque legatum divinum, modo supranaturali genitum esse concederet, Socinianis potissimum consentiens; positivas tamen seu mysteriosas Christianismi doctrinas omnes rejecit, et doctrinam ecclesiae ex theoriis Aegyptiorum, Chaldaeorum, Judaeorum, Platonicorum, Gnosticorum, male intellectis, et sex prioribus saeculis religioni Christianae admixtis conflatam esse contendit; — Guil. Abrah. Teller, prius theologiae professor apud Helmstadienses, postea praepositus Berolinensis. († 1804.) Is jam in suo: Lehrbuch des christlichen Glaubens, a. 1764. edito, Filii et Spiritus s. divinitatem, peccatum originale, aliasque doctrinas Christianas principales in ss. litteris fundatas esse negavit; in suo lexico novi testamenti, vocibus biblicis, e. c. Spiritus s., fides, baptismus, redemtio, significationes Deismo faventes subjecit; in suis Antithesen und Erläuterungen derselben, a. 1774. editis, et in libro: Religion der Vollkommenen, a. 1792. Berolini vulgato, religionem naturalem, Christiana perfectiorem, et in morum doctrina potissimum consistentem laudavit; — J. Salomo Semler, ab anno 1752. theologiae in universitate Halensi professor. († 1791.) Is inde ab anno potissimum 1760. non tantum plurima scripta, religioni Christianae minus consentanea ex

aliis linguis, Batavica, Anglica, Gallica in Germanicam transtulit, sed etiam non pauciora propria confecit, ordine, nexu, claritate, exacta rerum definitione et absolutione destituta, in quibus ope potissimum criticae et historiae omnes fere doctrinas positivas religionis Christianae impetiit. Speciatim plures libros biblicos totos, aliorum vero partes ex canone expunxit, multis locis, hactenus adduci solitis vim probandi abjudicavit, plura Jesu apostolorumque effata ex accommodatione ad erroneos auditorum conceptus derivavit, haud paucas doctrinas successive exortas et introductas fuisse docuit, alias inter meras sententias scholasticas retulit, denique facta distinctione inter religionem historicam, publicam, et moralem, posteriorem Christianis capacioribus convenire, atque in eo consistere docuit, ut historia et doctrina Jesu in n. t. descripta moraliter explicetur et ad practicos vitae usus transferatur.

§. 849. Continuatio.

J. Aug. Eberhard, prius praedicator Charlottenburgensis, postea philosophiae professor apud Halenses. († 1809.) Is in libro, a. 1772. sub titulo: Neue Apologie des Socrates, oder Untersuchung der Lehre von der Seligkeit der Heiden, edito, doctrinas de peccato originali, vicaria Christi satisfactione, de auxiliis gratiae divinae, praedestinatione, et poenarum aeternitate, in s. scriptura non fundatas, sanae rationi adversas, et moralitati noxias esse ostendere conatus est, atque universim in Deismum tetendit. In libro autem, recentiori tempore edito: Geist des Urchristenthums, religionem Christianam ex permixtione Orientalismi cum Hellenismo exortam fuisse docuit. — Hermannus Samuel Reimarus, philosophiae in gymnasio Hamburgensi professor. († 1765.) Is plura opuscula conscripserat, revelationi et libris sacris inimica, Jesuque et ejus apostolis maxime injuriosa, quae postquam diu manu scri-

ritatis vestigia prodidisse. Post novem annos reliqua adhuc fragmenta Guelpherbytana ab alio in lucem emissa sunt, odio et calumniis in Israelitas, eorumque libros sacros et viros illustres non minus, quam ignorantia rerum et genii antiquorum Hebraeorum plena. Universa illa fragmenta, imprimis quintum et sextum, quorum libera et impunis publicatio ostendit, quantos jam tum irreligio inter Protestantes progressus fecerit, partim propter editoris celebritatem, partim propter assertionum et sermonis audaciam, maximam attentionem excitarunt, plurimos lectores invenerunt, multos a religione Christiana abduxerunt, aliisque non paucis animum, eandem ulterius impugnandi addiderunt.

§. 850. Continuatio.

Gotthelf Samuel Steinbart, theologiae et philosophiae professor Francofordii ad Viadrum. Is in libro: System der reinen Philosophie, oder Glückseligkeitslehre des Christenthums, 1778. asseruit, Christum merum fuisse hominem, religionis naturalis doctorem, cujus essentiales doctrinae fuerint: existere spiritum perfectissimum et benignissimum, qui nonnisi felicitatem creaturarum rationalium intendit, et propterea vult, ut omnes mutuo se ament et adjuvent, atque in vita futura eas adhuc perfectiores et beatiores reddet. Caeteras religionis Christianae doctrinas vel ex dictis Jesu ab apostolis sinistre intellectis, vel ex involucris historicis plebis captui accommodatis, vel ex additamentis praesulum ecclesiasticorum, vel ex sententiis scholasticorum derivavit. — Car. Frid. Bahrdt, a. 1741. in Misnia natus, primum praedicator Lipsiensis, deinde pluribus in locis professor, postea director institutorum paedagogicorum, tandem caupo prope Halam Saxonum, ubi a. 1792. vitam finivit, homo vitiosus, inquietus, novarum rerum studiosus, impudicus, impudens, impostor, qui non erubuit confiteri, se mercedis causa, quam ab aliis accipiat, contra religionem Christianam scri=

bere. Is, postquam in nonnullis scriptis theologicis, a. 1769. et 70. editis, in quibus caeterum a doctrinis Christianis nondum recessit, systemata dogmatica, hactenus usitata acriter reprehendisset, et systema dogmaticei biblicum condere tentasset; a. 1773. versionem n. t. sub titulo edidit: Die neuesten Offenbarungen Gottes in Briefen und Erzählungen, cujus versionis editio tertia, a. 1783. procurata, inscripta est: Das neue Testament oder die neuesten Belehrungen Gottes und seiner Apostel. In hac versione, quae potius paraphrasis erat, sententias suas antichristianas detorsionibus plane arbitrariis textui sacro ita intexuit, ut doctrinae principales religionis Christianae de divinitate Filii et Spiritus s., de peccato originali, de vicaria Christi satisfactione, de fide, de justificatione etc. inde minime probari possent, imo penitus evanuissent. Cumque propterea a senatu imperii aulico a. 1778. fidei suae rationem reddere jussus fuisset, Halae in territorio Borussico, quo se securitatis causa receperat, fidei confessionem edidit, in qua non tantum suprarationales religionis Christianae doctrinas aperte rejecit, sed etiam sanae rationi adversas, scandalosas, et vim Christianismi sanctificantem enervantes nominavit, addiditque, multa Germannorum millia, eadem ac ipsum de eis sentire, et religionis reformationem, juriumque humanitatis ac conscientiae restitutionem desiderare. Postea impudentiora adhuc scripta vulgavit, velut: Kleine Bibel, quae erat abbreviatio v. t., in qua historia sacra in fabulam Romanensem mutata, et miracula ac vaticinia expuncta erant; Briefe über die Bibel im Volkston; Ausführung des Planes und Zweckes Jesu in Briefen an Wahrheit suchende Leser, in quibus operibus non tantum miracula et vaticinia negavit, ipsumque revelationis conceptum inanem esse asseruit, sed etiam fabulas de eruditione, quam Jesus adolescens acceperit, de ordine arcano, quem fundarit, confinxit, atque res ab eo gestas ex his aliisque hypothesibus plane arbitrariis ex-

plicare praesumsit. Cum Bahrdtius scriptis et fatis suis magnam nominis famam consecutus esset, cum sermone populari et stylo facili uteretur, figmentis suis speciem veritatis conciliare calleret, multa in asserendo confidentia uteretur, nec sine amoenitate et ad captum lectorum etiam indoctorum scriberet; libri ejus a plurimis omnis generis hominibus avide legebantur, ita ut ad irreligiositatem in Germannia propagandam Bahrdtius plus caeteris contulerit; — Christ. Ern. Wünsch, professor apud Francofordienses ad Viadrum, qui a. 1783. librum edidit sub titulo: Horus oder astrognostisches Endurtheil über die Offenbarung Johannis und über die Weissagungen auf den Messias, wie auch über Jesum und seine Jünger. In hoc libro historiae biblicae, doctrinae Christianae, et imagines apocalypticae ex figuris astronomicis antiquissimorum, progressu temporis sensu proprio intellectis derivantur, Jesumque variis rerum adjunctis, ejus aetate fortuito concurrentibus deceptum, se ipsum Messiam habuisse docetur. — J. H. Schulz, qui in: Beurtheilung der vertrauten Briefe, die Religion betreffend; in: philosophischen Betrachtungen über Theologie und Religion überhaupt, und über die jüdische insbesondere, aliisque libris, inde ab anno 1783. editis, biblia tanquam complexum phantasmatum, fabularum et fraudum, theologiam autem Christianam tanquam insaniam traduxit; — Jac. Mauvillon, informator scholae militaris Brunsvicensis († 1794.), qui in libro: Das einzig wahre System der christlichen Religion, 1787. varias doctrinas, rudissime conceptas et multa superstitione permixtas tanquam verum systema religionis Christianae proposuit, miracula et vaticinia explosit, ipsamque ethicam Christianam quasi obscuram, indefinitam, mancam, quae nimia postulet, hominem abjectum, ignavum, societati publicae inutilem, erga diverse sentientes intolerantem reddat, traduxit, denique Christianismo maxima mala

effecta, imprimis pessimum persecutionis studium, antea incognitum productum fuisse ostendere conatus est.

§. 851. Universalis bibliotheca Germannica.

Praeter illos, qui singulares libros religioni Christianae adversos scripserunt, ad eandem labefactandam non parum contulit opus aliquod, in quo libri ex omni scientiarum genere recensebantur, quodque nomine universalis bibliothecae Germannicae Christoph. Frid. Nicolai, bibliopola Berolinensis inde ab anno 1765. edere coepit, et usque ad annum 1792., editis 107 tomis continuavit. Ei in hoc opere edendo praeter alios hunc quoque finem propositum fuisse, ut religio Christiana ad Deismum reduceretur, (quod theologiam ab opinionibus scholasticis purgare dicebant) tum ex propriis ejus effatis, tum ex indole et argumento scriptorum in eo contentorum sufficienter intelligitur. Iis, quae Fridericus II. Borussiae rex, et libri irreligiosi sive Germannici, sive extranei, ante bibliothecam illam praestiterant, jam effectum erat, ut bibliopola Berolinensis ad opus suum exequendum ultra centum cooperatores, similiter ac ipse, quoad religionem, animo affectos colligere posset. Hi jam in suis librorum recensionibus omnes laudabant, qui a systemate ecclesiae suae recedebant, vituperabant, cavillabantur, ignominiosis nominibus compellabant, qui eidem inhaerebant, aut plane coeptis irreligiosis adversari audebant. Simul occasione recensionum sententias suas antichristianas proponebant, difficultates et dubia contra doctrinas orthodoxas movebant, easque, quo magis invisae et contemtae redderentur, admodum detortas et adulteratas sistebant. Gradatim autem hac in re progrediebantur. Ab initio formam tantum et methodum librorum dogmaticorum, ac sententias theologicas impetebant, postea auctoritatem librorum symbolicorum eversum ibant, quo facto doctrinas religionis mysteriosas et positivas impugnabant, seu ad sensum intellectui humano pervium detorque-

bant. Laudibus suis quamplurimos laudis cupidos ad sententias heterodoxas, quae solae laudabantur, deduxerunt, et vituperio suo quamplurimos, qui famam et tranquillitatem suam incommodis, ex defensione bonae causae metuendis praeferebant, ab hac absterruerunt, et ita quodam in republica litteraria dominio potiti sunt, cui quivis scriptor, qui publice traduci aut explodi nolebat, subjicere se debuit. Cum bibliotheca universalis propter notitias, quas de omnis generis libris suppeditabat, cunctis eruditis, qui statum et progressus disciplinae suae cognitos habere cupiebant, exoptata esset, adeoque a plurimis per totam Germanniam legeretur, sententiae Christianae, in ea propositae et commendatae hac quoque ratione latissime propagatae sunt. Hoc respectu bibliotheca universalis inter Germannos plus praestitit, quam inter Gallos encyclopaedia, quae praeterea absolutis cunctis articulis et ipsa absoluta erat, dum bibliotheca operationem suam tamdiu continuare poterat, quamdiu novi libri edebantur. Quot jam litterati per eam et per illos, quos ad similes sententias perduxit, a Christo ad meram rationem abstracti fuerit, cogitando quivis facile assequi potest. Hinc ab eo tempore, quo bibliotheca auctoritatem, et tandem dominatum obtinuit, i. e. ab anno circiter septuagesimo elapsi saeculi, numerus illorum, qui religioni vere Christianae adversabantur, mirum in modum crevit, non tantum inter profanos, sed inter ipsos etiam theologos, quorum permulti systema religionis, in ecclesia sua hactenus receptum deseruerunt, et licet non omnes aeque longe progrederentur, atque in sententiis et systematis suis plurimum inter se dissiderent, plerique tamen in sic dictum Christianismum originarium, i. e. in Deismum tetenderunt. Quorum caeterum diversi fines, et viae ad eos perveniendi, in historia theologiae fusius enarrabuntur.

§. 852. Alia, quae ad subruendam inter Protestantes religionem Christianam contulerunt.

Postquam scriptis, hactenus commemoratis, religio Christiana inter Protestantes Germannicos admodum labefactata et imminuta fuisset, inde ab anno 1781. philosophia Critica accessit, illiusque decrementum plurimum adhuc promovit. Ea enim omni religioni positivae aperte contraria erat. Imo sua doctrina fundamentali, rationis theoreticae principia pro mundo tantum sensibili valere, omnem proinde cognitionem, quae experientiam transcendat, certitudine carere, adeoque argumenta theoretica, quibus hactenus Dei existentia et immortalitas animi comprobari solebat, exiguae esse firmitatis, fundamentum omnis religionis concussit, quod sic dictis postulatis rationis practicae parum suffulciebatur, eo praesertim tempore, quo prava concupiscentia indies magis invalescente, ratio practica indies minus postulare solebat. In libro autem: Die Religion innerhalb den Gränzen der reinen Vernunft, 1792. auctor illius philosophiae omnia, quae in religione historica et positiva sunt et fidem requirunt, ut talia declaravit, quae nonnisi per aliquod tempus, usque dum ratio humana ad maturitatem pervenisset, ad rerum divinarum cognitionem et ad moralitatem promovendam provisorie adhibenda fuerint, et tandem, maturitate illa adducta, removenda sint, ut religio rationalis sola regnet. Quodsi perpenditur, quantum plausum philosophia Critica inter Germannos retulerit, quantum per omnes fere scholas propagata fuerit, ita ut sapere non videretur, qui ejus principiis non addictus esset; facile concludi potest, quot viri juvenesque per eam a religione Christiana abducti, aut in irreligione, jam antea adoptata firmati fuerint, praesertim cum a professoribus non paucis ad theologiam

applicaretur. — Inter illos, quibus severiora studia non arridebant, eundem effectum produxerunt libri alterius generis, cibus levior et palato jucundior, qui propterea eo avidius crebriusque ab innumeris omnis generis, sexus, et aetatis hominibus deglutiebatur, scripta nempe, ad sic dictas pulchras eloquentiae artes pertinentia, velut omnis generis poëmata, imprimis dramatica, itineraria, historiae ad labefactandam religiositatem selectae et detortae, praecipue vero fabulae Romanenses, quarum inde a Sebaldo Nothanker, (in quo bibliopola Nicolai, ejus auctor, qui eum a. 1775. in lucem emisit, praedicatores et doctrinas ab eis praedicatas risui et contemtui exposuit) ingens numerus in omnibus fere terris Germaunicis quotannis comparuit. Hi libri eo magis periculosi erant, quia in eis religio non directe impugnabatur, sed indirecte tantum, flagitiis aut ineptiis ministrorum religionis narratis, hominibus irreligiosis tanquam humanitate omnique virtutum genere amabilibus propositis, aliisque ejusmodi artibus, quasi praeter mentem auctoris impetebatur; quia universim amor et studium rerum sensualium irreligioni adeo favens animumque ad eam disponens eis nutriebatur; quia sententiae irreligiosae in eis contentae eo facilius altiusque animis insidebant, quo amoenior forma erat, sub qua proponebantur; quia scriptores acceptissimi et poetae celeberrimi, quorum libri in omnium fere cultiorum hominum manibus esse solebant, similes sententias simili modo proponebant. — Cum eodem tempore, atque per ipsos illos libros studium legendi inter inferiores quoque societatis classes longe lateque propagaretur, dici vix potest, quantum per eosdem irreligio aut saltim indifferentismus religiosus, et vilipensio Christianismi promota fuerit, speciatim etiam in sexu faemineo, quod eo funestius erat, quia hac ratione jam parvulis educatio religiosa decedebat, imo sensa irreligiosa instillabantur. Atque ut illi etiam, qui vel occasione vel

labant, quo in negotio per libros catecheticos, principiis rationalisticis paulatim conformatos, nec non per ludimagistros, mentis illustrationem non minus amantes, et in aliis promovere studentes, non parum adjuvabantur. Quibus omnibus religio Christiana, inter omnes hominum classes apud Protestantes ingens decrementum passa est.

§. 853. Media contra luem irreligiosam adhibita.

Non defuerunt inter Protestantes Germannicos, qui studio fidei suae orthodoxae agitati, scriptis antichristianis alia opponerent, in quibus illa refutabantur et veritas religionis Christianae solide nonnunquam et egregie vindicabatur. Verum haec scripta apologetica progressibus irreligionis cohibendis pluribus ex causis non sufficiebant. Cum enim genio saeculi non arriderent, a longe paucioribus legebantur, quam scripta contraria. Semidocti, quorum inter irreligiosos maximus erat numerus, vim objectionum multo magis intelligebant, quam vim solutionum, ad quam percipiendam saepe major mentis perspicacia et amplior eruditio requirebatur, adeoque apologiis veritatum Christianarum, si quas manu versabant, non movebantur. Scriptis irreligiosis in prava concupiscentia vel in intellectus superbia, cui patrocinabantur, firmissimum subsidium adfuit, quo religiosa vel apologetica penitus carebant. Apologetae ipsi nonnunquam hoc vitium committebant, ut quasi ad rei essentiam servandam plura adversariis concederent, quae sibi quidem minus essentialia videbantur, quibus tamen rejectis fundamentum revelationis, ad quam pertinebant, nihilominus labefactabatur. De talibus concessionibus adversarii gloriabantur, eis totum systema suspectum reddebatur, et apologetae, ut sibi constarent, paulatim plura concedere debebant, ac prius voluerant. Praeterea religionis Christianae adversarii apologetis eo quoque

praevalebant, quod auctores ipsos variis modis exagitarent, satyrico sale perfricarent, irrisionibus obruerent, ignominiosis stolidorum, superstitiosorum, obscurantium, bestiarum orthodoxarum, capitum ovinorum etc. nominibus compellarent, et his aliisque artibus tandem ad silentium adigerent. A regimine civili, cujus vel maxime interfuisset, hostes religionis reprimere, prioribus temporibus fere nihil praestitum est, quin imo plerique principes Protestantici maximam libros irreligiosos imprimendi libertatem concesserunt, et si non ipsi, tamen eorum administri et officiales impugnatoribus Christianismi favebant, defensores autem vilipendebant, et ad minimum nullo modo adjuvabant. Id inde venit, quia et ipsi sententiis antichristianis passim conciliati erant, et Fridericum Borussiae regem, quem in aliis non poterant, in fovenda saltim mentis illustratione imitari conabantur. Hac igitur in re adversarii religionis in Germannia longe majori libertate fruebantur, quam scriptores irreligiosi in Gallia, qui plerumque nonnisi in occulto, per ambages, et sub singulari protectione ac conniventia quorumdam regni administrorum et magistratuum scripta sua impia divulgare poterant. Caeterum tamen discrimen, quod inter irreligiosos utriusque nationis scriptores in universum intercessit, observari meretur. Galli passim omnem religionem impugnabant, atque ad materialismum et atheismum deflectebant; Germanni plerumque positivae tantum religioni adversabantur, et Deismum introducere studebant. Galli etiam morum doctrinam evertere conabantur, quam Germanni in universum intactam relinquebant, imo, quo fidei dogmata magis deprimerent, eo gravius commendabant. Galli plerumque assertionibus arbitrariis, ratione et eruditione destitutis, irrisionibus, calumniis, et armis a phantasia et pulchris artibus desumtis, religionem impugnabant; Germanni passim disquisitionibus, et rationibus theologicis, praesertim biblicis ac

historicis, et philosophicis utebantur. Hinc inter posteriores frequentius ipsi theologi religioni vere Christianae adversabantur, dum inter priores theologorum fere nullus et caeterorum clericorum pauci calamum contra religionem stringebant. Quamquam autem Germanni intra limites Deismi plerumque subsisterent, Christianismo tamen magis periculosi erant, quam Galli, siquidem hi, quorum consilia contra religionem manifesta erant, facilius caveri poterant, dum illi veram Christi religionem tueri se contenderent, et reformatorum personam induti Christianismum originarium, a fermento pontificio et scoriis Judaicis purgatum restituere pollicerentur, et sub formulis biblicis rationalismum auditoribus et lectoribus propinarent. — Serius demum, postquam malum per longas moras jam undequaque invaluisset, anno nempe 1788. Fridericus Guilielmus II., Friderici II. successor, religionis edictum edidit, quo doctrinas, libris symbolicis adversas, sive palam proponere, sive clam divulgare, praedicatoribus et ludimagistris sub poena depositionis interdictum erat, qua poena nonnemo immoriger reapse afficiebatur. Sed hoc et aliis quibusdam ejusdem regis institutis finis intentus eo minus obtinebatur, quia eo a. 1797. mortuo iterum abrogata fuerunt. Similiter obligatio de refroenanda irreligione, in capitulationem Leopoldi II. imperatoris inserta, omni fructu vacua fuit.

§. 854. Irreligio inter Catholicos in Germannia.

Paulo serius eadem irreligiosa lues etiam inter Catholicos in Germannia grassari coepit. Illata eis est partim ex Gallia, partim ex Germannia Protestantica. Nam scripta irreligiosa Gallorum etiam inter Germannos Catholicos clam irrepserant suosque lectores et asseclas invenerunt. Praeterea sophistae Gallici plures illorum, sive in Gallia morantes, sive per emissarios,

§. 855. Arcanae societates.

Ad irreligionem inter Germannos tam Catholicos, quam Protestantes propagandam posteriori tempore etiam arcanae societates plurimum contulerunt. Equidem societas liberorum murariorum origenetenus nihil contra religionem Christianam moliebatur, imo non alios, nisi huic addictos admittebat. Nihilominus progressu temporis primum in Gallia in diversos societatis conventus sophistae irrepserunt, qui jam principia sua, religioni non minus, quam potestati regiae adversa inter socios propagare non sine effectu studebant. Sed multo magis societates liberorum murariorum irreligione vitiatae eique propagandae accommodatae sunt, ex quo secta sic dictorum Illuminatorum eas occupavit. Auctor hujus sectae a. 1776. extitit Adamus Weishaupt, juris canonici in universitate Ingolstadiensi professor, cui post aliquot annos accessit Adolphus de Knigge, nobilis Hanoveranus, qui sine munere publico in variis Germanniae urbibus vixit, et inter alia libris scribendis operam dedit, vir, qui Weishauptum ingenio et astutia multum superavit, et ad sectam apte constituendam, bene ordinandam, et late propagandam plurimum praestitit, postea tamen, dissidiis, eum inter, et praepositum ordinis generalem Weishauptum ortis, ex eo iterum excessit. Ultimus hujus ordinis Illuminatorum finis non alius erat, quam omnis religionis et regiminis civilis abrogatio, in quorum locum dictamina rationis et regimen domesticum, quod patriarchale dicebant, poneretur, ita ut quivis paterfamilias simul rex et sacerdos suae familiae esset, et alii sacerdotes ac magistratus nulli existerent, imo ipsa familiarum in populum consociatio cessaret. Hic finis in supremis demum ordinis gradibus, magi et regis, pandebatur, ad quos per plures inferiores ascendendum erat, inter quos illis supremis proxime accedebant gradus presbyteri, cui substitutio religionis na-

quoad religionem, sive quoad civitatem foverant, consilia eorum, hac ratione cognita, variis modis promovere studebat. Igitur ab hoc tempore permulti, praesertim Berolini et in Germannia occidentali Illuminatis formaliter accesserunt, alii, praesertim scriptores irreligiosi tacitam saltim conjunctionem cum eis inierunt, et jam multo magis consiliis eorum convenienter scripserunt, id quod prae caeteris illi faciebant, qui in bibliotheca universali libros recensebant. Vice versa Illuminati nunc, adeo aucti, alias quoque ephemerides litterarias in suam potestatem redegerunt, suisque sententiis impleverunt, atque ad scripta religiosa inter Protestantes efficacius supprimenda clandestinam Jesuitarum conjunctionem, qua illi ad Catholicismum sensim sine sensu deducerentur, confinxerunt, qua fictione homines, religionis Evangelicae studiosi, a legendis libris religiosis detinerentur, dum metuerent, suam a Protestantismo ad Catholicismum traductionem illis intendi. Illuminati etiam consociationes liberorum murariorum in Gallia ad sua consilia pertrahere conati sunt, quem in finem a. 1786. duos suorum Lutetiam ablegarunt. Cum illae per sophistas, qui in eas passim jam irrepserant, et per scripta caeterorum ad principia et consilia eadem jam dispositae essent, legati Illuminatorum Germannicorum non sine fructu apud eas laborarunt; jamque in multis murariorum Gallicorum conventibus, illis gradibus, qui hactenus obtinuerant, loco altiorum Germannicorum sic dictae commissiones secretae, regulativae, et politicae additae fuerunt, quae fines ab Illuminatis intentos persequebantur, et quo eos promoverent, etiam conventicula ad libros legendos multis in locis erigebant et dirigebant, in quibus non tantum libri legebantur, sed etiam materiae, fines consociationum tangentes discutiebantur, atque ita animi plurimorum ex populo ad illam revolutionem quae non multo post erupit, praeparabantur.

gando perseveravit. Hi munere privabantur, locis suis, ipsa militari manu adhibita pellebantur, denique variis injuriis et violentiis afficiebantur. Haec praeludia sequentibus annis crudelissima clericorum persecutio totiusque religionis suppressio secuta est. Nemini illorum assignata pensio solvebatur; exactum ab eis, ut odium in regimen regium jurarent, plurimique eorum non alia ex causa, quam quod clerici essent, in carceres conjecti et pessime habiti, plurimi etiam crudeliter enecati sunt. Praecipue mense Septembri anni 1792., quo mense tot caedes Parisiis committebantur, etiam ultra 200 clericis omnis gradus et dignitatis, saecularibus et regularibus, inter maximos cruciatus vita erepta est. Similia Versaliae, Nemausi, Lugduni, Rhemis, aliisque in locis acciderunt. Tanquam victimae immanis crudelitatis, et feritatis inter Barbaros inauditae notari meretur sacerdos Lugdunensis, nomine Regni, eruditione omnique virtutum genere, praecipue beneficentia erga pauperes venerabilis, cui plebs Lugdunensis primum digitos abscidit, deinde viscera eripuit, denique caput amputavit, et membra dissecta transeuntibus tanquam reliquias obtulit; porro Alexander, decanus canonicorum Rhemensium, venerabilis senecio, quem praesente magistratu ad lentum ignem ultra horam assarunt, et quo ejus tormenta diutius durarent, semiustum a rogo removerunt, de ejus doloribus motibusque laetantes. Postea, ubi a caedibus sacerdotum paulatim abstinere coeperunt, clericos, qui se occultaverant, emigrandi licentia publice promissa e latebris elicuerunt; qui cum litteras ad iter faciendum necessarias peterent, vel comprehensi, et in carceres conjecti sunt, vel litterae eis datae, certo signo instructae, quod sicariis, ad limites constitutis innuebat, eos spoliandos aut enecandos esse. Qui cura publica in terras alienas deportabantur, pessime habebantur, variisque modis cruciabantur.

§. 858. Continuatio.

Anno 1793. rege decollato, et impia ac sanguinolenta factione terroristarum summa rerum potita, omnis religio publica auctoritate proscripta est, postquam Christiana jam dudum innumeris libellis tanquam libertati et aequalitati inimica diffamata, et atheismus publice commendatus fuisset. Postulatum igitur a clericis, qui jusjurandum civicum praestiterant, et constitutionales dicebantur, sub mortis comminatione, ut religionem solemniter abjurarent, populumque hactenus a se deceptum fuisse confiterentur. Reapse complures eorum animi adeo abjecti erant, ut in conventu nationali publice contestarentur, se falsam religionem docuisse, quam nec ipsi veram habuissent, quo facto muneris sui vestimenta et instrumenta a se projecerunt, pedibusque calcarunt, quod nominatim fecit Syesius sacerdos, qui inter promotores rovolutionis tantam nominis famam consecutus est. Lugduni Schallierus, (Challier) pariter sacerdos, in suggestu conventus Jacobinorum crucifixum confregit, pedibusque calcavit. Jamque religio Catholica et universa Christiana publice ludibrio habebatur. Templa passim diripiebantur, profanabantur, vasa sacra auferebantur et turpiter inquinabantur. Parisiis asinus, mitra episcopali aliisque vestimentis sacris indutus, a plebe, vasa sacra ex ecclesiis ablata, publice gestante, primo in conventum nationalem, his flagitiis applaudentem, deinde per urbis plateas ductus est. Similia Lugduni facta sunt. Weissenburgi in Alsatia omnes asini ex toto circuitu collecti, casulis aliisque vestimentis et paramentis sacris induti, speciatim circa aures collaribus clericorum Catholicorum et praedicatorum Protestantium contecti, in solemni processione, quam Jacobini talaribus, albis, rocketis etc. induti comitabantur, circumducti sunt. Processione finita omnia biblia, missalia, libri preces aut hymnos sacros continentes, rosaria, crucifixa, quotquot inveniri potuerunt, rogo in foro extructo injecta et concremata

sunt. Novum etiam calendarium introductum, in quo non tantum nullum festorum Christianorum vestigium, sed etiam in locum hebdomadarum decades positae erant; jamque diei decimae celebratio tam severe exacta, quam diei Dominicae celebratio prohibita fuit. Universim jam crimen erat, quod poena carceris aut plane morte mulctabatur, si quis vel levissimum signum cultus divini edebat aut habebat. Sic, ut ex innumeris exemplis aliqua tantum adducantur, mulier quaedam quae de sacra suppellectili, per stercus platearum raptata, consternata videbatur, ob hoc solum in carcerem conjecta est; alia propterea, quia prolem suam in frontem cruce signando instituerat. Atrebati homo quidam 60 annorum non alia ex causa mortis supplicio affectus est, quam quod ad Deum precatus fuisset. Hinc homines religiosi nonnisi in locis abditis actum quemdam cultus divini peragere aut functioni sacrae interesse audebant; hinc libelli precum, sacrae imagines, crucifixa et ejusmodi res, si quis eas retinere cupiebat, sollicite abscondendae aut in terram defodiendae erant. Loco religionis atheismus publice et in ipso conventu nationali praedicabatur. In ecclesia Parisiensi ad S. Rochum actor quidam scenicus, conscenso sacro suggestu horrendas contra Deum blasphemias effutiit, eumque provocavit, ut, si existat, id ostenderet, et vindictam exerceret. Ne autem Galli omni numine carerent, Parisiis actrix quaedam scenica, infamis meretrix, in splendido curru, crucifixo pedibus ejus substrato, in triumpho, comitantibus legislatoribus philosophis, per urbis plateas circumvecta, et tandem in ecclesiam cathedralem ducta est, ubi altari imposita praesentibus tanquam symbolum rationis, unici Gallorum numinis, in templo libertatis adorandi praesentata, ejusque in honorem thus concrematum et hymni decantati, sed et simul res turpissimae commissae sunt; populo jam adeo vitiato, et omni religionis honestatisque sensu privato, ut haec omnia approbaret, et tan-

tummodo de numinis sibi exhibiti deformitate miraretur. Abhinc templa Christiana, postquam antea direpta fuissent, vel vendita, vel diruta, vel in templa rationis mutata sunt, quod posterius fere cum 50,000 per universam Galliam factum est. Magnificum autem templum, quod Parisiis S. Genofevae honoribus dedicatum erat, in pantheon conversum, in quo cadavera Miraboji, Voltaeri, Russovii aliorumque hujus generis hominum recondita sunt.

Geschichte der kirchlichen Revolution in Frankreich, in Walchs neuester Religionsgeschichte, fortgesetzt von Planck. 3. Th. Montjoye lib. cit. Wichtige Anecdoten über die französische Revol. Prudhomme Geschichte der Irrthümer, Fehler und Verbrechen der franz. Revol. La Harpe du fanatisme. Histoire du siege de Lyon. Girtanner historische Nachrichten. Ejusd. Politische Annalen. Baruel histoire du clergé en France pendant la revolution. Carron die Glaubensbekenner in Frankreich am Ende des 18. Jahrhunderts. Aus dem Franz. übersetzt von Räſs und Weis.

§. 859. Continuatio.

Anno 1795., postquam factio terroristarum destructa fuisset, conventus nationalis quidem decrevit, quodvis cultus divini genus libere exercere licere; cum vero simul omnem clericis sustentationem denegaret, nullum pro cultu divino publice peragendo aedificium concederet, omnes extra locum sacri conventus caeremonias et signa religiosa prohiberet, imo omnes donationes pro cultu divino promovendo interdiceret; religio Catholica vix hinc inde exerceri poterat. Postea tamen aliquae ecclesiae nomine aedificiorum nationalium populo ad usum religiosum nonnullis in locis traditae sunt. Episcopis, qui a. 1797., ut de statu ecclesiae Gallicanae, et de reconciliatione cum pontifice ac episcopis, extra patriam degentibus deliberarent, Versaliae congregabantur, suam cum ecclesia Catholica communionem, suumque erga pontificem et concilium Tridentinum obsequium palam quidem profiteri licuit; attamen

ad religionem Catholicam restituendam, neque ab illis, qui tum erant, reipublicae legislatoribus et directoribus quidquam actum est. Quin imo, cum non sine indignatione et sollicitudine animadverterent, majorem populi partem ad religionem Catholicam profitendam et exercendam reverti; irreligiosi, sive atheistae, sive Deistae hujus reditus progressus, societatibus ad dogma suum profitendum erectis, impedire conati sunt. Equidem atheistae a. 1797. auctore Trelhardo, uno ex reipublicae pentarchis, talem consociationem inierunt, aperte homines sine Deo se nominarunt, et statuta sua sub titulo cultus ediderunt, inter quae jusjurandum erat, quo quivis, societati accedens, ad Dei existentiam, tanquam gravem et perniciosum errorem impugnandum obstringebatur. Eodem anno consociatio religiosa, quam priori jam ad finem vergente quinque patresfamilias Parisiis iniverant, sub auspiciis Revellerii Leposii, alius ex quinque directoribus reipublicae, auctoritatem publicam, proprium organismum, et firmitatem obtinuit. Socii Theophilanthropos se nominabant, et principales religionis naturalis veritates de Dei existentia et animi immortalitate, atque quasdam doctrinas morales de adorando Deo, proximo diligendo, utilitatem patriae procurando, relationibus liberorum ac conjugum conformiter agendo profitebantur, conventus sacros publicos agebant, et ritus quosdam religiosos, qui potissimum in praelectionibus, orationibus canticisque moralibus, nec non in actibus quibusdam symbolicis, in nativitate, copulatione, et sepultura sociorum peragi solitis constabant, in eis exercebant. Hoc Theophilanthroporum institutum ab initio quidem, maxime propter rei novitatem plurimis Deistarum placuit, atque etiam extra Parisios, ubi paulatim decem ecclesias acquisiverunt, in diversis Galliae urbibus introductum est. Ampla tamen incrementa aut singularem quamdam firmitatem, cum mera auctoritate humana r iteretur, nunquam obtinuit, imo illecebris novitatis evanescen-

tibus, a plurimis iterum desertum est. Postquam directorium versus finem anni 1799. abolitum fuisset, et Revellerius auctoritate publica excidisset, institutum Theophilanthroporum magis magisque intercidebat; exitium autem ei allatum est, cum, concordato inter rempublicam Gallicanam et pontificem Romanum ad religionem et ecclesiam Catholicam in Gallia restaurandam inito, a. 1802. conventus eorum in aedibus publicis a regimine prohibiti, seu ecclesiae eis ademtae fuissent.

Gregoire Geschichte des Theophilanthropismus, von seinem Ursprung bis zu seiner Erlöschung, in Stäudlins Magazin für Religion, Moral und Kirchengeschichte. Gottesverehrungen der Neufranken oder Ritualbuch der Theophilanthropen. Aus dem Französischen.

§. 860. Sedis apostolicae suppressio.

Revolutio in Gallia non solum hujus, sed et aliarum terrarum ecclesiae, imo ipsi sedi apostolicae perniciosa fuit. Qui hanc tum tenebat, Pius VI. Gallos, rem Catholicam evertentes, mox datis ad clerum et populum brevibus et bullis quam plurimis, ad saniora consilia, ad reditum in sinum ecclesiae revocare conabatur, cumque aliis mediis eorum coepta cohibere non posset, saltim principia ab eis proposita, actus ab eis commissos publicis litteris condemnabat. Cum bello inter Gallos et plures Europae principes exorto, et Italiae quoque illato, etiam Pius exercitum instruxisset, non ut Gallos debellaret, sed ut territorii sui limites tueretur; Napoleon Bonaparte, dux illorum, a. 1796. Austriacis saepius in Italia devictis, etiam territorium pontificium invasit. Quod ut ab hostibus liberaret, Pius anno sequenti Tolentini pacem cum Gallis fecit, quam nonnisi magno pretio, nempe cessione ditionis Avenionensis, a Gallis jam diu antea contra omne jus et fas occupatae, et trium provinciarum in Italia, nempe legationum Bononiae, Ferariae et Ro-

mandiolae, porro solutis 30,000,000 francorum, traditisque multis artis antiquae monumentis et manuscriptis pretiosissimis impetrare potuit. Sed ne his tantis quidem Galli contenti erant, qui potius dominium pontificium penitus abrogare, Romamque suae potestati subjicere meditabantur. Igitur Josephus Bonaparte, qui post pacem Tolentinam qua legatus Gallorum Romae morabatur, versus finem ejusdem adhuc anni 1797. plebem urbis ad seditionem excitavit, ita ut magnis clamoribus rempublicam Romanam annuntiaret. Qua occasione, cum Duphotius bellidux quidam Gallicus, qui milites pontificios, plebem tumultuantem dissipaturos gladio aggrediebatur, occisus esset; initio anni sequentis exercitus Gallicus, duce Berthiero Romam occupavit, quo facto respublica Romana proclamata, pontifex autem, qui mira animi fortitudine et fugam capere, et juribus suis in territorium ecclesiasticum renuntiare detrectabat, venerabilis 80 annorum senecio, ecclesiae Catholicae caput, cunctis rebus pretiosis orbatus, ab omnibus ministris et amicis separatus, maximis contumeliis, quales et cardinalibus aliisque nobilibus Romanis inferebantur, affectus, a militibus ferocibus, qui eum pessime habebant, ex urbe in urbem raptatus, tandem Valentiam in Gallia abductus est, ubi in arce munita custoditus, a. 1799. 29. Augusti animam Deo reddidit.

Pius VI. und sein Pontificat.

§. 861. Ejusdem restitutio.

Roma a Gallis irreligiosis occupata, pontifice longe a sede sua abducto, omnique regiminis ecclesiastici facultate privato, et tandem mortuo, cardinalibus dissipatis, irreligione inter Catholicos latissime propagata, Gallis in Italia dominantibus; ecclesia Catholica ad interitum perducta esse videbatur, amissoque capite, post aliquod tempus penitus emoritura. Sed felix rerum mutatio, quae jam ante mortem Pii VI.

§. 862. Restauratio ecclesiae Gallicanae.

Idem Napoleon, desiderium plurimorum Gallorum, religioni Catholicae fideliter inhaerentium noscens, simulque intelligens, societatem civilem sine religione publica vix consistere posse; ecclesiam Catholicam restaurare constituit, eumque in finem cum pontifice Pio VII., qui ad quaevis tolerabilia rata habenda promtum paratumque se exhibebat, a. 1801. sic dictum concordatum iniit. Eo quidem cultus et clerus Catholicus admodum limitatus, et regimini civili etiam in rebus ecclesiasticis totus subordinatus fuit; pronuntiatum tamen, religionem Catholicam eam esse, quam longe maxima pars civium Gallicorum profiteatur, eamque publice et libere profiteri et exercere licere. Episcopatus iterum resuscitati, quamvis eorum numerus, qui ante revolutionem in sola Gallia propria 130 effecerat, nunc in Gallia, per terras Belgicas, Germannicas et Italicas ampliata ad 50 episcopatus et 10 archiepiscopatus restringeretur. Clericis congrua sustentatio assignata, ita quidem, ut archiepiscopis 15,000, episcopis 10,000, parochorum aliis 1500, aliis 1000 francorum quotannis ex aerario publico solverentur. Promissum, ut sufficientes pro cultu Dei Catholico ecclesiae, item aedes pro episcopis et parochis aut redderentur, aut novae compararentur et sustentarentur. Concessum, ut pro clericorum sustentatione et cultu divino fundationes facere liceret. Episcopis libertas facta, apud suas ecclesias capitulum cathedrale et seminarium erigendi, non tamen a regimine sustentanda. Hoc concordatum a. 1802. a tribunatu inter leges publicas relatum, promulgatum, et effectui datum est. Ab hoc tempore religio Catholica in Gallia revixit, ecclesiae iterum frequentabantur, solemnitates et processiones religiosae restituebantur, fundationes quoque haud paucae pro clero et cultu divino fiebant.

Storia di pontificato di Pio VII. dal sua essaltatione fino al ritorno 1814. Due tomi. Reinhard Organisation des Religionswesens in Frankreich.

§. 863. Ecclesiae Germannicae vastatio.

Eodem fere tempore, quo ecclesia Gallicana aliquomodo restaurabatur, Germannica extra provincias Austriacas plurimum vastata est. Haec vastatio prodiit ex pace, quam Austria et Germannia a. 1801. Lunaevillae cum Gallis fecerunt. Vi hujus pacis pars Germanniae transrhenana Gallis cedenda fuit, quo facto mox decreto quodam consulari omnes fundationes ecclesiasticae ibidem sitae abolitae, ac proinde cuncta quarumcuncque ecclesiarum et corporum ecclesiasticorum bona a regimine civili occupata, capitula et congregationes monasticae dissolutae, episcopis autem et parochis annua pecuniae summa, in concordato Gallicano definita assignata est. Ex ipsis episcopatibus sequentes tantum conservati sunt: Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis Aquisgranum translatus, Leodiensis, Namuriensis, Ternacensis, Gandavensis, omnes sub archiepiscopatu Maliniensi constituti, et novis dioecesium limitibus intra Galliam contentis circumscripti. Ii quoque novo concordato Gallicano suberant. Deinde eadem pace Lunaevillana statutum erat, ut principes Germannici saeculares, qui territoria quaedam trans Rhenum possederant, ex bonis ecclesiasticis cis Rhenum sitis indemnes praestarentur. Ad hoc negotium perficiendum, imperium aliquam deputationem elegit, quae suo decreto, quod recessus dictum, et a. 1803. conclusum est, ecclesiae Germannicae maximum detrimentum attulit. Nam deputationi isti, in quam Galli maximam, imperator minimam potestatem exercebat, statutam compensationem definire non suffecit, sed omnia omnino bona ecclesiastica tam Protestantium quam Catholicorum, sive immediata sive mediata, quae bona amissa longe excedebant, principibus

compensandis tum ad sumtus cultus divini et institutionis litterariae inde sustinendos, tum ad alia instituta et universam utilitatem publicam promovendam, tum etiam ad ipsorum redditus augendos, attamen sub expressa conditione adjudicavit, ut ex iisdem etiam ecclesiae cathedrales, quae conservandae sint, fixam dotationem, et clerici ac monachi annuas pensiones acciperent. Ipsa saecularis dominii jactura pro ecclesia Germannica admodum tristis erat, quippe qua independentiam suam amisit. Sed principes indemnes praestiti paulo longius progressi sunt, et non tantum bona ecclesistica occuparunt, sed etiam corpora, a quibus hactenus possessa fuerant ipsa, speciatim monasteria cuncta sustulerunt. Clericis monachisque pensiones quidem annuae, inter quas satis tenues erant, assignatae, et episcopis pristinae dioeceses, aut residuae earum partes regendae commissae sunt; sed decreta ecclesiarum cathedralium dotatio nullibi effectui dabatur. Hinc, cum episcopi, canonicis passim dilapsis aut mortuis, capitula nulla haberent, nec facultates ad alias ecclesiarum indigentias necessariae suppeditarentur; plures illorum, regimine ecclesiarum suarum se abdicarunt, cumque alii paulatim morerentur, pleraeque ecclesiae Germannicae post aliquot annos praesulibus orbatae erant. Unica ecclesia ex recessu deputationis imperialis intacta conservata, imo novis praerogativis et possessionibus aucta fuit, nempe Ratisbonensis, quacum dignitas electoratus et archicancellariatus imperii, nec non primatus et metropolia totius Germanniae extra provincias Austriacas et Borussicas conjuncta fuit, cuique territoria, quae ecclesia Moguntina cis Rhenum possederat, et alia quaedam adjuncta sunt. Verum et haec ecclesia post aliquot annos spoliata est. Napoleon enim ejus territorium, intra Bavariae limites situm, regi Bavariae subjecit, et caeteras primatis possessiones, novis quibusdam auctas, a. 1810. in magnum ducatum saecularem Francofor-

sus fecit, cum causae, ex quibus priori tempore tam late propagata fuerat, pleraeque non tantum aucta vehementia perdurarent, sed etiam novis quibusdam multiplicarentur. Talis erat exemplum, quod impii in Gallia, suppressa omni religione praebebant. Cum enim multi Germannorum principia et acta Gallorum, statum civilem invertentium, et incircumscriptam libertatem, seu potius libidines explendi licentiam introducentium, approbarent, etiam religionem, quam illi velut libertati et aequalitati inimicam proscripserant, secundum eorum exemplum odio, contemtu, irrisione, persequebantur. Accessit invasio et occupatio Germanniae, toties usque ad recentissima tempora repetita per eosdem Gallos, quorum milites, plerique irreligiosi ad impietatem etiam inter plebem Germannicam propagandam haud parum contulerunt. Libri irreligiosi, quamquam tales, in quibus religio Christiana ex professo impetebatur, recentiori tempore rarius comparerent, tamen sine intermissione novi, et aucta vehementia ac impudentia insignes, in lucem edebantur. Tales erant: Christ. Lud. Paalzow, publico munere in Borussia functi Hierocles oder Prüfung und Vertheidigung der christlichen Religion. 1785. Celsus oder neueste Prüfung und Vertheidigung der christlichen Religion. 1791. Porphyrius oder letzte Prüfung und Vertheidigung der christlichen Religion. 1793. Freret über Gott, Religion und Unsterblichkeit. 1794. Geschichte der religiösen Grausamkeiten. 1800. In his libris auctor, qui inter maximos calumniatores et conviciatores religionis Christianae pertinet, Apollonium Thianaeum eodem, quo Christum loco ponit, (quod et Wielandus in suo Agathodaemone fecit) omnia argumenta pro veritate et divinitate religionis Christianae explodit, revelationem fieri posse negat, omnem religionem, revelationi superstructam nonnisi vi et mendacio conservari posse contendit, religionis ministros conviciis et nominibus ignominiosis obruit, Deum Christianorum perfidum et san-

guinolentum esse mentitur, omnia flagitia et scelera, a Christianis unquam commissa, eorum religioni imputat; — Andreae Riem: Ueber Aufklärung zwey Fragmente. 1788. Christus und die Vernunft, oder Prüfung der Wahrheit und Göttlichkeit der Lehre Jesu, des christlichen Lehrbegriffs, und der symbolischen Bücher. 1792. Das reinere Christenthum, oder die Religion der Kinder des Lichts. 1795. Reines System der Religion für Vernünftige. 1793; — Carol. Venturini: Natürliche Geschichte des grofsen Propheten von Nazareth. 3 tomi. 1800 — 1802. Jesus der Auferstandene, Nachtrag zur natürlichen Geschichte. 1802. Geschichte des Urchristenthums, im Zusammenhange mit der natürlichen Geschichte etc. 1807. in quibus libris Jesus consilia sua ope potissimum Essenorum, quorum ordini clam conjunctus fuerit, et deceptionibus effectui dedisse fingitur. G. C. Cannabich, Critik der practischen christlichen Religionslehre. Lipsiae. 1810. quo libro moralis Christiana secundum principia philosophiae criticae ut talis vituperatur, quae non ex toto rationi consentanea sit, motivis sensualibus indulgeat, fundamentis minus veris, solidis et puris nitatur; — auctorum anonymorum: Satyrische Biographien der Altväter und Apostel. 1789. Das Theater der Religionen oder Apologie des Heidenthums. 1791. Die Stunden der Andacht, opus ex multis tomis constans, quod a. 1809. primum comparuit et adhuc continuatur, eo magis periculosum, quod sub velo pietatis et devotionis consilia sua antichristiana abscondat, quae vero in posterioribus tomis magis magisque in lucem prodierunt, unde recentissimo tempore in ipsis terris acatholicis, in Russia et Suecia, publica auctoritate prohibitum est. Praeterea numerus illorum theologiae professorum, qui in suis praelectionibus et in libris theologicis a se editis religioni Christianae et omni revelationi diserte adversabantur, continuo crevit, ita ut in paucioribus scholis inter Protestantes in Germannia characteristicae doctrinae

Christianae tradantur, in cujus rei exemplum hic loci institutiones theologiae Christianae dogmaticae adduxisse sufficiat, a Jul. Aug. Lud. Wegscheider, theologiae in universitate Halensi professore a. 1815. editas, quae tantam inter Protestantes approbationem nactae sunt, ut in pluribus academiis in usum praelectionum publicarum introductae fuerint, et intra 7 annos ter typis recusae. Similiter praedicatores, doctrinas Christianismo proprias tenentes et docentes, continuo rariores apparuerunt, ut nihil dicatur de illis, qui iisdem doctrinis in suis ad sacram concionem et juventutem scholasticam sermonibus aperte adversantur, quo fit, ut religio Christiana etiam inter plebem magis magisque decrescat.

§. 865. Continuatio.

His omnibus res eo devenit, ut theologiam jam expirasse proclamarent, et auctor libri: Aphorismen am Grabe der Theologie. 1802. naenias ad ejus sepulchrum caneret; ut complures infantibus suis baptismum velut caeremoniam inutilem et superstitiosam conferri recusarent; ut quidam pagus in marchionatu Brandenburgico a regimine licentiam peteret, religionem naturalem publice profitendi; ut denique scriptores, velut Dassel in libro: Ueber den Verfall des Religionscultus. 1818. cultus divini publici, institutionis religiosae in scholis tam superioribus quam inferioribus, totius denique ecclesiae abrogationem publice suadere non vererentur, eo, quod istae res mentis illustrationi hodie dominanti repugnent, et efficaciam suam jam amiserint. Sed ut ejusmodi religionis Christianae abrogatio publica auctoritate perficiatur, summi principes Protestantici longe absunt, quorum plures varia potius edicta ad systema orthodoxum sustentandum emiserunt, imo ad ipsam rem Catholicam suis in terris ordinandam animum adjecerunt; quem in finem, postquam rex Bavariae a. 1817. concordatum

suffraganeis: Rothenburgensi ad Nicerum in regno Würtembergensi, Moguntino in terris magni ducis Darmstadiensis, Fuldensi in terris principis electoris Hasso-Casselensis, Limburgensi ad Lahnam in ducatu Nassoviensi. His caeterisque institutis ecclesiasticis per conventiones inter pontificem et principes sancitis, non quidem indigentiis ecclesiarum Germannicarum ex aequo consultum est, interim tamen vel ex iis ecclesiae Germannicae salus sperari potest, dummodo impedimenta, a sensu profano et irreligioso frequenter objecta removentur.

Vater Anbau der neuesten Kirchengeschichte. Neueste Einrichtung des katholischen Kirchenwesens in den preufsischen Staaten.

§. 866. Status religiosus in Gallia.

Concordato, quod respublica Gallicana cum sede apostolica iniit, et iis, quae vi hujus concordati in favorem ecclesiae Catholicae in Gallia facta sunt, minime tamen effectum est, ut irreligio et impietas ibidem decrementa pateretur. Nam regimen civile, et imperator Napoleon ad religionem Catholicam promovendam, et irreligionem minuendam non multum egit, quin sua cleri vilipensione, suisque in pontificem ausis ad istam firmandam et promovendam haud parum contulit. Iisdem ausis effectum est, ut multae ecclesiae, praesulibus suis orbatae novis non providerentur. Universim episcopi Gallicani propter varia impedimenta et propter genium saeculi sufficientem numerum clericorum colligere non poterant, unde factum est, ut plurimi coetus ecclesiastici sine pastore, sine institutione religiosa essent. Libri impii, quos saeculum elapsum produxerat, tum quidem nec novis editionibus, nec similibus recens compositis multiplicabantur, cum Napoleon ipse periculum, cuivis potestati ex eis enascens, minime contemneret. Iidem tamen in plurimorum manibus erant; cumque principia et sententiae ir-

religiosae in iis contentae ore saltim communicarentur, exempla irreligionis frequentissima quotidie obversarentur, et generatio succresceret, quae durante revolutione adoleverat, nullamque institutionem religiosam perceperat; incredulitas ac impietas non potuit non incrementa continuo majora capere. Hic rerum status deterior adhuc redditus est, postquam Napoleone dejecto, a. 1814. pristina dynastia iterum ad regnum pervenisset. Quamquam enim novus rex optimo erga religionem Catholicam ejusque clerum animo esset; tamen partim constitutione regni, secundum quam populi procerumque consensus ad novas leges ferendas necessarius est, partim genio nationis, irreligiosis hominibus plenae, in religione efficacius promovenda impediebatur. Ille quidem meliorem clero sustentationem a cameris impetravit, annoque 1817. conventionem cum pontifice inivit, qua concordato anni 1801. pristinum, inter Leonem X. et Franciscum I. initum substituebatur, augmentum episcopatuum, et dos ecclesiae ac clero in fixis redditibus conferendus decernebatur. Verum haec conventio a cameris, quarum consensus ad ejus valorem requirebatur, reprobata est, tum propter augmentum episcopatuum, quod eis nimium videbatur, tum quod plura contineret, sic dictis libertatibus ecclesiae Gallicanae, et speciatim quatuor articulis sub Ludovico XIV. statutis adversa, maxime vero propterea, quod fidem facere omisisset, illos, qui bona ecclesiastica possident, ab ecclesia nunquam inquietandos fore, quam tamen fidem pontifex in singularibus litteris fecit. [1]) Quod vero maxime ad fructus religionis ac ecclesiae restauratae impediendos et ad irreligionem inter Gallos continuo latius diffundendam inserviebat, erant libri irreligiosi ac impii, qui favente libertate typographica, publica regni constitutione sancita, tanta multitudine typis exscribebantur, ut praeter nova hujus generis scripta non pauca, ab anno 1817. usque ad finem hujus periodi, multa

centena voluminum millia operum Voltaeri, Russovii, Diderotii, Dalamberti, Helvetii, et caeterorum irreligionis apostolorum iteratis curis, et diversis formis, ut etiam minus opulenti ea sibi comparare valerent, divulgarentur. Ad hunc libertatis typographicae abusum coercendum, regimen quidem a. 1819 a populo deputatis legem proposuit, qua scripta, ethicae publicae aut bonis moribus adversa, ut delicta contra libertatem typographicam poenae subjicienda statuerentur. Nihilominus ipse regni administer, qui legem proposuerat, et permulti deputatorum illis repugnarunt, qui, ut etiam libri religioni adversi eadem lege comprehenderentur, postulabant, totumque, quod hi impetrare potuerunt, in eo consistebat, ut loco ethicae publicae ethica religiosa in lege poneretur. [2])

[1]) Lanjuinais appreciation de la loi relatif aux trois concordats. De Pradt les quatre concordats. Clausel de Montal le concordat justifié.

[2]) Memorial Catholique. May 1825. Der Katholik. October 1825.

§. 867. Continuatio.

Eodem circiter tempore sacerdotes, salutis animarum studiosi, diversas Galliae partes qua missionarii peragrare coeperant, populumque sacris sermonibus ex impietatis coeno ad Jesum Christum reducere satagebant. His turba impiorum maxima vi se opposuit. Non tantum scripta, irrisione, conviciis et calumniis plena contra eos vulgabantur, non tantum libelli supplices congregationi deputatorum exhibebantur, quibus, ut missionarii functionibus suis prohiberentur, flagitatum, eo quod contra regimen, constitutionem, et publicum rerum statum doceant, ac turbas excitent, sed etiam pluribus in locis, nominatim Brestiae, contra eos surrexerunt, plebem in seditionem concitarunt, eoque magistratum et episcopum ad eos amovendos adegerunt, discedentes autem maximis contu-

meliis affecerunt, qua occasione nefandae exclamatio-tiones auditae: Perdantur sacerdotes! Perdatur Jesus Christus! Parisiis vero, anno adhuc 1822. jurium et artis medicae studiosi, quibus multi ex plebe se aggregarunt, aditus ad ecclesias, in quibus missionarii sermones quadragesimales habebant, imo ecclesias ipsas occupabant, variisque insolentiis et violentiis partim praedicatores ad silentium, partim auditores ad discessum adigere conabantur; imo lapides per fenestras injecti, quibus reapse unus ex concionatoribus vulneratus est. *) Ad has impietates accedebant scripta impia, magno studio propagata, sive vetera, novis curis edita, sive recens confecta, inter quae talia erant, quae non minori impudentia, quam insania religionem Catholicam tanquam eam, qua morum corruptela, politica fraudulenta, et despotismus promoveatur, traducebant, atque ut ei aliud institutum morale substituatur, suadebant. Talia erant, quae episcopi Gallicani in litteris 30. Maji anni 1819. ad pontificem datis, deplorabant, et ex quibus interitum religionis Catholicae in Gallia augurabant. Ibidem de paucitate operatorum in vinea Domini continuo crescente conquesti sunt. Interim tamen novissimis annis status ecclesiae Gallicanae laetior redditus est. Anno nempe 1822. consentientibus cameris, conventione provisoria inter regem et papam inita, numerus episcopatuum ad 80 elevatus est, qui anno sequenti jam omnes, praesules suos habebant. Similiter capitula cathedralia, seminaria, et scholae theologicae ac propedeuticae erectae sunt, et jam a sufficienti numero discipulorum frequentabantur. Eodem anno 1825. ii, qui presbyteri ordinati sunt, mortuos numero ducenario quidem superabant, nihilominus ultra tredecim adhuc animae curatorum millia ad loca vacantia explenda requirebantur. Piae donationes et legata, illo anno acceptata, vicies fere centena francorum millia effecerunt. Eodem anno e decreto regiminis multa

aedificia pro seminariis aliisque institutis ecclesiasticis reddita sunt. Nec desunt congregationes clericorum et monialium, praesertim fratrum piarum scholarum, et Ursulinarum, nec consociationes laicorum, praesertim in dioecesi Burdegalensi, ad varia pietatis opera, velut ad instituendam juventutem, ad propagandos bonos libros, ad promovendas missiones, ad aegrotos visitandos*. His omnibus haud vana spes concipi potest, Salvatorem non permissurum, ut ecclesiae suae in Gallia portae inferi praevaleant.

*) Chronique religieuse. 1819.

§. 868. Status religiosus in Helvetia et Batavia.

Quamquam Christianismus in Germannia et Gallia majus quam in aliis regnis decrementum passus est, tamen nulla fere est terra Europaea, in quam irreligio non irrepserit, et magis vel minus late propagata fuerit. Helvetia eo citius ab eo inficiebatur, quod Galliae contermina esset, et Voltaerus ipse in ejus vicinia sedem suam fixisset. Hinc jam sexagesimis saeculi 18. annis ditio Genevensis et Bernensis hominibus, qui fidem in Christum abjecerant, plena erat. Sequiori tempore scriptis antichristianis Gallorum et Germanorum etiam in aliis ditionibus permulti ad irreligionem traducti sunt, praecipue in illis, quae fidem Calvinianam profitentur. Quanta horum multitudo, quantum eorum in religionem Christianam odium versus finem saeculi 18. fuerit, inde ab anno potissimum 1798. apparuit, quo tempore ope Gallorum, qui Helvetiam invaserant, summa rerum potiti, ecclesias expilabant, instituta ecclesiastica abrogabant, religionis ministros proventibus privabant et consiliis publicis excludebant. Ipsae novae constitutiones reipublicae Helveticae, quae tunc temporis condebantur, non tantum illa violentiae acta sanciverunt, sed etiam ulterius progressae omnia bona ecclesiastica civitati adjudicarunt, (quae ea alie-

nare possit, sicut reapse pars eorum alienata est) et ministris religionis omnem ex aerario publico sustentationem denegarunt. At inde a posteriori tempore anni 1801., introductis novis constitutionibus reipublicae, etiam illa decreta ecclesiae perniciosa abrogata sunt, et paulatim prior status ecclesiasticus restitutus est; ipsa tamen irreligio, ex qua violentiae illae erga ecclesiam prodierunt, non multum decrevit, quamquam in universum religiosus scepticismus, indifferentismus et rationalismus inter Helvetios Acatholicos (Catholici enim fidei suae plerique inhaeserunt) non adeo late propagatus sit, quam inter Protestantes in Germannia. [1]) — In Belgio foederato jam superiori periodo partim per Arminianos, partim per Socinianos e Polonia illuc profugos, partim etiam per Spinozam sententiae antichristianae disseminatae fuerant. Saeculo 18. numerus eorum, qui tales fovebant, per scripta Anglorum, Gallorum, et Germannorum, nec non per invasionem Gallorum haud parum auctus est. Constitutione reipublicae agentibus iisdem Gallis mutata, praedicatoribus aliquamdiu quidem omnis sustentatio ex aerario publico denegabatur, violentiae autem in ecclesiam nullae committebantur, atque paucos post annos etiam illa denegatio cessavit, et status ecclesiasticus pristinus fere totus rediit. Quamquam autem maxima pars Batavorum in religione Christiana perseveraret, tamen haud pauci eorum, ipsorum etiam theologorum, non tantum a doctrina Calvini discesserunt, sed etiam viis supra commemoratis usque ad rationalismum et naturalismum pervenerunt. [2]) Belgio Catholico, quod usque ad revolutionem Gallicam exceptis fortasse singulis, religioni Catholicae fideliter inhaerebat, irreligiosa lues maxime per Gallos, terram istam occupantes et tenentes illata, et accedentibus Gallis, qui dejecto Napoleone eodem se receperunt, jam adeo propagata est, ut amici religionis Catholicae novissimis annis necessarium duxerint, in a-

cietatem, quae Bruxellis sedem suam habet, coire, atque ita junctis consiliis viribusque menti Catholicae et morum emendationi promovendae operam dare.

[1]) Wirz helvetische Kirchengeschichte. 5. Band. 1819.

[2]) Ypey und Dermaut kurzgefafste Geschichte der niederländisch-reformirten Kirche von ihrer Stiftung bis auf den heutigen Tag. 1820.

§. 869. In Anglia.

In Anglia, ubi scriptis antichristianis supra enarratis irreligio sat late propagata fuerat, etiam recentiori tempore plures religionem Christianam et cunctam revelationem singularibus scriptis impetierunt. Inter hos maximam nominis famam consecutus est Thomas Paine, qui aliquamdiu conventui nationali Gallorum adsociatus erat, eodemque tempore plura scripta irreligiosa edidit, e quibus notatu digniora sunt: aetas rationis, et disquisitio de theologia vera et fabulosa, 1794. 2 tom., et tractatus de cultu divino, non multo post in lucem emissus, in quibus libris auctor, magna historiae, linguarum, et rerum antiquarum ignorantia laborans, et leviter ratiocinans, sed decretorio ac protervo sermone utens conceptus revelationis, miraculorum, et mysteriorum inanes esse ostendere conatus est, atque genuinitatem et axiopistiam librorum sacrorum impugnavit. Antichristiani in Anglia etiam in societates ad Deum secundum suos conceptus colendum nonnunquam coierunt. Jam prioribus saeculi 18. annis Thomas Emlyn, praedicator Dubliniensis, sed propter Socinianas de P. F. et Sp. s. sententias, a. 1702. singulari libro vulgatas, munere privatus et pecunia mulctatus († 1741.) Londini connivente magistratu parvum coetum hominum, principiis Socinianis addictorum collegit, coram quo diebus Dominicis sermocinabatur. Ii tamen paulatim ultro dilapsi sunt. Anno 1773. Theophilus Lindsey, praedicator in comitatu Eboracensi, deposito munere Londini annuntiavit, se

[1]) Magazin für Religion, Moral und Kirchengeschichte, von Stäudlin. 1 Bd. 2 St. Ueberhaupt: Stäudlin allgemeine Kirchengeschichte von Grofsbritannien.

§. 870. In Dania, Suecia, Polonia, Russia.

Regna septentrionalia jam vivente Voltaero ab irreligione infecta fuerunt, cum reges eorum huic impietatis antesignano, ejusque sociis plurimum faverent, eorum scripta laudarent et admirarentur, litterasque cum eis communicarent. Si hoc regum exemplum ab initio pauciores ex aulicis et nobilibus secuti sunt, posteriori tempore scripta Germannorum antichristiana, passim in linguam Danicam et Suecicam translata, eo plures ex litteratis et cultioribus hominibus a Christianismo abduxere. Anno 1818. quidam praedicator Suecicus, nomine Tybek, propter duos libros, quorum altero divinam Trinitatem, altero libros symbolicos impugnaverat, a consistorio Holmiensi accusatus, attamen a tribunali de libertate typographica judicante absolutus est, quo non obstante superiores ecclesiastici munere sacro eum privarunt. Universim in Suecia orthodoxia Lutherana plus quam in aliis terris conservata est. — Poloniae irreligio pariter jam tempore Voltaeri illata est, partim per nobiles, qui ad mores suos excolendos frequenter in Galliam proficiscebantur, partim per Gallos, qui in Polonia, qua paedagogi, qua instructores in arte saltandi et dimicandi, qua famuli, qua coqui, vitae sustentationem aut meliorem fortunam apud nobiles quaerebant. Posteriori tempore irreligio per ipsum genium saeculi, per scripta extranea, per arctiorem cum Gallis conjunctionem, multum inter Polonos, speciatim inter homines cultiores propagata est. — In Russia jam ipse Petrus Magnus imperator complures subditorum suorum, praesertim ex aulicis militumque praefectis, exemplo suo ad incredulitatem et contemtum religionis seduxit. Quamquam enim religionem patriam minime abjiceret, tamen par-

tim liberiori sua sentiendi ratione, partim principiis irreligiosis leviorum quorumdam Gallorum, quibuscum familiariter conversabatur, eo usque abripi se passus est, ut ritibus et personis sacris, mimica eorum imitatione nonnunquam instituta et a se ipso participata, publice illuderet. [1]) Ab ejusdem imperatoris tempore nobiliores Russi continuo frequentius cum extraneis, praesertim Gallis et Anglis communicabant, sive quod hi in Russiam venirent, et nobiliorum vel regiminis publici ministeriis se dedicarent, sive quod illi in terras extraneas, praesertim in Galliam ad cognitiones suas augendas, moresque excolendos proficiscerentur. Lingua Gallica in Russia non minus, quam in aliis terris Europaeis ab hominibus politioribus adoptata, atque ita medium subministratum est, quo scripta irreligiosa Gallorum ab iisdem frequenter legebantur, et principia ac sententiae in illis contentae imbibebantur. Id eo magis factum, quia Catharina II. Russiae imperatrix, priori saltim regiminis sui tempore sophistis Gallis eximie favebat, cum Voltaero, aliisque litteras communicabat, et familiariter conversabatur, a quo tempore longe plures adhuc Gallorum in Russiam veniebant, meliorem ibi fortunam quaerentes, simul et irreligionem propagantes. [2]) At Catharinae nepos, imperator Alexander, irreligionis progressus magna cura cohibere conabatur, eumque in finem praeter alia sollicitam librorum extraneorum in Russiam importandorum explorationem praescripsit, atque quo etiam a Protestantibus in imperio Russico sententiae antichristianae magis arcerentur, a. 1819. supremum pro eis episcopum, et generale imperii consistorium evangelicum instituit.

[1]) Korb diarium itineris in Moscoviam. Viennae.

[2]) Bellermann Bemerkungen über Rufsland. 1. Th.

§. 871. In Hispania et Lusitania.

Hispaniae pariter jam tempore Arandae, Caroli III. regis administri, irreligio irrepsit, et inter nobiles quosdam ac litteratos clam serpebat, latiores ejus et apertiores progressus vigilantia tribunalis inquisitorii impediente. Ampliora incrementa cepit, postquam inde ab anno 1808. Galli regnum istud occupassent. Rex enim Josephus, a Napoleone Hispanis obtrusus, inquisitionem et ordines religiosos, quantum potuit, abrogavit. Illo tempore etiam multi libri sophistarum Gallicorum in Hispaniam invecti, atque tum his, tum sermonibus Gallorum inter Hispanos versantium, principia irreligiosa inter hos propagata sunt. Rege legitimo Ferdinando VII. a. 1814. throno suo restituto, prior status ecclesiasticus quidem reductus, atque etiam Jesuitae recepti, libri irreligiosi, qui deprehendi poterant, deleti, et missionarii, qui religiositatem restaurarent, per Hispaniam ablegati sunt. Quantos autem libertinismus, inter medias praecipue Hispanorum classes, progressus jam fecisset, inde ab anno potissimum 1820., quo seditiosi milites antiquum ordinem civilem invertere coeperant, inter alia ex iis apparuit, quae a congregatis populi deputatis circa rem ecclesiasticam decreta sunt. Hi enim ante omnia sacram inquisitionem et societatem Jesu abolueruut. Deinde bonis ecclesiasticis nationi assertis, plures ordines monasticos, nominatim Benedictinum, et religioso-militares totos, caeterorum vero ordinum monasteria haud pauca sustulerunt. Episcopis mandatum, ut nemini sacerdotum, qui animo a nova regni constitutione alieno essent, facultatem praedicandi aut confessiones peccatorum excipiendi, tribuerent; imo nonnulli ex deputatis voluerunt, ut facultas praedicandi et confessiones excipiendi nonnisi a regimine civili concederetur, alii, ut nemo sacerdos ordinaretur, nisi a praefecto civili instructus testimonio, eum novae constitutioni ex animo

addictum esse, alii ut quivis clericus, qui aliquid a deputatis decretum neglexerit, munere et redditibus privaretur. Postea etiam immunitas clericorum personalis abrogata, ipsique judiciis saecularibus subjecti. Qui ex episcopis caeterisque clericis his et similibus decretis morem gerere recusabant, variis poenis, imprimis exilii afficiebantur; nonnulli etiam interfecti sunt. Multi eorum ad injurias et violentias evitandas in terras exteras, praesertim in Galliam fugerunt. Similia, exorta eodem anno 1820. revolutione, facta sunt in Lusitania, ubi irreligio inde a temporibus Pombalii, regis Josephi administri, iisdem ac in Hispania viis, ipso regimine liberiora fovente principia, invaluerat. Verum revolutione a. 1823. in utroque regno suppressa, res ecclesiastica pristino statui restituta est.

§. 872. In Italia.

In Italia quoque irreligio late propagata est. Ibi principia sophistarum Gallorum inter altiores et medias hominum classes multos asseclas invenerunt, quod partim libris illorum Italiae illatis, partim conjunctionibus, quas iidem cum litteratis et cultioribus Italis inierunt, effectum est. Ampliora irreligio incrementa cepit, ex quo Galli eam invaserunt, et successive sibi subjecerunt. Tunc enim frequens cum his, inter quos tot religionis contemtores erant, communicatio obtinebat, et major in negotio religionis libertas introducta est. Praeterea genius regiminis civilis institutis ecclesiasticis, quae ad religionem conservandam quam maxime conferunt, minime secundus erat. In terris regi Sardiniae ademtis et cum Gallia conjunctis 16 episcopatus ad octo reducti sunt, metropolitae Taurinensi subordinatos, et caeterum concordato Gallicano subjectos. Pro nova republica Italica, non multo post in regnum mutata, quae maximam partem Italiae superioris complectebatur, a. 1803. pariter concordatum cum pontifice initum fuit, quod quidem Gallicano si-

millimum erat, episcopis tamen majorem in regendis suis ecclesiis potestatem concedebat, eorumque ad pontificem relationem ratam habuit. In reliqua Italia, quam Napoleon inde ab anno 1805. successive occupavit, res ecclesiastica violento ejusdem arbitrio diversimode ubique imminuta est, speciatim monasteria, et in regno Neapolitano ordines Benedictinorum, Cisterciensium, et Jesuitarum sublati sunt. At postquam Gallorum dominium in Italia extinctum fuisset, res etiam ecclesiastica meliorem in statum collocata est. Pontifex in suo territorio omnia, quantum fieri potuit, ad priorem conditionem reduxit. [1]) Rex Sardiniae, postquam a. 1814. terras suas in Italia superiori, republica Genuensi auctas recepisset, mox pristinas leges ecclesiasticas iisdem restituit, pontifici priora jura reddidit, et a. 1817. suppressos episcopatus resuscitavit. Rex utriusque Siciliae a. 1818. concordatum cum sede apostolica iniit, quo eadem ac in concordatis Germannicis circa dotationem cleri, circa bona ecclesiastica, circa potestatem episcoporum in ordinandis regendisque seminariis principia statuebantur, et praeterea resuscitatio monasteriorum suppressorum decernebatur. [2]) Hac tamen rei ecclesiasticae in Italia restauratione irreligio, praeteritis annis latissime propagata, parum minuta fuit; quin ejus patroni, dominio Gallorum in Italia ad finem vergente in societatem arcanam coaluere, cujus membra Carbonarios se dicebant. Haec quidem finem potissimum politicum habebat, Italiam nempe in unam magnam rempublicam conjungendi, et universim ubique in Europa reges exauctorandi ac regimen democraticum introducendi, quam ob rem etiam in alias extra Italiam terras, speciatim in Galliam et Hispaniam propagari studuit, aut cum similibus sectis, ibidem jam existentibus conjunctionem inivit. Simul tamen sicut omnes ejusmodi societates religioni Christianae adversabatur, mysteria Catholica contemnebat, sacramentorum loco alios

quosdam ritus a se inventos, illis similes habebat, et cuivis libertatem faciebat, proprium sibi religionis systema condendi, indifferentismum religiosum praecipue fovens. Quo minus autem homines, religionis Christianae studiosi, ab ea amplectenda detinerentur, Carbonarii magnum illius studium, magnamque erga Jesum Christum et ejus doctrinam reverentiam simulabant, eumque caput et magistrum suum vocitabant, et caeremoniis quibusdam in conventus suos introductis mysteria passionis ejus colebant, seu potius ad se in finibus suis nefariis prosequendis excitandos confortandosque iis abutebantur. Haec secta usque ad vigesimum praesentis saeculi annum adeo jam convaluerat, ut anno sequenti, seditione in regno Neapolitano excitata, et forma regiminis mutata, initium finis sui exequendi facere tentaret. [3]) Novum regimen ab eis introductum, Hispanico simillimum, hoc etiam in minuenda re ecclesiastica imitabatur. Sed arma Austriacorum his coeptis eodem adhuc anno, finem fecerunt, quo facto prior rerum status restitutus est. Ita quidem violenta impiorum conamina passim suppressa, et nonnulli ex sociis eorum dissipati et sublati, sectae autem ipsae minime extinctae sunt, sed potius sine intermissione in pertrahendis ad suam societatem viris, maxime vero juvenibus litterarum studiosis, speciatim in Protestanticis Germanniae universitatibus laborant. Principes quidem potentissimi, sacro foedere juncti nefariis eorum moliminibus unitis viribus adversantur, atque etiam diversa media ad irreligionem in suis terris cohibendam et minuendam adhibent. Quoniam vero saeculi genio et rerum adjunctis diversimode cohibentur, auxilium adversus malum adeo inveteratum, tam late diffusum, tam altis haerens radicibus, a providissima cura clementissimi fundatoris divini ecclesiae Christianae potissimum expetendum est.

[3]) Storia di pontificato di Pio VII.

[2]) Vater Anbau der neuesten Kirchengeschichte.

[3]) Päpstliche Excommunicationsbulle der Carbonari vom 13. September 1821.

Caput secundum.

De fatis doctrinae.

§. 873. Lites Jansenisticae renovatae.

Ex libris theologicis, a Catholicis hac periodo scriptis, quorum praecipui una cum suis auctoribus infra in historia theologiae commemorabuntur, intelligitur, doctrinam ecclesiae Catholicae hujus periodi a doctrina praecedentium saeculorum nulla in re diversam fuisse. Haereses novae in hac ecclesia nullae nunc exortae, errores tamen haud pauci a singulis propositi, et plures fidei controversiae agitatae sunt. Speciatim in ecclesia Gallicana lites Jansenisticae, quae posteriori saeculi 17. tempore sopitae fuerant, diu et vehementer hac periodo strepuerunt. Eis renovandis mox 1701. anno quidam sacerdos ansam dedit, dum 40 doctoribus Sorbonnicis casum conscientiae, quem a Jansenistis confictum fuisse dicunt, proponeret, an nempe in sacro confessionis tribunali absolvere liceat clericum, qui confitetur, se quinque damnatas Jansenii propositiones pariter quidem damnare, quoad factum autem, an sensu damnato in libro Jansenii contineantur, nonnisi religiosum silentium observare. Doctores talem clericum absque haesitatione absolvendum esse censuerunt, eorumque arbitrium, typis vulgatum, ad Jansenistas firmandos augendosque non parum conferre videbatur. Aliter ac doctores judicavit pontifex Clemens XI. et multi episcoporum Gallicorum. Ille a. 1703. sententiam Sorbonnistarum proscripsit, ex istis vero

Ludovicus Antonius de Noailles, cardinalis et archiepiscopus Parisiensis, in singularibus litteris, eodem anno editis, eam variis censuris notavit. Hinc rex Ludovicus XIV. doctores Sorbonnicos sub exilii minis decisionem suam retractare jussit, quod excepto uno reapse omnes fecerunt. Quoniam vero Jansenistae silentium circa factum sufficere porro contendebant, pontifex, a rege et episcopis quibusdam Gallicanis rogatus, a. 1705. in bulla, a verbis: vineam Domini Sabaoth incipiente, obsequiosum silentium minime sufficere, sed omnibus Christi fidelibus credendum et confitendum esse statuit, quinque propositiones eo sensu haeretico, quem verba earum prae se ferunt, in libro Janseniano contentas esse. Haec bulla unanimiter a clero Gallicano et a Sorbonna acceptata, atque a curiis regni in catalogum legum publicarum relata est. Eadem monialibus portus regii campestris subscribenda proposita est, quod quum nonnisi cum restrictione: salvis iis, quae respectu ipsarum in pace Clementina decreta fuerint, fecissent; monasterium consentiente pontifice a. 1709. sublatum, et anno sequenti, monialibus per diversa coenobia dispersis, ipsa aedificia funditus destructa sunt.

Libri superiori periodo loco correspondente citati. Fontaine memoires pour servir a l'histoire du porte royal.

§. 874. Bulla Unigenitus.

Jansenistis bulla: vineam Domini, ad silentium adactis, ecclesia Gallicana non multo post gravissimis litibus et motibus exagitata est, quae aliquam cum Jansenisticis affinitatem, suumque in his fundamentum habebant. Eis ansam dedit liber quidam, Gallice scriptus sub titulo: novum testamentum cum reflexionibus moralibus super quemvis versum. Auctor hujus libri erat Paschasius Quesnelle, presbyter congregationis oratorii Parisiensis, qui, quod fidei formulam erroribus Jansenianis a sua congregatione oppositam non

sub-

subscripsisset, ad patriam relinquendam compulsus, a. 1685. Bruxellas confugerat, ubi, cum rem Jansenistarum calamo et opere studiosissime adjuvaret, a. 1703. jubente Hispaniarum rege custodiae mancipatus est, e qua non multo post ope viri cujusdam nobilis Jansenistis addicti evasit, quo facto Amstelodamum fugit, ibique a. 1719. mortuus est. Reflexiones ejus morales, quae a. 1671. primum comparuerunt, propter pietatem, quam spirare videbantur, simulque propter dictionis elegantiam plurimis placebant; prae caeteris Noallius eas quam maxime approbavit, commendavit, et a se examinatas emendatasque denuo typis imprimi curavit. Verum alii assertiones erroneas et noxias, speciatim Jansenismo affines haud paucas in libro Quenellii deprehendebant, quem progressu temporis scriptis quoque impugnabant; atque episcopus Vapincensis eum a. 1703. dioecesanis suis prohibuit. His coeptis attentione sedis apostolicae excitata, Clemens XI. a. 1708. breve emisit, quo liber Quenellii, quod doctrinae et propositiones seditiosae, temerariae, perniciosae, erroneae, alias damnatae, et Jansenianam haeresin manifeste sapientes passim in eo occurrant, damnabatur, atque, ne quis eum legeret aut venderet, sub poena excommunicationis majoris interdicebatur. Huic brevi pontificio convenienter duo episcopi Rupellensis et Lucionensis junctis consiliis litteras pastorales typis vulgarunt, quibus Quenellii liber tanquam perniciosus proscribebatur. Id Noallium eo magis offendit, quia typographica harum litterarum annuntiatio portae ipsius palatii affixa fuit, quapropter duos alumnos, episcopis illis cognatos, in quos suspicio affixionis cadebat, e seminario clericorum Parisiensi amovit. Idem a. 1710. mandatum edidit, quo litteras pastorales duorum episcoporum censura notavit, earumque lectionem suis interdixit. Cum tam ille, quam isti asseclas nanciscerentur, exortae sunt duae factiones, quas rex Ludovicus XIV. aliaeque personae summae

auctoritatis inter se conciliare frustra conabantur. Ese potius mutuas de se querelas ad pontificem detulerunt. Praevaluit tandem factio episcoporum, quae potissimum per Tellierum, regis confessarium e societate Jesu, Ludovicum permovit, ut a pontifice bullam peteret, qua malae propositiones, e Quenellii libro verbotenus extractae damnarentur. Simul eadem factio 103 propositiones, quae sibi damnandae videbantur, Romam misit. P[illegible] librum illum examinandum propriam congr[illegible] nominavit, ex 6 theologis ac jurisconsultis e[illegible]nalibus constantem, quae post multas cons[illegible] annis 1712. et 13. habitas, 101 proposi[illegible] e[illegible]bro proscribendas censuit. Id pontifex [illegible] la[illegible] a verbis: Unigenitus Dei filius, incipieb[illegible]t, propositiones illas, verbotenus al[illegible] variis censuris damnans, scilicet tanqua[illegible] [illegible]iosas, male sonantes, piarum aurium [illegible], [illegible]ndalosas, perniciosas, temerarias, e[illegible] et [illegible] praxi injuriosas, neque in ecclesiam so[illegible] potestates saeculi contumeliosas, seditiosas, [illegible] blasphemas, suspectas de haeresi ac haeresin ipsam sapientes, nec non haereticis et haeresibus ac etiam schismati faventes, haeresi proximas ac demum etiam haereticas, variasque haereses et potissimum illas, quae in famosis Jansenii propositionibus continentur, manifeste innovantes. Praeterea pontifex id reprehendit, quod textus versionis multis in locis cum reprobata versione Montensi concordaret, et in aliis aperte adulteratus esset, opusque Quenellianum ad animas pietatis specie et dictionis suavitate seducendas comparatum esse judicavit. His ex causis, ne quis illud legeret aut asservaret, sub poena excommunicationis interdixit.

§. 875. Lites ea excitatae.

Bulla in Galliam perlata 40 episcopis, jussu regis eodem anno 1713. Parisiis congregatis, ut eam acc[illegible]

ptarent, proposita est. Id plerique fecerunt; at Noallius cum 7 aliis episcopis contestatus est, quoniam propositiones damnatae etiam boni sensus capaces sint, se nonnisi sub certis explicationibus, quibus perversus earum sensus definiretur, bullam acceptare posse, litterisque datis a pontifice petiit, ut ipse ejusmodi explicationes ederet, simulque singulis propositionibus censuram convenientem adjungeret. At rex, a confessario suo motus, inconditionatam bullae acceptationem urgebat, eamque tam a senatu Parisiensi, quam a Sorbonna exegit. Senatus bullam sine haesitatione inter publicas leges retulit; ex doctoribus autem Sorbonnicis 28 eam acceptare detrectarunt. Hi partim e sacra facultate ejecti, partim etiam Parisiis amoti sunt. Cum Noallius eique adhaerentes episcopi, quibus etiam complures illorum, qui congregationi non interfuerant, accesserunt, ad inconditionatam bullae acceptationem permoveri non possent; rex Ludovicus concilium nationale congregare meditabatur; attamen, dum de hac re cum sede pontificia tractabat, a. 1715. mortuus est. Pontifex Noallio litteras transmisit, quibus ei praeter alia ademtionem dignitatis cardinalitiae, ni bullam acceptaret, minabatur; sed ille eo minus pontifici morem gessit, quia dux Aurelianensis, regni, Ludovico XV. minorenni, administrator, illis, qui bullam seu constitutionem pontificiam reprobabant, et inde anticonstitutionistae aut etiam opponentes dicebantur, ab initio non contrarius, sed potius animo a Jesuitis alienus erat, et Tellierum Parisiis amovit, Noallium autem praesidem arcanorum conscientiae moderatorum fecit, quo directio istarum litium ad hunc ipsum pervenit. Nunc relegatis reditus, omnibus autem facultas concessa, suam de bulla mentem libere aperiendi, qua mox usa Sorbonna, illam a se nunquam acceptatam fuisse contestata est. Similiter episcopi haud pauci animum a bulla alienum aperuerunt. Alii eo acrius pro illius acceptatione certabant, et in clericos suos,

eam reprobantes animadvertebant. Varia quoque ad pacem et concordiam restituendam tentabantur; petebantur a pontifice declarationes bullae, conficiebantur tum a Noallio, tum ab aliis episcopis junctis explicationes propositionum damnatarum, condebantur acceptationis formulae, inter quas vero nulla erat, quae vel utrique praesulum Gallicorum parti, vel sedi pontificiae probata fuisset. Pontifex semper inconditionatam bullae acceptationem postulabat, atque ad talem praestandam Noallium nunc amicis, nunc minacibus litteris permovere, sed frustra conabatur. Is potius a. 1717. cum episcopi utriusque partis saepius ad explicationes et acceptationis formulas condendas congregarentur, et nulla ex multis, quae condebantur, omnibus probaretur, indignabundus declaravit, bullam a se et sua parte nunquam acceptatum iri, quandoquidem inter propositiones damnatas ad minimum 26 essent, quae nullam prorsus censuram mereantur. Haec Noallii declaratio 4 episcopis factionis ejus animum addidit, ut a constitutione Unigenitus, ad futurum concilium generale appellarent, suamque appellationem scriptam Romam mitterent. Eorum exemplum mox Sorbonna et aliae quaedam facultates theologicae, plures episcopi, permulti alii clerici, imo homines omnis generis et ordinis tam superioris quam inferioris secuti sunt, ad quod efficiendum Quenelliani nec pecuniae parcebant. Verum dux Aurelianensis appellationem minime probavit, sed potius 4 episcopos, qui eam primi emiserant, exilio mulctavit. Nihilominus nunc ipse Noallius appellantibus accessit, ea tamen moderatione, ut in suo appellationis documento a papa male informato ad melius informandum et ad concilium generale provocaret, actumque a se commissum, quamquam pontificem de eo certiorem reddidit, tamen non publicaret, qui vero nihilominus, appellationis documento, auctore inscio, typis mandato publice innotuit.

§. 876. Continuatio.

Pontifex, de his coeptis in Gallia edoctus, anno sequenti 1718. documentum appellationis 4 episcoporum schismaticum et haereticum, Noallii autem schismaticum et haeresi affine pronuntiavit. Non multo post appellantibus terminum peremtorium, intra quem appellationem suam revocarent, posuit, quo frustra elapso, in bulla, a verbis: Officii pastoralis incipiente omnes, qui constitutioni Unigenitus omnimodam obedientiam praestare hactenus recusarunt, etiamsi episcopalis, archiepiscopalis, imo cardinalitiae dignitatis essent, excommunicavit, ea tamen usus moderatione, ut neque 4 episcopos, neque Noallium nominetenus allegaret, et universim verba sat lenia adhiberet. At ejus excommunicatio non alium effectum habuit, nisi ut Noallius nunc suam appellationem publicaret, ad excommunicationem pontificiam quoque extenderet, et jam non a papa ad papam, sed simpliciter et unice ad concilium generale provocaret. Ejus exemplum omnes fere clerici ipsius, Sorbonna, imo omnes huic factioni adhaerentes secuti sunt. Ipse senatus Parisiensis, nunc a bulla Unigenitus, tanquam ab abusu pontificiae potestatis appellavit, et ne litterae pontificiae bullam istam concernentes acceptarentur, interdixit. Cum ita ecclesia Gallicana in duas partes divisa esset, motus inter clerum aucti, imo quaedam persecutiones excitatae sunt. Episcopi enim acceptantes clericos suos appellantes variis poenis afficiebant, qui cum praesidium magistratus civilis implorarent, curiae regni diversimode, speciatim suspensione proventuum temporalium, combustione litterarum pastoralium in episcopos animadvertebant. At regimen regium, cui publica tranquillitas et pax cum pontifice maxime cordi erat, appellantibus diversimode renitebatur. Sic dux Aurelianensis vetuit, ne scripta contra bullam Unigenitus prelo committerentur et venderentur, ne decla-

batur, et varii errores tradebantur. Tum haec audacia, tum motus inde excitati suadere videbantur, ut episcopus puniretur, ejusque consortes metu inde replerentur. Igitur cardinalis Floerius, appellantium adversarius, qui tunc qua supremus regni administer summam in Gallia potestatem exercebat, a. 1727. regis nomine, episcopi Sanitiensis metropolitam, archiepiscopum Embrodunénsem synodum celebrare jussit, a qua ille judicaretur. Joannes de Soane, ad eam citatus comparuit quidem, sed contra patres congregatos quasi judices incompetentes partiumque studiosos excepit, scriptâque reclamatione tabulae imposita discessit. Verum synodus nulla reclamationis ratione habita, litteras ejus examinavit et damnavit, ipse vero depositus et usque ad vitae finem in custodia monastica detentus est. Probabiliter haec sors episcopi Sanitiensis nonnihil contulit, ut Noallius, accedentibus repetitis Benedicti XIII. olim amici sui monitis, auctis acceptantium studiis, cardinalis Floerii ipsiusque regis desideriis, nec non senii debilitatibus, anno tandem 1728. bullam Unigenitus inconditionate acceptaret, omnes litteras, instructiones et explicationes, quas respectu bullae ediderat, revocaret, et hanc mentis suae mutationem publice annuntiaret. Ita appellantes seu anticonstitutionistae praecipuum suum fulcrum amiserunt. Noallii anno sequenti mortui successor plerosque ecclesiae suae cathedralis canonicos ad bullam inconditionate acceptandam permovit. Sorbonna non multo post votorum pluralitate contestata est, decretum, quo bulla Unigenitus jam anno 1714. a se acceptata fuit, authenticum validumque esse, atque ab appellatione destitit. Denique a. 1730. rex senatum Parisiensem adhuc renitentem adegit, ut bullam denuo inter leges publicas referret, quo facto nemini amplius impune licebat, eam publice impugnare aut ab ea appellare. Ita factio appellantium, qui jam diversimode impetebantur, et quorum multi propterea in

adhortatoria vel consolatoria ad circumstantes faciebant, aut contra bullam Unigenitus declamabant, nonnulli plane vaticinabantur. Quibus omnibus cum turbae haud exiguae excitarentur, agente archiepiscopo Parisiensi aditus ad coemeterium S. Medardi, ubi illa omnia fiebant, jussu regis interclusus est. Id tamen non impedivit, quo minus reliquiis aut terra sepulchri etiam aliis in locis eadem phaenomena producerentur. Accessit et hoc, quod convulsionibus correpti ad dolores, quos in certis corporis membris sentiebant, leniendos talia sibi fieri postularent, quibus alias dolores augentur, nempe membra sibi distendi, aut lapidibus quassari, aut truncis verberari, aut gladio vulnerari, aut facibus aduri. Ejusmodi media, quibus pariter complures morbi sublati fuisse narrabantur, succursus dicebantur, iique, qui hunc approbabant succursistae vel secundum sermonem Gallicum securistae. Cum vero permulti appellantium succursum istum tanquam crudelitatem quinto decalogi praecepto adversam improbarent, in securistas et antisecuristas divisi sunt, postquam jam de convulsionibus in diversa abiissent. aliis a Deo, aliis a diabolo eas repetentibus. Progressu temporis, cum phantasia calefacta paulatim defervesceret, eventus illi prodigiosi versus annum 1738. expirarunt. De causis et natura eorum sententiae satis diversae erant. Jansenistae et appellantes plerique eos vera miracula credebant, quibus Deus ipse bullam Unigenitus improbet; et Ludovicus Basilius Carre de Montgeron, senator Parisiensis, qui, postquam hactenus religionem Christianam clam contemsisset, iis visis Christo et appellantibus conciliatus est, eorum veritatem in singulari libro propugnavit, ipsi regi dedicato et a se oblato, propter quam audaciam perpetuae custodiae mancipatus est. Ex caeteris alii eos diabolo auctori adscribebant, alii ex causis naturalibus partim physicis, partim psychicis, sed non satis cognitis derivabant, alii fraudibus et praestigiis

hoc tempore lites Jansenismum concernentes aliquamdiu quieverunt.

§. 879. Dissidia de sic dictis testimoniis confessionis.

Sed annis saeculi quinquagesimis tales denuo excitatae sunt. Appellantes scilicet, qui cum Jansenistis jam dudum coaluerant, in occulto inter episcopos, caeterosque clericos saeculares et regulares, inter monachos et moniales, inter doctores Sorbonnicos et inter laicos perdurabant. Quo episcopi latentes Jansenistas ad plenam unitatem ecclesiasticam perducerent, parochis mandarunt, ut aegrotis, quos bullae Unigenitus adversantes noverint, sacramenta et sepulturam ecclesiasticam denegarent. Sed magistratus in parochos, episcopis suis obedientes, variis poenis, praesertim pecuniae mulctis animadvertebant, nec contrariis jussis, correctionibus et minis regis, clero patrocinantis, a coeptis suis avocari poterant. Haec postquam quadragesimis saeculi 18. annis in diversis Galliae locis saepius accidissent; anno 1752. Christophorus de Beaumont, archiepiscopus Parisiensis, clero suo mandavit, ut moribundorum nemini sacrum viaticum darent, nisi qui testimonium exhibere posset, bullam Unigenitus a se approbatam fuisse, cujusmodi testimonia confessionis, (non sacramentalis, sed fidei) dicebantur. At senatus Parisiensis, cujus auxilium aegroti, quibus sacramenta denegabantur, implorabant, primo in parochos denegantes animadvertebat, deinde universim clericis vetuit, ne cuiquam infirmo sacramenta denegarent, neve in sacris suis sermonibus sectariorum nominibus ad adversarios bullae compellandos uterentur. E contra archiepiscopus Parisinus mandatum suum de requirendis testimoniis confessionis renovavit. Ejus exemplum plerique alii episcopi sequebantur, sicut vice versa curiae extra Parisios agendi rationem supremi senatus imitabantur. Rex e

contra senatui omnibusque magistratibus civilibus potestatem de sacramentorum denegatione judicandi abnegavit, et senatu reclamante, disquisitionem, an huic potestas illa competat, viris quibusdam, e praelatis et magistratibus selectis, commisit. Qui cum pro magistratu civili decidissent, senatus in episcopos et parochos, sacramenta denegantes animadvertere pergebat, et tandem versus finem anni 1752. decrevit, ut episcopo Parisiensi proventus retinerentur, regnique proceres ad eum judicandum convocarentur. Quibus decretis, cum invito rege, qui ea irrita declaraverat, insisteret, is anno 1753. potestatem, quibuscuncque rebus ecclesiasticis interveniendi ei abjudicavit. Cumque senatores propterea ab omnibus muneris sui functionibus abstinerent, nec jussi eas reciperent, regem hac ratione ad restituendam sibi potestatem, de causis ecclesiasticis judicandi, adacturi, omnes Parisiis relegati sunt. Anno tamen sequenti rex eos iterum revocavit, et non multo post edictum promulgavit, quo omnes religiosum circa bullam Unigenitus silentium observare jubebantur. Nihilominus archiepiscopus Parisinus initio anni 1755. instructionem pastoralem edidit, qua bullam ab omnibus acceptandam esse docebat, et mandatum suum de sacramentis denegandis renovabat. Ejus exemplum plures alii episcopi imitabantur. At tribunalia eorum litteras, utpote legi regiae de observando silentio adversas partim suppresserunt, partim publice lacerari et concremari jusserunt. Supremus autem senatus a rege petiit, ut proventus archiepiscopi Parisiensis retinerentur. Rex hunc admonuit, ne sua agendi ratione publicam tranquillitatem turbaret. Qui cum Deo magis quam hominibus obediendum esse respondisset, Parisiis relegatus est. Eodem anno episcopi Gallici, Lutetiae congregati, quaestionem de sacramentorum denegatione, circa quam non omnes consentiebant, annuente rege ad sedem apostolicam detulerunt. Pontifex, tunc Benedictus XIV. secundum

consultum selectorum quorumdam cardinalium et theologorum, litteris a. 1756. in Galliam missis pronuntiavit, sacrum viaticum nonnisi publicis et notoriis refractariis bullae, cui nemo absque salutis aeternae dispendio refragari possit, denegandum esse. Praeterea monuit, ne testimonia confessionis seu acceptationis exigerentur, neque sollicite inquireretur, an quis bullam acceptet, sed suspecti solummodo generaliter, ut resipiscant, admonerentur, et viatico, si illud petere perrexerint, absque haesitatione providerentur. Haec pontificis decisio multis quidem tum appellantium, tum acceptantium rigidioribus displicuit, imprimis vero senatus Parisiensis et Rothomagensis litteras pontificias sub variis praetextibus suppressas volebant. At rex, cui maxime probabantur, obedientiam erga bullam Unigenitus denuo inculcavit, omnem de ea disputationem iterum interdixit, senatum ad litteras pontificis in regesta referendas a. 1757. adegit, statuitque ut querelae de sacramentorum denegatione prius ad judices ecclesiasticos, deinde facta appellatione ad senatum deferrentur. Post haec lites de ista materia in Gallia paulatim expirarunt, ad quod sine dubio id non parum contulit, quod Jesuitae, qui caeteris fervidius pro bulla dimicaverant, paucos post annos in Gallia supprimerentur. Jansenistae tamen inter clerum ne durante quidem revolutione expirarunt, et post reditum dynastiae regiae discrimen inter eos eorumque adversarios aucta oppositione magis emicuit.

Continuatio historiae ecclesiasticae Floerianae. Tom. 49. seq.

§. 880. Schisma Ultrajectense.

Quemadmodum Jansenismus in Gallia graves et diuturnos motus excitavit, ita in Belgio foederato schismati ansam dedit, quo pars Catholicorum hodie adhuc ab ecclesia Romana separatur. Petrus Coddeus, episcopus Sebastenus, qui tanquam vicarius apostolicus ecclesiam Catholicam in Batavia regebat, a Janse-

Nicolinum quemdam presbyterum, pacis et unionis tentandae causa in Bataviam ablegavit; cum vero schismatici prae caeteris postularent, ne acceptatio bullae Unigenitus a se exigeretur, tentamen istud effectum consecutum non est. Sedes apostolica magis adhuc irritata est, cum Meindartus a. 1763. concilium provinciale celebrare ausus fuisset. Huic celebrando ansam dedit quidam Jansenista Gallicus, Petrus Clericus, subdiaconus Rothomagensis, Amstelodamum profugus, qui in libro sub titulo: leges divinae et humanae edito, primatum pontificis, imo totam hierarchiam Catholicam impugnaverat, aliasque sententias Jansenisticas adstruxerat. Hos ejus errores concilium damnavit, suaeque fidei confessionem condidit, prorsus Catholicam, in qua speciatim primatus pontificis et necessitas unionem cum eo conservandi asserta erat. Praeterea concilium laxiores doctrinas morales quorumdam Jesuitarum reprehendit, et varias leges disciplinares condidit. Tum acta sua Romam misit, ut a pontifice confirmarentur. Verum Clemens XIII. ea non tantum damnavit, sed etiam patres synodales anathemate percussit. Alii quoque episcopi Catholici, praesertim Germannici, suam actorum illorum improbationem editis litteris manifestarunt. In Gallia e contra praecipue universitas Parisiensis synodum Ultrajectensem approbavit. Clemens XIV. ad intercessionem quorumdam episcoporum et imperantium civilium in unionem procurandam pronus erat, sed morte praeventus eam efficere non potuit. Ejus successor Pius VI. episcopos schismaticos, suum pacis et unionis desiderium ei significantes multa cum asperitate repudiavit, et Ultrajectensem, quod novum pro ecclesia Harlemensi ordinasset, nec non hunc ipsum, quod ordinari se passus esset, excommunicavit, quo non obstante, ille post mortem Deventriensis alium in ejus locum episcopum ordinavit. Sic schismatici in eligendis novis episcopis, pontifices autem, quibus acta sua semper

annuntiabant, eorum confirmationem petentes, in eis rejiciendis electisque excommunicandis usque a nostros dies pergebant. Praesens archiepiscopus van Os a. 1814. electus et sicut Deventriensis a Pio VII. excommunicatus fuit; nihilominus anno adhuc 1821. novus episcopus Harlemensis a schismaticis ordinatus est. Caeterum horum numerus, cum Batavis Catholicis ecclesiae Romanae unitis, et a proprio vicario apostolico rectis comparatus, admodum exiguus est, siquidem Ultrajectensis et Harlemensis non ultra 5000, Deventriensis autem plane nullos asseclas habet.

Recueil de divers temoignages de plusieurs cardinaux archeveques - - en faveur de la Catholicité et de la legitimé des droits du clergé de l'eglise catholique des provinces unies. — Recueil de jugements rendus par le S. siege apostol. contre les schismatiques dans les eglises d'Utrecht, d'Harlem et de Deventer. — Hoynk de Papebrecht historia ecclesiae Ultrajectina. Der Katholik. Februar 1825. Tübinger Quartalschrift. 1826.

§. 881. Fata bullae Unigenitus in terris Austriacis.

In aliis terris Catholicis cura principum cautum est, ne de bulla Unigenitus similes ac in Gallia motus orirentur. Sic Carolus VI. imperator eam in Belgio Austriaco promulgari quidem permisit, simul tamen de ea disputari prohibuit, nec toleravit, ut tanquam fidei regula cuiquam obtruderetur, aut eam reprobantes haeretici vocarentur. Patris vestigiis M. Theresia inhaesit. Cum enim episcopus Gandavensis in litteris pastoralibus a. 1[illegible]. editis, bullae adversarios, fratres errantes, a sancta ecclesia separatos nominasset; imperatrix eum serio ad pacem colendam admonuit, eique mandavit, ut omnia litterarum suarum exempla revocaret ac supprimeret. Imperante Josepho II. antistites Brunensis clericorum seminarii apud episcopum suum impugnatae bullae Unigenitus accusati sunt. Ad exa-

examen vocati falsitatem accusationis quidem demonstrarunt, absoluti tamen non sunt, quia archidiaconus protocollum adulteraverat. Causa igitur ad imperatorem delata est, qui seminarium ab opprobiis ei factis liberum et sub suo praesidio constitutum pronuntiavit, atque in ejus adversarios diversimode animadvertit. Qui cum bullam Unigenitus tanquam legem dioecesanam introducere conati, et nonnullis parochis acceptandam proponere ausi fuissent, imperator, edito a. 1781. decreto, omnibus episcopis, ne eam populo aut clero suo obtruderent, severe prohibuit, omnem ejus usum, omnem de ea disputationem interdixit. Hoc decretum etiam episcopus Brixinensis clero suo communicavit, bullàque uti vetuit, eo quod paci turbandae ansam dedisset. Id Pius VI. aegre admodum tulit, litterasque ad praesulem Brixinensem dedit, in quibus ab eo scripta reprehendit, bullamque Unigenitus dogmaticum ac irreformabile sanctae sedis judicium vocavit, cui obedientia praestanda sit, quia a successoribus Clementis XI. confirmata, atque tacito vel expresso universalis ecclesiae consensu acceptata fuerit. Episcopus Brixinensis pontifici respondere non omisit; imperator autem a. 1782. decretum suum, priori anno editum confirmavit, et theologiae professoribus mandavit, ut discipulis suis argumentum bullae quidem indicarent, attamen ab omni disputatione, an propositiones merito vel immerito damnatae sint, abstinerent.

Acta histor. ecclesiasticae. 11. Bd. Walchs neueste Religionsgeschichte. 9. Th.

§. 882. Controversiae inter theologos Catholicos.

Lites Jansenisticae usque in medium saeculum 18. in Gallia agitatae nonnihil contulerunt, ut controversiae de gratia, quae elapsa periodo Thomistas et Molinistas adversus invicem colliserant, priori praesentis dimidio denuo effervescerent et satis diu durarent. Im-

tis, imo ab ipso Salvatore traditum, et in praxin deductum. Has theses non tantum episcopus Tridentinus, sed etiam Romana congregatio indicis damnavit. Abolita societate Jesu lites de probabilismo paulatim cessarunt.

Continuatio historiae eccles. Floerianae. Tom. 84.

§. 883. Continuatio.

Aliae lites theologicae concernebant honorem B. Mariae exhibendum. In hoc non pauci ultra mentem ecclesiae progrediebantur. Jesuitae in universitatibus Italicis et Germannicis, supremae eorum directioni commissis jusjurandum, sanguinarium dictum, introduxerant, vi cujus professores, nec non illi, qui ad gradum aliquem academicum aspirabant, obstringebantur, se sententiam de immaculata B. Mariae conceptione cum vitae et sanguinis profusione, si necessarium foret, propugnaturos esse. Hoc jusjurandum Ludovicus Antonius Muratori, presbyter Italus, ducis Mutinensis bibliothecarius, vir admodum eruditus, multisque praestantibus scriptis, praecipue historicis et archaeologicis, editis clarus († 1749.), in libro, quem a. 1714. sub titulo: Lamindi Pritanii de ingeniorum moderatione in religionis negotio, typis vulgavit, tanquam imprudens, temerarium, nec evangelio, nec sanae rationi consentaneum, saluti animae periculosum, superstitiosum, et ab ipsa sede apostolica reprobatum vituperavit. Nactus est plures adversarios, qui universum ejus librum impugnarunt, quibus autem respondere non omisit. Inter illos, qui ei assentiebantur, quidam nobiles juvenes Salisburgenses erant, qui ex Italia, quam peragraverant, reduces, ad promovendam meliorem in litteris sentiendi rationem, Salisburgi conventus litterarios instituebant, in quibus variae narrationes ex historia ecclesiastica tanquam fabulae explodebantur, variae opiniones superstitiosae rejiciebantur. Iidem libros Muratorii Salisburgi divulgabant, nomi-

no 1773. linguarum Orientalium et exegesis in universitate Moguntina professor. Is locum Isaiae prophetae VII. 14. Ecce virgo concipiet etc. non de B. Maria virgine et Salvatore, sed de alia quadam virgine, regi Achazo nota, et forte, cum propheta coram eo loqueretur, praesente explicavit, eo quod Messias post tot demum saecula a virgine concipiendus et pariendus, pro rege signum miraculosum et pignus obtinendi auxilii divini nullatenus esse potuerit. Matthaei vero allegationem interpres ex applicationis systemate salvare conatus est. At alii eam hac ratione minime salvari, sed potius tali interpretatione non tantum auctoritatem sanctorum patrum sperni, sed etiam veritatem ipsius s. scripturae suspectam reddi credebant. Hinc Isenbiehlius professoratu privatus, et in seminarium clericorum, ut ibi theologiam melius addisceret, missus est. E quo cum post duos annos dimissus fuisset, nonnisi munus professoris linguae Graecae in gymnasio cum annuo centum florenorum salario accepit. Nihilominus non multo post suam loci Isaiani interpretationem litteris exaratam bibliopolae cuidam Confluentiensi vendidit, qui eam cum permissione censorum Trevirensium typis imprimi curavit. Postquam hoc opus Moguntiae innotuisset, facultatis theologicae arbitrium de eo exquisitum est. Quae cum in eo propositiones falsas, scandalosas, piarum aurium offensivas, et Socinianismi suspectas contineri, auctoremque ad emittendam fidei confessionem adigendum esse judicasset; Isenbiehlius omnibus functionibus sacris interdictus, fidem profiteri jussus, et quamquam orthodoxiam minime ambiguam prodidisset, custodiae traditus est, et satis dure in ea habitus. Simul decreto archiepiscopali, ne quis ejus librum legeret aut venderet, interdictum, praeceptumque fuit, ut omnia ejus exemplaria superioribus ecclesiasticis traderentur; porro judicia plurium universitatum, Trevirensis, Heidelbergensis, Argentinensis, Salisburgensis et Parisiensis

Graecos unitos pertinens. Potiores illorum erant: personas divinas essentialiter inter se diversas esse; baptismum, nisi immersione collatum, non valere; caetera non esse sacramenta, nec eucharistiam sacrificium; matrimonium inire, superfluum esse, sufficere copulam carnalem; corpus Christi in utero Mariae ejusdem fuisse staturae, cujus erat in cruce; libros typo impressos legere peccatum esse; crucifixa argentea conficere non licere, cum Christus in cruce lignea mortuus sit. Ad errores Philippi supprimendos a. 1720. plures archiepiscopi, episcopi, archimandritae, abbates, presbyteri, praeside nuntio apostolico Zamoscii in Polonia synodum celebrarunt, in qua Philippus excommunicatus et plura praescripta disciplinaria pro Graecis unitis renovata sunt. [2]) — Martinus Boos, canonicus Groenenbaccensis, prope Campodunum in Suevia in cura animarum constitutus, annis saeculi 18. nonagesimis plures doctrinas, a mente Catholica alienas, quas ex haereticorum libris a se collectas ipse fassus est, verbo et scripto proposuit. Inter eas hae erant: ecclesiam e solis justis constare; impios Christi corpus in eucharistia non accipere; quemvis fidelium a peccatis absolvere posse. Propter has aliasque doctrinas Boosius a. 1797. in domum correctionis missus est. Postea coram tribunali vicariatus Augustani fidei confessionem edidit, et propositiones e scriptis suis extractas tanquam falsas, erroneas, scandalosas, definitionibus concilii Tridentini et doctrinae ecclesiae Catholicae adversas, et ab hac damnatas abjuravit, quo facto a censuris, quas incurrerat, absolutus, iterumque in cura animarum constitutus, sed non multo post, cum non quiesceret, denuo a vicariatu citatus, et cum post fugam comparuisset, ipso petente e dioecesi dimissus est. [3]) Nunc in dioecesin Linciensem migravit, ibique inter clerum susceptus et postea parochus factus est. Sed et hic in errores incidit; cum enim videret, multos Christianorum observatis externis religionis praescriptis vo-

ecclesiam quamdam ampliorem in sua regione novae Jerosolymae ecclesiam designarunt. Dicti sunt Poeschliani, a quodam sacerdote, nomine Poeschel, qui, cum inter eos curam animarum obiret, revelationes divinas et novam religionis faciem annuntiaverat, ideoque jam antea, ac insania ab eo accensa exarsisset, abductus et longo tempore Viennae in custodia detentus est. Quum rustici lenioribus mediis ad saniorem mentem reduci non possent, ope militum ad quietem adacti sunt. — Alius sacerdos Catholicus ad aliud genus mysticismi deflexit, multosque fidelium ejus curae commissorum ad eundem perduxit. Erat is Aloysius Henhoefer, ab anno 1818. parochus Mühlhusiae, pago quodam in septentrionali parte magni ducatus Badensis. Hunc scriniarius quidam ex ejus parochia, qui jam a multis annis societati quorumdam separatistarum, Cornthaliae in regno Würtembergensi mysticismum ac pietismum foventium, adscriptus erat, ad similia animi sensa perduxit, dum ei persuaderet, genus humanum, quod a Deo desciverit, nonnisi interna animi regeneratione salvari posse, eum ad hanc veritatem in s. scriptura investigandam incitaret, et societatem Cornthalianam tanquam exemplar illius regenerationis et vitae spiritualis inde enatae laudaret. Ab hoc tempore parochus s. scripturam diligenter pervolvere atque in sacris suis sermonibus nihil fere, nisi regenerationem, vitam internam, Christum internum, reditum ad Deum, praedicare coepit, conventicula etiam, quae scriniarius ad mentem istam instituit, visitabat, atque, cum fama sermonum ejus permoti, etiam multi separatistae ex Cornthalia aliisque locis ad eum accurrerent, ipse vicissim eorum coetus frequentabat, et ita magis magisque in novo religionis systemate firmabatur, cujus summa haec erat: religionem animi sensis, menti Christi conformibus, piisque sensionibus absolvi, opera ergo externa, ritus sacros, sacramenta exigui momenti esse, nihilque interesse, ad quam ecclesiam quis pertineat, quin po-

simode limitata fuisset. Primum igitur M. Theresia imperatrix a. 1775. in Lombardia eam sustulit. Ejus exemplum a. 1780. dux Mutinensis secutus est. Sacram inquisitionem, quae in Sicilia erat, jam Carolus Burbonicus, qui a. 1734. regnum adeptus est, multo magis autem ejus filius et succesor Ferdinandus, qui a. 1759. regnare coepit, limitavit, et tandem a. 1782. penitus abrogavit. In Tuscia jam Franciscus Stephanus postea imperator, a. 1744. inquisitionis tribunal sustulit, post 10 tamen annos, instante Benedicto XIV. ita restituit, ut ejus sessionibus semper archiepiscopus Florentinus, nuntius apostolicus, cum tribus consultoribus et tres consiliarii magni ducis interessent, sine quorum consensu nihil decerni poterat. Postquam hac forma s. inquisitio adhuc 28 annos in Tuscia perdurasset, Francisci successor Leopoldus a. 1782. eam in perpetuum suppressit. In Venetia quidem usque ad interitum reipublicae perduravit, attamen ejus a regimine civili dependentia, quae jam saeculis elapsis magna fuerat, saeculo 18. adhuc aucta est. Etenim praeterquam quod senatus causas religiosas Judaeorum et Graecorum, tam unitorum, quam schismaticorum, sibi soli reservasset, inquisitioni tres senatores additi sunt, sine quibus illa ne quidem quemquam citare aut testes audire, multo minus judicium ferre poterat. In Lusitania jam rex Joannes V. qui priori saeculi 18. dimidio regnavit, statuit, ut inquisitus advocatum assumere, et a sententia tribunalis ad regem provocare, judex autem regius sententiam inquisitionis examinare et mutare posset. Hinc jam illo tempore actus fidei minus frequentes et minus crudeles erant. Postquam autem sub Joannis successore, Josepho I. Pombalius regni habenas capessisset, inquisitio sacra magis adhuc limitata est, et actus fidei sat lenibus poenis absolvebantur. Sub regibus sequentibus actus fidei leniores et severiores alternabant. Eadem fere valent de inquisitione Hispanica, quae, postquam jam a Gallis, a. 1808.

Hispania potitis suppressa, a rege autem reduce a. 1814. restituta fuisset, a. 1820. a deputatis populum repraesentantibus iterum sublata est.

Le Bret Magazin. 8. Th. Huth Kirchengeschichte. 2. Th.

§. 888. Mutua inter Catholicos et Protestantes relatio.

Unionis tentamina.

Ad Protestantes c[illegible] Catholicis reuniendos hac periodo non quidem p[illegible]a auctoritate quidquam tentatum est; attamen nonnu[illegible] viri privati in scriptis varia proposuerunt, quibus unionem promoveri posse putabant. Sic Dupinius [illegible] 1717. plures epistolas de unione ecclesiae Angli[illegible]nae et Catholicae cum Guilielmo Wake archiepiscopo Cantuariensi communicavit, et in commonitorio ad eundem scripto 39 articulos ecclesiae Anglicanae recensuit, et quantum fieri poterat, doctrinam Catholicam eis conformavit, aut juxta eos mitigavit. At qu[illegible]mquam etiam alii ex theologis Parisiensibus doctrinas Catholicas essentiales a minus essentialibus scripto secernerent; haec tamen archiepiscopo non satisfaciebant, qui ante omnia volebat, ut Galli omnem Romani pontificis auctoritatem rejicerent. Dupinius autem caeterique, qui de unione tractaverant, propter cessiones oblatas a caeteris Catholicis vehementer reprehensi sunt. [1]) Elapso abhinc dimidio circiter saeculo, cardinalis et archiepiscopus Taurinensis Della Lanze, Protestanticum quemdam civitatis in Germannia administrum, amicitia sibi junctum permovit, ut ad unionem inter Catholicos et Protestantes tentandam animum adjiceret, quoniam haec unio ad progressus naturalismi cohibendos plurimum conferret. Cardinalis etiam fidem fecit, sedem pontificiam non tantum unionis tentamen approbasse, sed etiam promisisse, Protestantibus, ecclesiae Catholicae accessuris, calicem eucharisticum concedendum;

fore. A parte Catholicorum ipse se ad hoc negotium gerendum obtulit, et Bossueti expositione doctrinae Catholicae uti constituit. Administer vero a parte Protestantium abbatem Lutheranorum Brunsvicensem, J. Frid. Guil. Jerusalem proposuit, qui autem in suo de unione arbitrio, postea etiam typis vulgato, secundum eam, quae adhuc obtineat in doctrinis gravissimis inter Catholicos et Protestantes dissensionem, unionem minime effici posse judicavit, ideoque mutuam tolerantiam potius commendavit, interim tamen Protestantes absque salutis dispendio religionem Catholicam amplecti posse concessit. Igitur nihil amplius hac in re tentatum est. Post haec Ludovicus Dütens, eruditus Genevensis, qui vero in Anglia vixit, in libro Gallice scripto, cui titulus: »de ecclesia, de papa, quibusdam punctis controversis, et de mediis reunionis inter omnes ecclesias Christianas, principium proposuit, illud ad fidem referendum esse, quod a Clemente I. usque ad S. Augustinum a plerisque ecclesiis acceptatum deprehendatur, et Catholicis ac pontifici pauca quaedam concessit. Non minus, quam hoc, irritum fuit, quod anonymus quidam in Germannia, in libro: Der erste Schritt zur Vereinigung der evangelischen und katholischen Kirche, proposuit, ut nempe in singulis universitatibus professor constitueretur, et specialis academia erigeretur, quorum esset, quaestionem de infallibilitate ecclesiae determinare, et doctrinas, in quibus diversae ecclesiae ab invicem dissentiunt examinare, ac definire, an reipsa, an verbis tantum differant, quantum ab invicem distent, et quousque conciliari possint. Non multo post theologi quidam Catholici et Protestantes ad unionem ecclesiarum promovendam, conjunctionem inter se iniverunt, et a. 1781. librum ediderunt, cui titulus: Einleitung und Entwurf zum Versuche einer zwischen den streitigen Theilen im römischen Reiche vorzunehmenden Religionsvereinigung. In hoc libro modus, quo in unionis negotio

§. 889. Proselyti Catholici e coetu Protestantium.

Ejusmodi scripta effectum intentum nullatenus produxerunt, nec unquam producent, cum Protestantibus nihil aliud agendum esse videatur, quam ut agnita veritate Catholica in sinum ecclesiae, e qua majores eorum excesserunt, revertantur, id quod magis dispositione providentiae divinae, quam opera humana efficiendum erit. Igitur nusquam labente hac periodo integer quidam coetus Protestantium cum ecclesia Catholica unitus aut ad eam reversus est. At singuli eorum identidem ad sacra Catholica transierunt, quamquam nec inter Catholicos deessent, qui a fide avita ad novationes Protestantium deficerent, id quod imprimis a clericis et monachis ex causis utplurimum carnalibus factum est. Inter proselytos Catholicos e coetu Protestantium plures principes erant, et viri eruditione aut ingenio celebres, velut: Antonius Ulricus, dux Brunsvicensis Guelferbytanus, prudentia politica et eruditione non modicam nominis celebritatem nactus, qui a. 1710. sacra Catholica amplexus est, postquam jam ante duos annos ejus neptis Elisabetha Christina, Caroli, postea imperatoris, hujus nominis sexti, sponsa idem fecisset; Frid. Augustus, Saxoniae electoris ejusdem nominis filius et successor, a. 1712. Catholicus; Christianus Augustus, e familia ducum Saxonicorum, qui principatum Zizianum tenebant, post suum ad sacra Catholica a. 1717. transitum archiepiscopus Strigoniensis et cardinalis factus; Carolus Alexander, e familia ducum Würtembergensium, qui cum bellidux Caesareo-Austriacus esset, a. 1713. religionem Catholicam professus est, postea fratris sui in regimine ducatus Würtembergensis successor; Christianus IV. dux Bipontinus, a. 1746. sacra Catholica amplexus; Fridericus filius primogenitus Guilielmi, comitis provincialis Hasso-Casselensis a. 1749. ecclesiae Catho-

suam potestatem accepisset, illis quoque, qui in caeteris ejus terris, et speciatim Berolini vivebant, liberum religionis exercitium et multa jura civilia concessit. Cum posterioribus temporibus reges Borussiae multas alias terras Catholicas acquisivissent, illis perfecta jurium civilium aequalitas concessa est, ita ut saltim secundum legem Protestantibus inferiores non sint. — Etiam in regno Anglicano sors Catholicorum recentiori tempore plurimum mitigata est. In omnibus tribus terris, e quibus regnum istud constat, numerus Catholicorum, hac periodo multum crevit, imprimis in Hibernia, ubi e sex incolarum millionibus, quinque religioni Catholicae addicti sunt. Eandem in Anglia plura centena millia, in Scotia multi, praesertim in regionibus septentrionalibus profitentur, ubi etiam seminarium clericorum et sic dictam academiam habent. Catholici in Anglia a 4 episcopis reguntur, qui vero nonnisi vicarii sedis apostolicae sunt, adeoque etiam nomine pontificis dispensationes concedunt, quae alibi ab hoc ipso peti debent. Hiberni 4 archiepiscopos et 22 episcopos proprios habent. Leges durae, priori periodo contra Catholicos in regno Anglicano latae, quibus omni jure civitatis exclusi, et in Anglia ac Scotia publico religionis suae exercitio privati erant, per maximam saeculi 18. partem valebant, et frequenter effectui dabantur. Recentiori tempore animi mitigati, et prudentia politica effecerunt, ut auctoritas publica precibus Catholicorum, praesertim Hibernorum cederet, et circa annum 1780. leges contra eos latas abrogaret, (exceptis illis, quibus ab omnibus muneribus publicis, et a voce tam activa quam passiva in electionibus ad populum in camera inferiori repraesentandum excluduntur) nec non Catholicis in Anglia et Scotia liberum religionis exercitium concederet. Haec omnia a regimine constanter sustentata sunt, etiamsi populus Protestanticus in Anglia, speciatim Londini, cum Catholici ecclesias et scholas erigerent, eorumque sacer-

dotes vestibus clericalibus induti in medium procederent, seditionem excitaret, papatum reduci clamans. Catholici e contra, praesertim Hiberni jam magis magisque flagitabant, ut etiam illae leges abrogarentur, quibus a muneribus publicis et electionibus excluduntur. Id quidem sine aliqua constitutionis publicae mutatione fieri nequibat, siquidem lege statutum est, ut nemo ad munus publicum et ad cameras admittatur, qui non jurejurando publice contestatus fuerit, se regem suprema in ecclesiam potestate instructum credere et transsubstantiationem rejicere, atque in hujus rei signum eucharistiam in aliquo templo ecclesiae Episcopalis perceperit. Nihilominus a. 1793. publica auctoritate decretum est, ut in posterum Catholici sine publica illa contestatione ad munera publica, exceptis triginta supremis, admitterentur, atque etiam in electionibus vocem activam haberent. His concessionibus Catholici per aliquod tempus acquieverunt. *) Sed ab anno 1813. saepius a potestate publica sublationem restrictionis adhuc residuae, seu ut dicere solent, omnimodam emancipationem petierunt. Verum etiamsi magna pars populi et deputatorum ejus, partim ex aequitatis amore, partim ex rationibus politicis emancipationi faveant; reliqui tamen, speciatim clerus et proceres, periculum ecclesiae Anglicanae et constitutioni publicae ex illa metuentes, vel etiam praejudiciis et odio in ecclesiam Catholicam ejusque caput, pontificem repleti, eidem acriter adversantur, ita ut Catholici eam hucusque impetrare non potuerint.

*) Stäudlin kirchliche Geographie und Statistik.

§. 891. In Suecia, Dania, Batavia, Helvetia, Germannia, America.

Eodem circiter tempore, quo leges duriores contra Catholicos in regno Anglicano abrogabantur, ordines publici in Suecia Christianis, a religione Lutherana alienis, facultatem, religionem suam profitendi et

exercendi concesserunt, attamen cum magnis restrictionibus, inter quas hae sunt, ut nullas scholas habere, nullos libros, in quibus eorum religio exponitur, typis mandare eis liceat, ut quivis indigena, qui a religione Lutherana deficit, jure civitatis privatus in exilium mittatur. Quoad jura civilia statutum, ut nemo a Lutheranismo alienus ad munus aliquod publicum vel inter regni ordines admittatur. Secundum has restrictiones speciatim Catholicis a. 1781. exercitium religionis suae concessum est, quo facto pontifex vicarium apostolicum in Sueciam misit ad indigentias spirituales Catholicorum curandas. Hi caeterum numerum millenarium ibi vix supergrediuntur; plerique eorum Holmiae et in ejus vicinia, complures etiam Gothenburgi degunt, suntque vel peregrini vel posteri peregrinorum, et cum ob paupertatem ecclesiam non habeant, sacra sua in aula quadam conducta peragunt. — Etiam in Dania recentiori tempore leges, quibus Catholici non tolerabantur, multum mitigatae, iisque liberum religionis exercitium Hafniae et in aliis quibusdam locis concessum est. — In republica Batavica Catholici, qui tertiam fere partem incolarum efficiebant, jam initio hujus periodi publico religionis exercitio, sed variis modis restricto, et tolerantia civili fruebantur. Ex quo autem terra ista Gallorum potestati obnoxia facta fuit, ab anno scilicet 1795, omnibus Christianis, adeoque etiam Catholicis plena religionis libertas et jurium civilium aequalitas concessa, atque utraque haec res etiam condito regno terrarum inferiorum eo magis conservata est, quia Belgium, quod cum Batavia regnum illud efficit, ex toto Catholicum est. — In Helvetia res ita composita est, ut in civitatibus Catholicis religio Catholica, in reformatis Calviniana dominetur, aliena toleretur, in mixtis Catholica et Calviniana paribus juribus gaudeant. — In Germania Catholici in illis terris, ubi eis ex pace religiosa Augustana et Westphalica non competebat, prioribus

Protestanticae, altera pro Anglicanis, altera pro Germannis extructae fuisse scribuntur.

Stäudlin lib. cit. Schroeckh Kirchengeschichte seit der Reformation. 9. Th.

§. 892. Sors Protestantium in terris Germannicis.

Quod vicissim sortem Protestantium in terris vel sub principibus Catholicis attinet, dominium religiosum Calvinianorum in Palatinatu Rhenano hac periodo diversimode impetitum et restrictum est. Hac enim terra, postquam a. 1685. familia principum ejus Calvinianorum emortua fuisset, ad principes Catholicos, illis proxime cognatos pervenerat, qui jam ab anno 1690. etiam subditis suis Catholicis varia quoad religionem jura et commoda in detrimentum Calvinianorum comparare tentabant. Sic Joannes Guilielmus Catholicis nonnullas ecclesias et bona quaedam ecclesiastica tradidit, Calvinianis ademta. Idem a. 1698. sic dictum simultaneum praescripsit, vi cujus non tantum Catholicis, sed etiam Lutheranis in illis locis, ubi proprias ecclesias non habebant, sacra sua in templis Calvinianorum peragere liceret, quod praescriptum reapse in nonnullis urbibus effectui datum est. Huic non tantum Calviniani in Palatinatu vehementer reclamarunt, sed etiam elector Brandenburgicus eorum causam agendam suscepit, et occupatis subditorum suorum Catholicorum in Magdeburgo et Halberstadio bonis ecclesiasticis, a. 1705. electorem Palatinum ad simultaneum revocandum et ad promissionem, Protestantes ad omnia munera publica admittendi, cunctaque eorum gravamina tollendi adegit. Simul tamen decretum, ut Calviniani, ubi plures ecclesias haberent, Catholicis nullam habentibus unam concederent. Similiter Guilielmi successor, Philippus, qui a. 1719. catechismum Heidelbergensem pı [illegible] er loca Catholicis ignominiosa in eo contenta prohibuit, et quamdam ecclesiam Heidelbergae in usum aulae suae

constitutioni regni adversam esse. Hinc commissio illa, re infecta soluta est. Nihilominus Carolus a. 1731. varia in favorem eorum decrevit, simul tamen statuit, ut festa Catholica observarent, eorum opifices sacris Catholicorum processionibus interessent, omnesque, qui ad munera publica admitterentur, etiam per B. Mariam et omnes sanctos jurarent. Nec cessarunt Catholici religionis eorum exercitio diversimode adversari. Hic status Protestantium etiam sub M. Theresia perduravit, imo nonnulli ex clero Hungarico eorum extirpationem desiderabant. Regina tamen, ad quam bis supplices convertebantur, et supramemoratum jusjurandum eis remisit, et alia quaedam gravamina eorum sustulit. Ejus autem filius et successor Josephus II. eandem religionis libertatem et jurium aequilitatem, quam caeteris suis subditis Protestantibus, eis concessit. Contra hanc concessionem primas regni aliique episcopi quidem exceperunt, inter alia etiam propterea, quod ejusmodi leges nonnisi in publicis comitiis, concurrentibus episcopis rogari possint. Ea nihilominus effectum consecuta est, atque ad istam exceptionis rationem removendam, Leopoldus II. Josephi successor, in comitiis a. 1791. celebratis, pacificationem Viennensem, quae similia jura Protestantibus concesserat, ab ordinibus confirmari curavit. Verum et contra hanc legem pars cleri et caeterorum ordinum Catholicorum protestata est. [1]) — In Polonia Protestantes, qui una cum Graecis schismaticis nomine dissidentium compellari solebant, perfecta religionis libertate et jurium civilium ac politicorum aequalitate, qua praeterita periodo gavisi fuerant, praesenti successive minuebantur. Ac primo quidem ex transactione Varsoviensi, anno 1716. inita, et sequenti inter publicas leges relata, jus amiserunt, novas ecclesias extruendi; deinde ex actis confoederationis generalis, a. 1733. initae, ab altioribus muneribus publicis, et a jure suffragii in comitiis regni exclusi sunt; denique plures ecclesiae eis adime-

§. 894. In Gallia.

Non minus felicem mutationem sors Protestantium in Gallia subiit. Illi, qui in montibus Cemmeniis habitabant, et Camisardi dicebatur, a. 1702. bellum excitarunt, cujus occasio haec erat. Nonnulli eorum abbatem de Chaila, qui eos in vinculis detinuerat, interfecerunt; cumque interfectores et alii quidam, qui alia crimina commiserant, morte mulctarentur, caeteri arma arripuerunt, et copiis regiis, contra se missis magna fortitudine et constantia resistebant, simulque contra vicinos Catholicos igne et ferro saeviebant. Cum haud facile vinci possent, atque etiam bellum, quod tum Galli cum extraneis gerebant, successum admodum sinistrum haberet; rex eis has pacis conditiones obtulit, ut eis religionem suam profiteri, imo etiam, attamen sine templis et extra loca munita, exercere liceret, ut omnes propter religionem capti dimitterentur, illique, qui eadem ex causa Galliam reliquissent, in patriam reverti, ibique secure morari possent, et priora bona ac jura reciperent, denique ut illi, quorum domus durante bello destructae fuerint, 7 annos ab omnibus tributis immunes essent. Quas conditiones cum plerique Camisardi acceptarent, atque dux illorum, qui eas respuebant, non multo post mortuus esset; hoc bellum a. 1705. finitum est. Illud successu adeo felici ab eis gestum fuisse, partim conditioni territorii eorum, montium faucibus, sylvisque pleni, partim fortitudini et ingenio militari juvenis cujusdam, qui eos ducebat, partim hominibus quibusdam exaltatis inter eos adscribendum est, qui se divinitus inspiratos venditabant, nomine Dei felicem rerum gerendarum eventum, imo miracula promittebant, vaticinia de destruendo Antichristo edebant, loquentes gestus singulares formabant, imo convulsionibus corripiebantur, atque his omnibus suorum animum inflammabant, eosque ad cuncta audenda et perferrenda pronos paratos-

quodque montes Cemmenios complectitur, mox anno sequenti 1790. crudelem contra vicinos Catholicos vindictam exercuerunt. Speciatim Nemausenses, non contenti, cives suos Catholicos, qui numero eos triplo superabant, a magistratu, ab altioribus gradibus militiae nationalis, et a directione congregationum eligentium exclusisse, viginti circiter rusticorum Calvinianorum millia in urbem vocarunt, iisque conjuncti domos et ecclesias Catholicorum diripuerunt, ipsos pessime tractarunt et ultra sexcentos eorum trucidarunt. Terror, quo factio sanguinolenta, post aliquod tempus summa rerum in Gallia potita, cunctos implevit, his violentiis contra Catholicos finem fecit. Dominationem tamen, quam Protestantes Nemausenses sibi asseruerant, iidem non tantum durante republica, sed etiam imperante Napoleone retinuerunt. Sub hoc universis Acatholicis in Gallia status a congregatione nationali decretus conservatus est, imo eorum non minus, quam Catholicorum indigentiae ecclesiasticae ex aerario publico sustentabantur. Cumque Napoleon ecclesiam Catholicam ejusque caput, pontificem diversimode persequeretur, Protestantes ei non parum addicti erant. Hinc illi, qui in territorio Vardi et speciatim Nemausi habitant, anno 1815. cum Napoleon ex Ilva insula in Galliam reverteretur, iterum gravissimam persecutionem contra Catholicos, qui regiae Burbonum dynastiae adhaerebant excitarunt, violentiis, rapinis, caedibus plenam. Cum vero post aliquod tempus Napoleon loco suo iterum dejectus fuisset, et copiae regiae Nemausum venissent, Catholici tam in urbe quam rure Protestantibus, qui ne nunc quidem a violentiis, seditionibus, et caedibus abstinebant, aliquomodo mutuam vicem reddiderunt. Sed hi, quo illis invidiam crearent, mala sibi illata ultra modum exaggerabant, et deceptoribus quaquaversum missis, exteris persuadere conati sunt, se innocenter religionis causa cruenta persecutione a Catholicis exagitatos fuisse. *) Caeterum no-

annum demum 1720. hae lites paulatim decrescere coeperunt, partim quia ipsa temporis longinquitas earum fervorem minuit, partim quia aulae Dresdensis et Berolinensis certantes refroenabant, quarum prior theologis Saxonicis ignominioso pietistarum nomine in sermonibus et scriptis uti vetuit, et continuationem librorum, Halensibus oppositorum prohibuit; maxime vero, quia circa idem tempus philosophia Wolfiana in lucem prodiit, quae tanquam hostis communis, utriusque partis studia contra se excitavit. Caeterum plura saltim eorum, quae Spenerus et Halenses voluerant, maxime per alios, qui quasi medii inter utramque partem incedebant, et utriusque bona conjungebant, inter Lutheranos effectui data sunt. Ab hoc enim tempore polemica inter eos plurimum mitigata, et tandem eliminata, studium biblicum et theologia moralis diligentius culta, sacri sermones in expositiones practicas doctrinarum evangelicarum mutati, denique studium pietatis, et conamen mores ad praescripta evangelica componendi studio merae fidei orthodoxae praelatum, magisque promotum.

Vide libros priori periodo, loco correspondente citatos.

§. 897. Herrenhuthani. Eorum origo.

Idem studium pietatis et mysticismi, per Spenerum excitatum, nonnihil ad coepta contulisse videtur, quibus Nicolaus Ludovicus comes de Zinzendorf et Pottendorf in Saxonia, vigesimis saeculi 18. annis novam inter Lutheranos sectam condidit. Is nempe, qui jam natura in pietatem proclivis erat, anno aetatis undecimo Halam Saxonum, praecipuam Spenerianorum sedem missus, ibique in paedagogio per aliquot annos educatus, et exercitiis in eo introductis ad pietatem informatus est, eo quidem effectu, ut jam tum cum pluribus aliis adolescentibus statuto tempore sacros conventus, maxime orationis causa ageret, et cum juvene quodam barone consilium, Ethnicorum conver-

gnatus est, cujus nomen Hutberg ansam dedit, ut se sub tutela Domini, nempe Dei, constitutos dicerent, ideoque novum locum Herrenhuth vocarent. Primos hos emigrantes brevi tempore multi alii secuti sunt, ita ut regimen Caesareum etiam severiora media contra fratres emigraturos adhiberet, et, cum neque his retineri possent, apud regimen Saxonicum desuper conquereretur, quo facto istud a. 1733. comiti, ne plures susciperet, interdixit, a quo tempore emigrationes eo magis cessarunt, quia alioquin plerique fratres jam emigraverant. At inter incolas Herrenhuthi jam a. 1723. dissensiones religiosae exortae sunt, cum alii ex fratribus doctrinas Lutheranas, alii Calvinianas suis ex libris imbibissent, ad quod accessit, quod praeter eos alii quoque Protestantes Herrenhuthi sedem fixerant, qui a constitutione et disciplina ecclesiastica fratrum alieni erant. Cum dissentientes jam ab invicem discedere meditarentur, comes de Zinzendorf id eo impedivit, quod unionis statuta componeret, ab omnibus Herrenhuthi incolis, a. 1727. post sumtam in ecclesia Bertholdsdorfensi sacram coenam solemniter accepta, in quibus, missis doctrinis differentibus, fundamentales tantum religionis Christianae veritates, imprimis doctrina de cruenta Christi morte expiatoria, porro animi puritas et simplicitas, ac universalis amor erga omnes Dei filios, cuicuncque religioni addictos, constitutio autem et disciplina ecclesiastica ad normam illius, quam fratres Moravici habebant, praescripta erat. Ad hanc pertinebant: duodecim seniores, introducto ordini invigilantes, et cum comite de salute communitatis in sic dictis seniorum collationibus deliberantes, inspectores morum, adhortatores delinquentium, ministri infirmorum, dispensatores eleemosynarum, consociationes singulorum ad suum animi statum in colloquiis expendendum, vigiliae, in eo sonsistentes, ut singuli, vel plures integras noctes oratione et cantu transigerent, agapae, sortile-

episcopum fratrum unitorum seu Herrenhuthanorum se ordinari curavit. Anno autem sequenti 1738. e Saxonia relegatus est, quia scripto promittere recusabat, se quosdam inter suos abusus, quos ipse non agnoscebat, sublaturum esse. Ab hoc tempore per multas Europae terras et in Americam usque profectus est, partim ad novos Herrenhuthanorum coetus fundandos, partim ad fundatos confirmandos, id quod etiam editis scriptis praestare conatus est. Post decem annos in Saxoniam redire permissus a regimine impetravit, ut ejus institutum Herrenhuthi a selectis quibusdam viris examinaretur, qui illud omnino approbarunt, quo facto Herrenhuthanis sedes in loco Barby in Saxonia oblatae sunt, quem in locum seminarium suum theologicum, quod Mariaebornae in ditione comitum de Ysenburg ad praedicatores sibi excolendos erexerant, transtulerunt, ibique etiam a. 1754. collegium academicum in usum juventutis suae litterarum studiosae condiderunt. Praeterea aliis quoque in terris, nominatim in Lusatia, coetus eorum hoc tempore multiplicabantur, et in Anglia a. 1749. publico ordinum decreto eorum communitas, quae unitas fratrum vocari consuevit, tanquam antiqua ecclesia evangelica episcopalis agnita est. Nihilominus religiosum Herrenhuthanorum systema a theologis Lutheranis haud paucis impugnabatur, et variorum errorum, ac indifferentismi religiosi arguebatur. Sed neque hi aliique adversarii, neque mors comitis de Zinzendorf, qui a. 1760. fatis functus est, effecerunt, ut res Herrenhuthanorum decrementum pateretur. Ea potius continua incrementa cepit. Etenim a. 1764. in imperio Russico plenam religionis libertatem consecuti sunt, quo facto in regno Astrachan Persiam versus Sareptam condiderunt. Non multo post in insulis Nicobaricis, et Tranquebariae in India orientali tanquam missionarii consederunt. Eorum missiones in America, nominatim in Laboratoria inter Esquimoxos, et Surinami inter servos nigros in-

ctori adscribant, adeoque doctrinam, Christum ecclesiam suam gubernare summopere urgeant. Inde est, quod omnia ejus nomine decernant, suscipiant et exequantur, quod omnes res gravioris momenti, in quibus de eo, quod melius sit, certitudo non habetur, speciatim electiones ad munera ecclesiastica, ad missiones, ad nuptias etc. sorte decidant, sortes a Christo regi credentes. Inter doctrinas Christianas nullam magis colunt et frequentant, quam, Christum morte sua cruenta nos a peccatis redemisse, unde Zinzendorfius suum religionis systema, theologiam crucis aut sanguinis vocare solebat. Denique imaginibus quibusdam biblicis, quae praedilectis eorum doctrinis respondent, velut: Christum agnum esse, peccata mundi tollentem, inter eum ejusque ecclesiam matrimonium intercedere, mirum in modum delectantur et frequentissime utuntur. — Religio omnia eorum animi sensa, omnes actiones, totam denique vitam penetrat, quod partim ab eorum mysticismo, partim a constitutione descendit. In quavis communitate membra secundum aetatem et sexum distributa, et in sic dictos choros puerorum, puellarum, juvenum, virginum, viduorum et viduarum conscripta sunt, et in propriis domibus choralibus, labores suos ibi peragentes convivunt, propriosque adjutores vel adjutrices, consilio et opere assistentes, sibi praepositos habent. Conjuges cum parvulis in aedibus quidem privatis habitant, attamen et ipsi suis inspectoribus subsunt. Hi sicut praefecti chororum ea, quae in familiis et domibus choralibus aguntur, conferentiae seniorum nuntiant, quae ex supremo coetus praeposito, praedicatore et praefectis chororum constat. Praedicatoribus additi sunt diaconi et diaconissae, quae sexum faemineum institutionibus, monitis, consiliis adjuvant. Praeterea hinc inde constituti sunt episcopi, qui praedicatores ordinant, et conservationi ordinis ecclesiastici invigilant; porro seniores civiles, quorum curae constitutio societatis et relatio ad magistratus

in quibus juventus bene instituitur, praecipue vero ad religionem informatur. Qui litteris operam navare volunt, in sic dictis paedagogiis, quae in nonnullis coetibus existunt, informantur, et postea in collegio academico, ubi omnes scientiae docentur, plenius instituuntur. Theologiam docent dogmaticam, moralem, et catecheticam. Caeterum non magnam eruditionis laudem consecuti sunt, et majorem litterarum culturam potius impediunt, quam promovent, verentes ne ex ea dissensiones et lites enascantur. — Quod denique eorum propagationem attinet, coetus hodie habent in Europa: in Saxonia, Silesia, Berolini, in ditione comitum de Reuſs, ducis Gothani, in Nassovia, in Frisia orientali, in Helvetia, Dania, Batavia, Anglia, Hibernia, Russia, sed paucos ubique; in Asia: Sareptae et in India orientali Danis subjecta; in Africa: in promontorio bonae spei; in America: in Groenlandia, Laboratoria, in pluribus civitatibus confoederatis Americae septentrionalis, in insulis quibusdam Danicis et Anglicis, in Guiana Batavica seu Surinamo, et inter Nigros liberos, denique in insulis australibus. Omnes eorum coetus extra Europam originem debent eorum conatibus, paganos ad Christum convertendi.

Cranz alte und neue Brüderhistorie. Spangenberg Leben des Grafen von Zinzendorf. Lynar Nachricht von dem Ursprung und Fortgang, und hauptsächlich von der gegenwärtigen Verfassung der Brüder-Unität. Loretz ratio disciplinae unitatis fratrum. Fresenius bewährte Nachrichten von herrnhuthischen Sachen. Schaaff die evangelische Brüdergemeinde, geschichtlich dargestellt, 1825.

§. 901. Posteriores controversiae religiosae inter theologos Lutheranos.

Post lites Pietisticas variae adhuc controversiae religiosae inter theologos Lutheranos agitatae sunt. Inter eas pertinet controversia de virtute verbi divini physica an morali, seu an s. scriptura in legentibus et

rant. impugnare coeperunt, contenderuntque, nemini jus esse, tales libros eo consilio condendi, ut caeteri ad doctrinam in eis propositam profitendam tradendamque obstringantur, eorum utilitatem in procuranda fidei unitate repositam negarunt, vel fidei unitatem non esse necessariam contenderunt, denique varia ex eis mala, praesertim pro praedicatoribus enasci ostendere conati sunt. Quid vero librorum istorum adversarii reapse intenderint, potissimum manifestum fecit Antonius Fridericus Büsching, qui in libro a. 1770. sub titulo: Allgemeine Anmerkungen über die symbolischen Schriften der evangelisch-lutherischen Kirche, edito, doctrinas de divina Trinitate, de Christi divinitate, de peccato originali, de gratiae divinae necessitate, de virtute sacramentorum, de aeternitate poenarum, tanquam tales proposuit, quae non in s. scriptura sed tantum in libris symbolicis contineantur. Quamquam autem haud pauci utilitatem et necessitatem horum librorum demonstrarent, et ecclesiae jus vindicarent ejusmodi condendi, iisque adversantes e suo gremio excludendi; tamen paulatim librorum illorum auctoritas admodum decrevit, et obligatio eorum in plerisque terris Lutheranis sublata est, ita ut jam paucissimi essent, qui eisdem consentanea sibi docenda esse existimarent. [4]) — A libris symbolicis Lutherani mox ad libros canonicos impugnandos progressi sunt: Hujus rei initium inter eos fecit Georgius Ludovicus Oeder, qui a. 1760. qua superintendens Feuchtwangensis in marchionatu Onolzbaccensi mortuus est. Is nempe in quodam tractatu libros chronicorum, Esrae, Nehemiae, et Esther, nec non novem posteriora capita Ezechielis prophetae inter libros canonicos pertinere negavit, et in alio tractatu Apocalypsi Joannem auctorem adeoque etiam praerogativam libri sacri et inspirati abjudicavit. Uterque tractatus post mortem demum auctoris in lucem emissus est, ille a. 1771. a Ludovico Vogel, assessore facultatis theologicae Halensis, iste a. 1769. a

menti liber esset, cujus genuinitas vel integritas non in dubium vocata, aut penitus negata fuisset, quo facto etiam auctoritatem eorum divinam seu inspirationem collabi necessum erat. Hac autem rejecta nihil habebatur, quo doctrinae, intellectum humanum suprascandentes, seu superrationales probari poterant, sicut negata eorum authentia veritas eventuum in eis narratorum, adeoque ipsum factum revelationis fide dignum esse cessavit. — Quemadmodum jam illa conamina, auctoritatem librorum symbolicorum et canonicorum destruendi, ex propensione in Deismum descendebant; ita hic vicissim iisdem conaminibus plurimum promovebatur; atque ab hoc tempore continuo plures inter Lutheranos surgebant, qui vel ipsum factum revelationis, vel facta supranaturalia, miracula scilicet et vaticinia, vel doctrinas intellectu humano superiores aut omnes aut plures negarent, et speciatim Jesu Christo divinitatem, ac progressu temporis etiam Messiae et legati divini characterem abjudicarent, eumque ad merum hominem, qui meliorem religionis doctrinam proposuerit, deprimerent. Plurimi tandem in eo convenerunt, revelationem divinitus quidem factam fuisse, et in libris sacris contineri, at non eum in finem, ut hominibus veritates superrationales communicarentur, sed ut ratio humana in explorandis et statuendis veritatibus religionis naturalis adjuvaretur, unde libri sacri nonnisi tales veritates continere possint; caetera, quae in eis leguntur, vel involucra aut schemata illarum veritatum esse, vel conceptus aut opiniones illi aetati et genti, cui revelatio facta est, proprias, vel accommodationes ad tales opiniones et conceptus, quae omnia ope historiae et sanae exegesis ab ipsis veritatibus, semper et ubique valentibus, secernenda sint. Hoc systema, quo ratio humana tanquam supremum religionis principium statuitur, et effata bibliorum ad ejus normam exiguntur, rationalismus dici consuevit, qui a naturalismo non in fine praefixo, nempe Deismo,

mum, cui major pars theologorum et praedicatorum addicta est, quique publice inter eos docetur, characteristicae religionis Christianae doctrinae semoveantur. Cumque, prout ex supra dictis patet, circa religionis doctrinas fere quot capita, tot inter eos sint sententiae, fidei unitas, sine qua societas, quae ecclesiae nomen gerat, consistere nequit, frustra inter eos quaeritur, adeoque sic dicta ecclesia Lutherana soluta jam est, id quod plures ipsorum ultro fassi sunt. Verum id minime malum esse permulti eorum existimant, ecclesiam haud esse necessariam contendentes aut ad sic dictam ecclesiam invisibilem, quae vero, quoniam in ipsis terminis sibi contradicit, nullibi existit, confugientes. In terris quibusdam extra Germanniam, nominatim in Suecia, Lutheranismus magis conservatus est, nec rationalismus adeo invaluit.

Literaturzeitungen und theologische Journale. Erzählung und Beurtheilung der wichtigsten Veränderungen, die vorzüglich in der zweyten Hälfte des gegenwärtigen Jahrhunderts in der gelehrten Darstellung des dogmatischen Lehrbegriffs der Protestanten gemacht worden sind. 1790. Tittmann pragmatische Geschichte der Theologie und Religion in der protestantischen Kirche während der zweyten Hälfte des 18. Jahrhundertes. Planck über den gegenwärtigen Zustand und die Bedürfnisse unserer protestantischen Kirche. 1817. Hohenegger Zeichen der Zeit.

§. 903. Mystici, phantasiastae, separatistae inter Lutheranos.

Haec multorum ex ipsis theologis et praedicatoribus a fide Lutherana defectio non parum contulit, ut recentiori tempore in diversis locis haud pauci, praesertim ex plebe, tum rustica, tum urbicana ab ecclesia se separarent, simulque varias opiniones mystici generis et mores iis conformes adoptarent. Sed jam primis hujus periodi temporibus, occasione motuum Pietisticorum ejusmodi homines inter Lutheranos sur-

uovum Messiam se venditavit, et inter alia docuit, Jesum fuisse falsum prophetam, Borussiae regem, Fridericum II. esse diabolum, praedicatores vero deceptores, qui mortem praedicent, se autem praedicare vitam, unde asseclae sui non morituri sint, tempus appropinquare, quo ipse 24 seniores apocalypticos conjuncturus, et accepto gladio eorum ope mundum recturus sit. Quae et similia etiamsi admodum insana essent, tamen non deerant, qui magnificis ejus promissionibus capti, plenam Rosenfeldio fidem adhiberent, eo usque progressam, ut septem e suis virgines ei committerent, quibus sibi ad septem signacula libri vitae solvenda opus esse eis persuaserat. Multo tempore elapso unus ex asseclis ejus fidelissimis Rosenfeldium ad regem detulit, non ut fraudis eum accusaret, sed ut regem permoveret ad eum, ut promissiones suas impleret, adigendum. Rex novum Messiam in ergastulum misit, quo ejus asseclae in sua in illum fide tam parum concussi sunt, ut ad judicem citati persuasiones suas ex illo haustas intrepide profiterentur, ob quas velut mente capti nulla poena affecti sunt.[1] Ipse Rosenfeldius post duos annos libertati restitutus, et quamquam insanias suas aliis porro persuadebat, eandem ob rationem non amplius impetitus est. Etiam in Saxonia et Megalopoli, quo profectus est, asseclas sibi conciliavit. In universum 30 fere annos phantasmata sua disseminavit, sectatoribus victum ei praebentibus, qui eo demum mortuo credulitatis suae stultitiam intellexerunt.[2])

[1]) Schlegel Kirchengeschichte des 18. Jahrhundertes.

[2]) Denkwürdigkeiten der Markgräfinn von Anspach. 2. Th.

§. 904. Continuatio.

Altero saeculi 18. dimidio praecipue in ducatu Würtembergensi complures rustici aliique plebeji ab ecclesia se separarunt, separatistae inde dicti, quorum

annos Nielson Hauge phantasmata dictis et scriptis disseminavit, et complures asseclas nactus est, quibus persuasit, se arcte cum Deo conjunctum esse, Jesum familiariter secum conversari, eos solos Dei filios esse, at caeteros omnes liberos saeculi, et a Deo reprobatos. Nihilominus tam ipse, quam ejus asseclae adulterii et fornicationis arguebantur. Inter hos etiam communionem bonorum introduxit, et fidem in immediatas gratiae divinae operationes inculcavit. Eo a. 1805. jussu regiminis comprehenso secta dissipata fuisse videtur. [2])

[1]) Henke Religionsannalen. 2. Band. Stäudlin und Tzschirner Archiv für alte und neue Kirchengeschichte. 4. Band. Actenmäſsige Geschichte einer würtembergischen neuen Prophetinn, herausgegeben von Henke.

[2]) Theologische Nachrichten. Jahrgang 1808.

§. 905. Continuatio.

Multo frequentius hujus generis homines, mystici et phantasiastae, recentissimo tempore, altero nempe saeculi 19. decennio inter Lutheranos emerserunt, ad quod praeter taedium indifferentismi et teporis religiosi, qui inter eos invaluit, etiam calamitates temporis, speciatim gravia tributa aliaque onera, homines ad egestatem deprimentia, et ad solatium in phantasmatis religiosis quaerendum deducentia, potissimum cooperata fuisse videntur. Phantasmata eorum non parum quidem inter se differunt; haec vero omnibus fere communia sunt, ut pias animi sensiones, quas vitam internam vocant, sectentur, ut ad hanc vitam nutriendam orationi et meditationi frequenter vacent, ut sibi Spiritum s. obtingere dicant, qui eorum mentes illustret ad s. scripturam recte intelligendam et Dei voluntatem cognoscendam, ut propter haec omnem ecclesiam externam et visibilem, fidei symbola, cultum divinum publicum, sacramenta aliosque ritus sacros et

eos in s. scriptura instituebant, Berolini, Norimbergae Argentini, et in quibusdam locis circuli Rhenani Bavarici. Etiam in Dania, nominatim in Fionia eodem tempore similes mystici inter plebem rusticam invalescebant. Qui vero in Sueciae provinciis, Bothnia septentrionali et occidentali, auctore milite quodam dimisso circa idem tempus, nomine novorum lectorum (Ny-Laesare) in sectam coaluerunt, praecipue doctrinas Lutheranas de servo arbitrio, seu gratia bonum totum sola efficiente et de fide sola justificante ac salvante ita explicabant, ut vitae emendationem haud necessariam esse statuerent. Iidem concubitum inter personas innuptas, dummodo altera earum ad hanc sectam pertineat, licitum pronuntiabant, eo quod optimam institutionis aut conversionis occasionem praebeat. Sectariis hactenus commemoratis ubique fere superiores ecclesiastici et magistratus civiles variis modis se opposuerunt; quo etsi hinc inde dissiparentur, minime tamen extincti sunt.

§. 906. Constitutio et liturgia ecclesiae Lutheranae.

Talis ergo erat facies ecclesiae Lutheranae respectu fidei et doctrinae. Quod ejus constitutionem attinet, systema territoriale, ex quo dominus territorii simul supremus in eodem episcopus est, potestate instructus, omnia, quae ad hierarchiam, liturgiam et disciplinam pertinent, genio doctrinae conformiter statuendi et ordinandi, hac periodo a jurisconsultis stabilioribus principiis per sic dictum systema collegiale superstructum est. *) Caeterum in Germannia pristini gradus pastorum, superintendentium specialium et generalium, consiliariorum ecclesiasticorum et consistoriorum inferiorum ac supremorum, in Dania autem et Suecia episcopi conservati sunt. In Russia imperator Alexander a. 1819. pro ecclesia Evangelica, quae Lutheranam et Calvinianam ibidem simul complectitur,

eri sublati fuerunt, eum potissimum in finem, ut hac ratione unio inter Lutheranos et Calvinianos promoveretur. Hanc mox initio hujus periodi rex Fridericus I. efficere tentavit, ideoque a. 1703. theologis quibusdam Lutheranis et Calvinianis, ut in unum congressi de ea deliberarent, mandavit. Sed haec coepta brevi post eo maxime irrita facta sunt, quod unus ex deliberantibus theologis, Josephus Winkler, concionator apud ecclesiam cathedralem Magdeburgensem, in scripto, regi exhibito, et typis quoque vulgato, eam unionis rationem suaserit, ut munus praedicatoris paulatim ubique theologis Halae institutis conferretur, accessus ad eucharistiam sine praevia peccatorum confessione permitteretur, vestimenta sacra, luminaria, hostiae in eucharistia, porro exorcismus in baptismo, et plerique dies festi adhuc residui abrogarentur, de fidei doctrinis autem sentiendi libertas cuivis parti concederetur. Haec autem consilia Lutheranis orthodoxiae suae studiosis quam maxime displicebant, partim ob praerogativam, Halensibus, contra quos tum acerrime disputabatur, concedendam, partim ob postulatam facultatem de fidei doctrinis libere sentiendi, quae indifferentismus et syncretismus dicebatur, partim propterea, quod ut illa omnia rex secundum arbitrium suum praeciperet, auctor suaserit. Igitur jam plures illorum scripta contra unionem intentam ediderunt. His responderunt plures theologi Reformati, qui in universum in unionem proni erant, et ad eam efficiendam suadebant, ut praeprimis unio externa iniretur, doctrinae autem, in quibus utraque pars dissentiat, silentio premerentur. Rex vero unionem eo promovere tentavit, quod in nonnullis urbibus ecclesiam unionis designaret, in qua catechismus Lutheri et Heidelbergensis eadem in mensa collocati erant, et cultus divinus publicus pro utraque parte celebrabatur, quod orphanotrophia Berolinense et Regiomontanum alumnis utriusque confessionis accommodaret, quod a facultate

viniani teneant, tum animum eorum, Lutheranis inimicum, tum artes et violentias, quibus in nonnullis terris his praevaluerant, exposuit. Cumque etiam inter principes Lntheranos plures unionem, secundum puncta illa scripto delineatam reprobarent, hoc quoque tentamen effectu caruit. — At Fridericus Guilielmus I. rex Borussiae post plures abhinc annos unionem suis in terris eo promovere conatus est, quod ab altera parte doctrinam Calvini de absoluta praedestinatione, quam et ipse summopere improbabat, scripto impugnari curaret, ab altera autem inde ab anno 1736. ritus quosdam sacros, quibus Calviniani offendebantur, velut vestimenta sacra, luminaria in eucharistia, decantationem orationum, suis in terris interdiceret, ita, ut praedicatores, qui hoc interdictum observare nolebant, munere suo privarentur. Sed unio ipsa hac ratione eo minus effecta fuit, quia regis a. 1740. mortui filius et successor, Fridericus II. iterum concessit, ut qui vellent, ritus abrogatos suis in coetibus restituerent, id quod reapse in pluribus locis factum est.

J. G. Walch Einleitung in die Religionsstreitigkeiten aufser der lutherischen Kirche. Schlegel lib. cit.

§. 908. Uniones effectae.

Recentiori tempore propensio in rationalismum et indifferentismum religiosum, quae inter Protestantes invaluit, effecit, ut plurimi Calviniani praedestinationem absolutam, Lutherani vero realem Christi in eucharistia praesentiam non amplius crederent, et in cultum illorum divinum simpliciorem proni essent, adeoque praecipua unionis obstacula removerentur. Hinc jam inde ab initio saeculi 19. plures utriusque partis viri litterati in scriptis typo publicatis partim ecclesias separatas et regimina civilia ad externam quoque unionem procurandam adhortati sunt, partim varia hunc in finem media proposuerunt. Verum quo minus illa reapse efficeretur, id potissimum aliquamdiu obstabat,

Salvatoris et symbolum intimae cum eo conjunctionis; se credere, Deum omnes homines ad vitam aeternam praedestinasse, baptismum ad salutem non esse necessarium, adeoque, etiamsi servatur, nonnisi ab ordinario ecclesiae ministro conferendum. Eadem mente, et similibus formis ac conditionibus, quam hactenus commemoratae sunt, unio ecclesiastica etiam aliis in locis inita est. Effecta autem fuit eodem anno 1818. etiam Hannoviae in magno ducatu Darmstadiensi, et Archangelopoli in Russia; a. 1819. Oraniaeburgi in marchia Brandenburgica media; a. 1821. in magno ducatu Badensi, et in urbibus Crefeld et Hamm in Westphalia Borussica. In aliis autem terris Germannicis adhuc reprobatur. Cumque nonnulli coetus in Germannia, et multo plures extra eam, orthodoxiam Lutheranam vel Calvinianam sectentur, ecclesiarum dissidentium numerus unione illa non minutus sed potius auctus est.

Kirchenhistorisches Archiv von Stäudlin, Tzschirner und Vater. 1823.

§. 909. Sors Calvinianorum inter Lutheranos, horumque propagatio.

In Dania et Suecia Calviniani nondum aequalia cum Lutheranis jura consecuti sunt. Quoad Germanniam, actibus demum fundamentalibus confoederationis Germannicae hanc aequalitatem in omnibus terris, velut in Saxonia obtinuerunt. At liberum religionis exercitium eis jam antea ubique concessum fuerat; nominatim a. 1704. Norimbergae, a. 1742. in Silesia, postquam nempe haec terra sub potestatem regis Borussiae venisset, a. 1785. Hamburgi, et post duos annos Francofordii ad Moenum, quibus in urbibus beneficium illud diu frustra desiderarant. Quod attinet propagationem ecclesiae, quae Lutherana dicitur, ea in Suecia, Norwegia et Dania sola dominatur; German-

ptio ab invitis non exigeretur. Progressu temporis illa formula omni fere auctoritate excidit. Doctrina de omnium hominum ad salutem destinatione, quam breviter universalismum dicunt, quae jam elapsa periodo in Gallia et alibi, non obstante synodo Dordracena nonnullis probata erat, praesenti continuo plures patronos nacta est in Batavia, in Palatinatu, in ipsa Transsylvania, ubi tamen nonnulli professores, qui doctrinam illam dictis et scriptis propugnabant, circa annum 1742. munere suo privati sunt. Nondum enim deerant, qui particularismum Calvini scriptis aliisque mediis vindicarent, idemque in synodo, a. 1746. in Transsylvania celebrata, solemniter confirmatus est. [1]) Sed progressu temporis plerique ab eo defecerunt, praecipue Germanni, nec non Helvetii, qui in universum ad doctrinam Zwinglii redierunt, haud pauci etiam Batavi, quorum nonnulli in aliis quoque doctrinis, omnibus Christianis probatis, a fidei regula aberrarunt. Tales erant: Fridericus de Leenhoff, praedicator Zwollensis, qui in libro a. 1703. sub titulo: coelum in terra, edito, omnia inde ab aeterno fataliter ordinata esse, adeoque Deum nonnisi per accommodationem ad conceptus vulgares, regem, legislatorem et judicem in s. scriptura dici contendit, sed ad reddendam rationem vocatus explicando sententiam suam retractavit; [2]) Pontianus de Hattem, qui praeterquam quod Spinozismum foveret, docuit, post praestitam a Christo satisfactionem, nihil rationem peccati habere, adeoque nec emendatione opus esse, dummodo animi tranquillitati studeatur; [3]) Paulus Maty, catechetae munere Hagae functus, qui in epistola theologi ad theologum, a. 1729. edita, Dei Filium et Spiritum s. entia finita, a Patre et inter se essentialiter diversa, attamen intime cum eo conjuncta, ideoque Dei nomine merito compellata esse contendit, eapropter, cum non resipisceret, excommunicatus, quo facto artem medicam professus est. [4]) — In Germannia permulti

a Calvinianis ad eos transiit, presbyter inter eos factus tantam auctoritatem consecutus est, ut ab eo Sandemanniani appellarentur. Idem doctrinam de justificatione hominis per solam fidem graviter inculcavit, et eousque ursit, ut contenderet, peccatorem, utut non resipiscentem, illa tamen Deo reconciliari ejusque gratiam adipisci. Supremum autem principium, quo Sandemanniani a caeteris Calvinistis differunt, est: non tantum omnia praescripta moralia, quae in libris n. t. occurrunt, strictissime ad litteram observanda, sed etiam ea, quae Christus, apostoli, et primaevi Christiani egisse ibidem leguntur, quantum fieri possit, imitanda esse. Igitur non licere existimant, thesauros sibi colligere, quapropter bonorum suorum proprietati in usum ecclesiae et pauperum renuntiant; similiter jurare, malo resistere etc. nefas putant, sacram coenam diebus Dominicis tali ratione celebrant, qualis in n. t. commemoratur, pedes sibi lavant, agapas habent, sortem ceu rem sacram considerant, ac propterea omni lusu, in quo fortuna intercedit, abstinent, sanguinem et suffocatum non manducant, secundas nuptias repudiant, graviorum criminum reos satanae tradunt, eosque penitus devitant, denique episcopos, presbyteros, alios doctores, diaconos et diaconissas sibi constituunt. At exigua eorum in magna Britannia est multitudo; in America septentrionali nonnisi in nova Hamtonia aliqui reperiuntur. [1]) — In Batavia nova secta ex studio, Christianos dissidentes uniendi exorta est. Anno nempe 1797. nonnulli senatores ecclesiastici coetus Reformatorum Gallicorum Delphiensis, memoratum in finem inter se conjuncti, conventus privatos agere coeperunt, societatem suam »Christo sacrum« vocarunt, et in libro, a. 1802. in lucem emisso fidem suam in divinam bibliorum auctoritatem, in nativam hominis vitiositatem, et impotentiam sese emendandi, in vicariam satisfactionem a Jesu Christo, Deo incarnato pro peccatis praestitam, in vim meritorum ejus, omnes, qui in eum

scribere constanter renuerit. Separatistae illi mox ab initio diversimode insultabantur, postea etiam in suis conventibus turbabantur, et discedentes conviciis, execrationibus, minis, imo lapidum ictibus impetebantur, qua occasione exclamationes audiebantur: perdatur Jesus Christus! perdantur Herrenhuthani! Sed magistratus eos praesidio militari tuebatur. Malanus autem a. 1820. ex subsidiis, inter extraneos potissimum collectis, novum pro suis templum extruxit, eorumque ac sua coepta contra opprobria sibi facta scriptis defendit. Eorum coetus, in quem nonnisi credentes et emendationis studiosi seu regenerati suscipiuntur, nova ecclesia, ipsi vero Puritani appellantur. Eorum numerus continuo crescit. [3])

[1]) Bellamy Geschichte aller Religionen etc. Stäudlin kirchliche Geographie und Statistik.

[2]) Kirchenhistorisches Archiv von Stäudlin, Tzschirner und Vater. 1823. Stäudlin Magazin für Religions-, Moral- und Kirchengeschichte.

[3]) Schikedanz die Kirche von Genf im 19. Jahrhunderte in Stäudlins und Tzschirners Archiv für alte und neue Kirchengeschichte. 5. Band.

§. 912. Continuatio.

Sed et tales separatistae, qui mysticismo et phantasmatis indulgent, inter Calvinianos recentiori tempore emerserunt. Id praecipue valet de Helvetia, ubi occasione revolutionis, quae initio saeculi 19. in hac terra saeviit, homines haud pauci in lucem prodierunt, antiquis Anabaptistis, qui alioquin nunquam penitus ex Helvetia extirpari potuerunt, similes. Etenim praeterquam, quod omnem cultum divinum publicum rejicerent, etiam jusjurandum, moderamen inculpatae tutelae, et matrimonium repudiabant, inspirationes divinas venditabant, et de mystico Dei amore, omnem amorem erga creaturas absorbente loquebantur. Tales ho-

durat inter eos severior quaedam morum inspectio et disciplina ecclesiastica cum excommunicatione; perdurant tres gradus regiminis ecclesiastici, infimus pro singulis coetibus, medius pro pluribus ejusdem majoris territorii, et supremus pro integris provinciis, qui in Batavia senatus ecclesiastici (consistoria), classes, et synodi, in aliis terris aliter vocantur. In Gallia haec mutatio facta est, ut abrogatis synodis generalioribus seu provincialibus, quinque ecclesiae, consistoriis instructae, synodum efficiant, cujus consultationibus semper praefectus circuli, aut alius, eo inferior, nomine regiminis civilis interest, a quo etiam praedicatores instituuntur et dimittuntur, et lites ecclesiasticae diriguntur, quemadmodum fere ubique ecclesia Calviniana recentiori tempore pristinam suam a magistratu civili independentiam amisit. *) — Propagatio Calvinianorum pariter ac Lutheranorum admodum lata est. Scoti fere omnes ad eos pertinent, Batavorum duae tertiae partes, Helvetiorum ultra dimidium; in Hungaria duodecies, in Gallia quinquies circiter centena millia incolarum. In Germannia plerique Hassorum, multa millia Brandenburgorum et major pars Bremensium Calvinianismum profitentur. In caeteris terris Germannicis nonnisi singuli coetus hujus confessionis existunt. Praeterea in Borussia, in Russia, in Polonia et Transsylvania, nec non in Anglia plures, in Dania et Suecia pauciores deprehenduntur. Extra Europam in India orientali, in insula Java, aliisque locis ad Batavos pertinentibus, in promontorio bonae spei, in littore Guineano, in America septentrionali et Belgica Calviniani domestici sunt.

*) Rabaut annuaire ou repertoire ecclesiastique etc.

§. 914. Pristinae sectae Calvinianae.

Praeter principalem ecclesiam Calvinianam etiam sectae, quae praeterita periodo in ea ortae sunt, usque ad hodiernum diem perdurarunt. Circa nonnullas ea-

trionali, qui non tantum in singulis provinciis synodos minores et majores ad definienda negotia ecclesiastica quotannis agunt, sed etiam saepius concilium generale, ex deputatis omnium provinciarum compositum, eundem in finem celebrant, in quo etiam sententiae, a synodis minoribus per appellationem ad illud delatae examinantur, et definiuntur. Presbyterani quidem in omnibus fere civitatibus confoederatis Americae septentrionalis reperiuntur, attamen in mediis et meridionalibus longe frequentiores sunt, quam in borealibus. — Qui inter Presbyterianos in Anglia saeculo jam 16. exorti sunt Independentes, orthodoxae Calvini doctrinae plerique tenaciter inhaerent, et hodie adhuc in Anglia admodum numerosi sunt. Longe major autem eorum multitudo est in America septentrionali, ubi in quinque minoribus confoederatis provinciis borealibus maximum incolarum numerum efficiunt, et in aliis quoque, nominatim in Carolina meridionali et in Georgia reperiuntur. Ibidem potius Congregationalistae vocantur. Qui in Connecticuto sunt, introductis inter se adsociationibus, quae singulae bis, omnes vero in unum semel quotannis congregantur, et de negotiis ecclesiasticis deliberant, at non inevitabili sententia decernunt, systemati Presbyterianorum aliquomodo appropinquarunt. — Congregationalistis quoad constitutionem ecclesiasticam similes sunt Baptistae, qui a. 1773. in Anglia et Vallia 388 coetus habebant. Inter praedicatores eorum multi indocti opifices sunt, nonnisi motu interno ad docendum vocati, multi ordinatione sacra carent. Qui Particulares dicuntur, doctrinis Calvini strictius inhaerent; at Universales non tantum in praedestinatione ab eo recesserunt, sed etiam circa alias doctrinas Christianas Socinianorum in morem liberius sentiunt. Baptistae in America septentrionali longe frequentiores sunt, quam in Anglia, et in omnibus fere provinciis confoederatis domicilia, in septentrionalibus autem numerosos coetus habent. Com-

religione dominante, imo a tota Christiana alienas profiteri et propagare in Anglia licebat, audacior factus, quam plurimos Episcopalium ad Arianismum, Socinianismum, naturalismum, indifferentismum, scepticismum, imo atheismum abduxit. Inter ipsos clericos haud pauci erant, qui in nonnullis doctrinis ab orthodoxia statuta aberrarent, suasque sententias dictis et scriptis propugnarent. Daniel Whitby, praedicator Sarisberiensis, qui pluribus scriptis theologicis, speciatim polemicis, contra Catholicos, Arianos, Socinianos inclaruit, sed morti proximus omnia revocavit, quae contra Antitrinitarios scripserat, et in libro posthumo Arianismum professus est († 1726.), a. 1711. tractatum edidit »de imputatione peccati Adami posteris ejus universis in reatum,« in quo peccatum originale negavit, cumque ab aliis impugnaretur, sententiam suam, quae jam ante eum nonnullis theologis, imo episcopis placuerat, novo scripto defendit. Samuel Clarke, parochus Londinensis, simulque concionator aulicus, in libro a. 1712. sub titulo: doctrina s. scripturae de divina Trinitate edito, docuit, solum Patrem proprium et verum Deum esse, Filium autem et Spiritum s. virtutibus quidem divinis instructos esse, quas tamen non ex se ipsis habeant, sed a Patre actu ejus voluntario, tempore non definiendo, attamen ante omnia saecula acceperint; hinc ambos Patre minores eique subordinatos, Spiritum s. Filio minorem eique subordinatum esse. Ob has sententias Arianas Clarke munus concionatoris aulici amisit, et non tantum a multis privatis impugnatus, sed etiam ad clerum congregatum, ut rationem redderet, vocatus est. Ibi quidem verbis orthodoxis doctrinam de tribus personis divinis professus est, reapse autem sententiam suam Arianam usque ad mortem († 1729.) retinuit. Emlynum et Linsejum plane societates Antitrinitariorum collegisse et cum eis sacros conventus celebrasse jam alia loco narratum est.

sententiae suae nihilominus inhaesit. Idem valet de theologiae doctore et praedicatore Londinensi Sykesio († 1756.) qui in libro a. 1737. edito daemoniacos, quos evangelia commemorant, non a diabolo obsessos, sed ab insania, epilepsia, aut aliis morbis vehementibus correptos fuisse contendit. — Haec sufficere possunt ut intelligatur, quantum orthodoxiae Anglicanae studium inter ipsum hujus ecclesiae clerum hac periodo decreverit. Idem apparet ex contradictione contra subscriptionem librorum symbolicorum, speciatim 39 articulorum. Postquam plures, et inter hos episcopi docuissent, subscriptionem non sensu ab auctoribus intento, sed quocuncque sensu, aut sensu s. scripturae respondente faciendam esse, vel subscriptione obligationem, illis convenienter docendi, non autem credendi iniri, adeoque subscribentem omnino Arianismum fovere posse; Franciscus Blakburne, archidiaconus Clevelandensis in scripto, a. 1766. edito ostendere conatus est, omnes libros symbolicos abrogandos, et munerum sacrorum candidatos nonnisi ut s. scripturae convenienter doceant, obstringendos esse. Ei plures consenserunt, plures contradixerunt, et jus ecclesiae, a clericis suis subscriptionem librorum symbolicorum exigendi propugnarunt; nonnulli quidem subscriptionem servatam, attamen symbolum saltim Athanasianum sepositum, et 39 articulos emendatos voluerunt. Tandem adversarii librorum symbolicorum annis 1772. et 73. in supplici libello, regni ordinibus oblato, ut subscriptio 39 articulorum abrogaretur, petierunt. Verum etiamsi haud pauci, praesertim in domo inferiori petitioni annuendum esse censerent, ea tamen non impleta, sed pristina obligatio conservata est.

Walchs Einleitung in die Religionsstreitigkeiten aufser der evangelisch-lutherischen Kirche. Alberti Briefe über den allerneuesten Zustand der Religion und Wissenschaften in Grofsbritannien.

est, nec minorem plausum retulit. Caeteri quoque praedicatores Methodistae horum vestigia premebant. Inde factum est, ut mox plures ex populo arctius eis adhaererent, quos Weslejus a. 1738. Londini in unam societatem conjunxit, et regulis quibusdam, pietatis exercitia utplurimum praescribentibus instruxit. Eorum numerus continuo augebatur, quod potissimum sacrae conciones Wesleji et Witfildii efficiebant, quae ab ingenti hominum multitudine frequentabantur, et eum nonnunquam effectum producebant, ut auditorum complures vehementibus corporis motibus corriperentur, aut animi deliquium paterentur, et ad se reversi in vitam meliorem regenerarentur, quem effectum perruptionem gratiae nominare solebant. Conciones illae, cum praedicatores Methodistae ab ecclesiis excluderentur, in campis, coemeteriis, aliisque locis patulis habebantur. Quoniam vero vel adversa tempestate vel per homines insolentes non raro turbabantur, Methodistae a. 1739. propria oratoria, tabernacula ab eis dicta, extruere coeperunt. Ab hoc tempore quasi propriam sectam efficiebant, ii nempe, qui in tabernacula orationis et institutionis causa confluebant.

§. 918. Eorum singularitates.

Methodistae jam multos adversarios habebant, praecipue inter clericos, quorum plures scriptis eos impetebant. Speciatim episcopus Londinensis a. 1739. litteras pastorales edidit, in quibus gregem sibi commissum admonuit, ut phantasmata Methodistarum caveret. Reapse a phantasmatis Methodistae liberi non erant. Ipse Weslejus se a Deo immediate excitatum et missum, Deum nonnunquam singulariter sibi praesentem esse, cogitationes et actiones suas ex inspiratione divina descendere dicebat. Caeteri autem Methodistae in sacris suis conventibus haud raro prae gaudio exclamabant, aut suspiria et singultus edebant, aut unanimiter in Dei laudes et gratiarum actiones

contra communem Protestantium persuasionem, praeter justificationem etiam sanctificationem, qua gratia habitualis concedatur, statuerit, hominemque Christianum ad perfectionem moralem pervenire posse docuerit. Praeterea Methodistis singulare est, quod positivis religionis Christianae doctrinis, speciatim de peccato originali, de redemtione, de justificatione, de regeneratione, de inferno etc. potissimum inhaereant, quod sententiam de subitanea peccatoris conversione foveant, et immediatas Spiritus divini in hominem operationes sensibus percipi credant. Quoad doctrinam de praedestinatione a. 1740. in duas partes abierunt, in Weslejanos, qui auctoris sui sententiam de universali hominum ad salutem aeternam praedestinatione, et in Witfildianos, qui contrariam Witfildii sententiam amplexi, prioribus autem numero longe inferiores sunt. Haec tamen diversitas nullam inter Methodistas separationem produxit. Nec in ritibus sacris Methodistae ab ecclesia Episcopali recesserunt, quippe qui eodem cum ea rituali utuntur, attamen omnes ritus majori cum devotione peragunt. Neque s. coenam in tabernaculis celebrari Weslejus indulsit, quam eo vivente omnes Methodistae in ecclesiis Episcopalibus sumere tenebantur. Eo autem a. 1791. mortuo, sorte, qua non secus ac Herrenhuthani utuntur, decisum est, ut eucharistia in tabernaculis celebraretur. Interim tamen, qui ad eos accedunt, ecclesiae suae renuntiare non tenentur, et hoc respectu omnium sectarum homines, exceptis Quaekeris ad eos pertinere possunt, et reapse pertinent, quemadmodum ad Herrenhuthanos Calviniani et Lutherani pertinere possunt.

§. 919. Eorum mores, studia et propagatio.

Methodistae ipso devoto habitu exteriori, sermone pio, morum severitate et simplici vivendi ratione a caeteris distinguuntur, et civium pacificorum, industriosorum ac beneficorum laudem consecuti sunt.

tiores severis potissimum eorum moribus ab eorum secta arceantur. Extra Angliam et Hiberniam Methodistae praecipue in America septentrionali frequentes sunt, ubi Weslejus, Witfildius, a. 1770. ibidem mortuus, et post hos alii evangelium annuntiarunt, et instituta sua inter conversos aliosque introduxerunt. Majori numero in mediis civitatibus confoederatis reperiuntur. Sunt inter Methodistas Americanos haud pauci, qui inspirationes divinas sibi obtingere credant, unde Methodistae novi luminis vocantur. Iidem motus, qui in animis, divina veritate perculsis oriri solent, data opera exaggerant, et in suis conventibus, quos nocturno tempore et in campis habere solent, ad praedicatoris exclamationes vel preces frequenter convulsionibus corripiuntur, a quo more, olim omnibus Methodistis communi, reliqui recentiori tempore recesserunt.

Hampson Leben J. Wesley's Stifters der Methodisten, nebst einer kurzen Geschichte des Methodismus. Burkhards vollständige Geschichte der Methodisten in England. Stäudlin Kirchengeschichte von Grofsbritannien. Gregoire histoire des sectes religieuses.

§. 920. Joanna Southcotte.

Recentissimo tempore, quo phantasiastas in omnibus fere ecclesiis in lucem prodiisse vidimus, nec Anglicana talibus carebat, cujus rei documentum suppeditat faemina quaedam Joanna Southcotte, humili genere nata, quae pietate externa Londini plurimos sibi conciliavit, iisque persuavit, Deum sibi apparere, res absconditas et futuras revelare, mandasseque, ut civitatum rectoribus, omnibusque hominibus, sibi non adhaerentibus interitum annuntiet, brevi secuturum. Eo ingruente nonnisi ipsius sectatores salvos futuros esse, qui in pignus salvationis epistolam cum sigillo accepturi sint, non prius effringendo, quam mundi interitu reapse ingruente. Ejusmodi epistolarum obsigna-

tionis in religione promovendae studiosi in eadem urbe societatem inierunt, cujus finis esset, collato aere bibliorum impressionem procurare, et impressa vel exiguo pretio vel gratis inter populum distribuere. Hunc finem, ab initio ad regna magnae Britanniae spectantem, societas numero membrorum aucta, mox ad exteras quoque nationes Christianas, imo Ethnicas extendit, ut nempe bibliorum lectione, propagatio religionis Christianae inter has promoveretur, quapropter nomen societatis biblicae Britannico-extraneae assumsit. Ne vero diversis ecclesiis adscripti sententiis, fidei suae adversis, a bibliis legendis absterrerentur, id observandum societas sibi proposuit, ut biblia sine omni annotatione, explicatione, aut commentario, imo pro quavis ecclesia in versionibus, eidem probatis imprimerentur, quod autem non semper observatum est. Haec societatis coepta tantam plurimorum approbationem nacta sunt, ut eidem magnus eruditorum et nobilissimorum virorum, reipublicae administrorum, senatorum, episcoporum, bellíducum, medicorum, causidicorum, mercatorum etc. subsidia collaturorum numerus adscriberetur; deinde per Britanniae regna non tantum similes societates, Londinensi conjunctae, et ab eadem adjutae maximo numero coalescerent, sed etiam inter plebem nobiliorum exemplo tractam uniones, subsidia, utut minuta pro bibliorum propagatione conferentes inirentur; denique etiam extra Britanniam per Germanniam Protestanticam, Bataviam, Helvetiam, Borussiam, Russiam, Sueciam, Daniam, imo etiam in Asia (India) et America (septentrionali confoederata) societates biblicae, eidem fini intentae, quarum numerus indies crescebat, et adhuc crescit, erigerentur, quas inter Russica, et Calcuttensis in India in bibliis divulgandis plus caeteris laborant. Per omnes istas societates jam multa centena bibliorum millia in diversissimis linguis, in quas ea transferri curant, in Arabica, Aethiopica, Persica,

nisi a sede apostolica approbatae aut annotationibus, e sanctis patribus desumtis instructae typis vulgandae sunt.

§. 922. Ecclesiae Episcopalis propagatio.

Quod attinet propagationem ecclesiae Episcopalis, ad eam pertinet maxima pars Anglorum. In Hibernia multi, in Scotia pauci ei adscripti sunt. Extra Europam coetus Episcopalium existunt in India orientali, in insula Ceilon, aliisque insulis Asiaticis, Anglis subjectis, in nova Hollandia, in promontorio bonae spei, in littore Guineano, in Canada, in insula Jamaica, et universim in omnibus terris Anglorum potestati subjectis. Cum incolae insularum socialium per missionarios Anglicanos ad religionem Christianam conversi sint, hi quoque doctrinas et ritus Episcopalium sequuntur. Praeterea Episcopales in omnibus fere civitatibus confoederatis Americae septentrionalis, majori autem numero nonnisi in Connecticuto, Nova-Caesanea (Jersey), et Virginia deprehenduntur, et universim 238 ecclesias habent. Sed plerique eorum occasione belli, quo civitates confoederatae suam ab Anglia independentiam sibi vindicarunt, ab Episcopalibus Anglicanis diversimode deflexerunt. Cum enim ob varias doctrinas et ritus, qui regimini monarchico favere videbantur, caeteris invisi et plane hinc inde vexationibus obnoxii essent, deputati complurium provinciarum in unum congregati 39 articulos ad 19 reduxerunt, atque etiam librum ritualem mutarunt, et principiis democraticis magis conformarunt. Attamen ecclesiae in novo Eboraco et nova Caesanea mutationes istas non admiserunt, quin propterea schisma inter Episcopales in America confoederata exortum esset.

§. 923. Waldenses. Hussitae. Schwenkfeldiani. Sociniani.

Restat, ut de reliquis sectis minoribus in Occidente pauca memorentur. Earum antiquissima est secta

sti natura, de gravioribus peccatoribus in ecclesia non tolerandis fideliter inhaerent, et mores severiores prae se ferunt, hodie paucos quosdam coetus in America septentrionali, nominatim in Pensylvania et in terra Mariana habent, quo ex Lusatia superiori, ubi caeterum tolerabantur, a. 1733. migrarunt. — Sociniani ut secta separata propriaque constitutione ecclesiastica instructa, hodie nonnisi in pago Borussico Andreaswalde, ubi circiter 500, et in Transsylvania, ubi ultra 30,000 eorum numerantur, perdurant. Posteriores a. 1781. 52 familiis Bohemicis aucti sunt, quas imperator Josephus II. ex circulo Chrudimensi ad eos transtulit, postquam tolerantiae edicto ab isto principe promulgato animati episcopo Reginaehradeciensi fidei confessionem exhibuissent, qua aperte contestabantur, se nonnisi fidem in unum Deum sine personis et observationem decalogi ad salutem necessariam, caetera omnia autem commenta humana habere. [1]) Sociniani seu Unitarii in Transsylvania pertinent inter ecclesias publice susceptas, adeoque non tantum libero religionis exercitio fruuntur, consistoria, superintendentem, et academiam, in qua futuri eorum praedicatores excoluntur, habent, sed etiam amplis juribus et privilegiis gaudent, recentiori tempore a Josepho II. confirmatis. Aliis in locis coetus Socinianorum labente hac periodo disparuerunt, quod inde potissimum venisse videtur, quia, cum principia eorum inter Protestantes passim invaluerint, ad hos accedentibus systemati Sociniano renuntiare opus non erat. In Anglia leges poenales contra eos olim latae a. 1813. publica auctoritate abrogatae sunt. [3])

[1]) Vaters Anbau der neuesten Kirchengeschichte.

[2]) Michl christliche Kirchengeschichte. 2. Bd.

[3]) Stäudlin kirchliche Geographie und Statistik. Kirchenhistorisches Archiv von Stäudlin, Tzschirner und Vater. Gregoire histoire des sectes religieuses.

rem pecuarium colunt, et praesertim ovibus pascendis occupantur. Praeterea Mennonitae inveniuntur in Hungaria, in Transsylvania, in Anglia et in America septentrionali, nominatim in Pensylvania, terra Mariana, et in Canada superiori. Sectae, in quas Mennonitae elapsa periodo abierunt, praesenti quoque perdurarunt. Interim tamen subtiliores a suo rigore paulatim magis magisque defecerunt, sententiam Mennonis de origine humanae Christi naturae non amplius propugnarunt, suis fidei confessionibus minorem auctoritatem tribuerunt, excommunicatos non ab omni cum caeteris consortio, sed tantum a minus necessario excluserunt, ex mitioribus ad se transgressos non amplius rebaptizarunt, praedicatoribus suis redditus annuos assignarunt, ad eos litteris excolendos a. 1735. proprium Amstelodami gymnasium erexerunt, ita ut eos inter et mitiores orthodoxos exiguum adhuc discrimen intercedat, imo haud pauci coetus illorum cum his se univerint, et ita subtilium numerus non parum decreverit. Universim inter Mennonitas labente hac periodo proclivitas in Arianismum et Socinianismum et deviatio a principiis eorum, speciatim circa jusjurandum, statum militarem et magistratus, nec non a pristina religiositate morumque severitate ac simplicitate invaluit, quod partim tranquillo, qui eis fere ubique obtigit, statui, partim opulentiae, ad quam multi eorum pervenerunt, ortoque inde multiplici cum caeteris hominibus commercio, partim vi, quam genius aetatis in omnes exerere solet, adscribendum est. Proclivitas in Socinianismum praecipue eorum praedicatores invasit, ita ut ipsi praedicatores Reformati ordinesque publici Frisiae huic malo obicem ponendum censerent, nonnullos eorum munere deponerent, et universis quatuor articulos orthodoxam doctrinam de divina Trinitate et vicaria Christi satisfactione continentes subscribendos proponerent, quorum tamen subscriptio, ne a se exigeretur, Mennonitae partim provocatione ad libertatem sibi

has pertinet, quod in plerisque coetibus sic dicti ministri verbi constituti fuerint, qui pro concione dicere solent, quamquam propterea reliquis jus animi sui sensa eloquendi nullatenus ademtum est, quod tamen jam rarius fieri consuevit. Ministri illi singularem statum aut ordinem non efficiunt, vestitu a caeteris non distinguuntur, litteris non excoluntur, alio negotio etiam occupantur, quo vitae necessaria sibi comparant, attamen, ubi indiguerint, subsidia ex aerario coetus accipiunt. Eorum sermones nec cohaerentes nec bene ordinati esse solent, attamen ad pia animi sensa excitanda apti, et locis biblicis referti. In Anglia nonnulli Quaekerorum a moribus severis sectae propriis identidem recesserunt, et luxui cuidam in vestitu et suppellectili indulgent. Hi Quaekeri madidi seu tepidi vocari solent, dum caeteri aridi vocantur, atque non quidem a sacris conventibus, attamen a congregationibus, quas Quaekeri singulis hebdomadis, mensibus et annis ad societatis suae negotia administranda et ad communionem inter omnes coetus conservandam agunt, arcentur. A conventibus sacris autem, imo a tota communitate Quaekerorum illi exclusi sunt, qui durante bello, propter libertatem et independentiam adversus Anglos gesto, contra sectae principia arma gesserunt. Qui cum propterea a caeteris communione privati fuissent, conjunctionem inter se inierunt et propriam sectam Quaekerorum dimicantium vel liberorum constituerunt, a caeteris nulla in re secedentes, nisi quod pro patria dimicare licitum existiment. Reliqui vero omnibus pristinorum Quaekerorum principiis moribusque fideliter inhaeserunt, etiamsi durante illo bello caeterorum incolarum odium incurrerint. Iidem labente hac periodo primi vocem suam contra servitutem Nigrorum sustulerunt, eamque non tantum apud se abrogarunt, sed etiam ut inter caeteros primum in Pensylvania, deinde in reliquis civitatibus confoederatis abrogaretur effecerunt. [2])

caeteros propagare est aggressa. Auctor hujus sectae fuit Emmanuel Swedenborg, munere quodam apud metallifodinas in Suecia functus, vir multiplici eruditione instructus, qui scripta mineralogica, metallurgica, chemica, mathematica etc. ediderat. Postquam deinde librorum mysticorum et theosophicorum studio strenuam operam navasset, subito deposito munere, omissisque litterarum studiis, revelationes divinas in medium protulit, futura praedixit, abscondita et remota indicavit, cum geniis coelestibus se conversari novumque rerum coelestium sensum sibi inditum esse contendit. Porro legatum divinum se venditavit, qui religionem a Christo traditam pristinae perfectioni restitueret, imo novis revelationibus perfectiorem redderet, et spiritualem doctrinarum ac institutorum illius sensum patefaceret, atque hac ratione tertium testamentum, novam ecclesiam, coelestem Jerosolymam in Apocalypsi praenuntiatam his in terris fundaret. Revelationes suas in pluribus libris, inde ab anno 1747. editis scripto consignavit. Multos mox amicos et opinionum suarum patronos nactus est, qui eo a. 1772. mortuo, in societates religiosas coierunt. Harum primaria est societas sic dicta exegetica et philanthropica in Suecia, ultra duo sociorum millia complectens, qui vero per totum regnum dispersi, et maximam partem mercatores, magistratus, militum duces, et nobiles sunt. Haec societas est centrum reliquarum quibuscum semper communicat. Tales existunt in Anglia, ibique magno numero, in Gallia, Polonia, India orientali, et America septentrionali. — Swedenborgiani credunt, alterum Christi his in terris adventum et extremum judicium, in evangelio praenuntiatum, jam peractum fuisse, idque tum, cum Swedenborgo novae revelationes obtingerent, quibus pristinis ecclesiis Christianis interitus paratus sit, elapsis quibusdam annis certo secuturus. Novam Jerosolymam, in Apocalypsi descriptam, reapse his in terris et quidem in Africa interiori exi-

vis hominum amorem, quo his in terris occupatus sit, in alteram vitam secum transferre iis persuasum est, ac prout hic amor sive in bonum sive in malum directus fuerit, ita eum et ibi perpetuo talem, hominemque ex eo in aeternum vel beatum vel miserum, eundemque amorem corpus hominis spirituale, nec aliam corporum resurrectionem fore arbitrantur.

§. 928. Eorum ritus et constitutio ecclesiastica.

Inter ritus sacros Swedenborgiani baptismum habent, eucharistiam, nuptiarum benedictionem et ordinationem. Baptismus est eis ritus susceptionis et signum, hominem Christo sacratum esse. Conferunt eum tum adultis, tum parvulis; pro parvulis duo patrini diversi sexus nominum subscriptione spondere debent, illos doctrinas praescriptas credituros et observaturos esse. Adulti ipsi subscribunt. Qui baptizantur, genibus flexis adsunt, ab episcopo de doctrinis credendis et observandis interrogantur, quo facto a presbytero eorum capiti aqua affunditur et orationes recitantur. Baptismus semper coram coetu sacro peragitur, qui etiam votis decidit, an quis in societatem suscipiatur. Baptismum in aliis ecclesiis, utpote falsis et a Deo rejectis, ac sub invocatione trium personarum divinarum collatum invalidum habent, ideoque proselytos rebaptizant. Hi jam antequam baptismus eis confertur, ad societatem et s. coenam admittuntur, dummodo doctrinas Swedenborgianorum profitentur et vitia fugiunt. — Coena eucharistica Swedenborgianis signum est intimae cum Jesu conjunctionis. Eam tertia quaque Dominica et in festis nativitatis Christi, Paschatis ac Pentecostes, quae sola agunt, sequenti modo celebrant: persona, sorte destinata, etiamsi faemina, communicantium pedes lavat, et consecrationem peragit, qua peracta panis fractus in orbe, vinum in lagena chrystallina, ex qua quivis ipse sibi infundit,

et directione omnia, quae baptismum, coenam et matrimonium concernunt, administrant. Omnes hi ministri ab ecclesia instructionem et potestatem scripto accipiunt et solemniter consecrantur. Parvulus nempe in ecclesia novae Jerosolymae baptizatus, et a tribus senioribus benedictus, orationem Dominicam recitans, ordinando manus imponit, quo facto ordinatus illum amplectitur et osculatur. Atria, in quibus Swedenborgiani ad sua sacra congregantur, omni sacra suppellectili et ornamento carent, ac nonnisi mensa et sellis sunt instructa. In sacris eorum conventibus etiam sacra Swedenborgii scripta praeleguntur et explicantur. Talis ergo est ecclesia novae Jerosolymae, in cujus doctrina et constitutione multa potius ad arbitrium et phantasiam statuta, et ex variis systematis religiosis collecta, quam ex certis principiis deducta esse, ex narratis sufficienter apparet.

Swedenborgs göttliche Offenbarungen, verdeutscht von Tafel. Acten, Urkunden und Nachrichten zur neuesten Kirchengeschichte. 2 Bd. Stäudlin kirchliche Geographie. Gregoire histoire des sectes religieuses.

§. 929. Societas harmonica.

Novissima secta, inter Christianos Occidentales exorta, est sic dicta societas harmonica, quae ab a. 1804. in Indiana, unitarum civitatum Americae septentrionalis una existit, originem suam quibusdam Würtembergensibus, qui illo migraverant, debet, et ex agricolis, opificibus ac mercatoribus, numero circiter octingentis, qui vero continuo augetur, constat. Eorum finis est, perfectam concordiam seu harmoniam, tum externam, seu inter membra societatis, tum internam, seu in cujusvis animo efficere, id quod maxima morum simplicitate, plena inter socios aequalitate civili, et assidua pro bono communi, remoto propriae utilitatis studio, occupatione, Deum respiciente assequi conantur. Quidquid illi harmoniae adversatur, nefas et peccatum ha-

bent, et qui tale quid committit, primo monitis, sive lenioribus sive severioribus, postea exclusione usque ad emendationem perdurante, postremo omnimoda separatione a societate plectitur. Caeterum juxta morem reliquorum hominum vivunt. Sacram scripturam tanquam fontem religionis suscipiunt, attamen fidei symbolo et systemate religioso carent, credentibus singulis, quae sibi in illa deprehendere videntur. Eorum cultus divinus Protestantico similis, attamen, sicut totum eorum institutum, nondum satis cognitus est.

Morgenblatt. 1823. April.

§. 930. Status ecclesiae Orientalis in universum.

In ecclesia Orientali labente hac periodo nulla nova secta exorta, nulla haeresis in medium prolata, nulla fidei controversia agitata est, et universim nullae fere mutationes majoris momenti acciderunt, quod partim nativae hominum Orientalium indoli, quae rebus antiquis tenacius quam Occidentales inhaerere solent, partim statui externo Christianorum in imperio Turcico, ex quo eorum libertas admodum limitatur, animus deprimitur, et litterarum cultura negligitur, adscribendum esse videtur. Hinc non tam historia ecclesiae Orientalis narranda, quam potius ejus doctrina, ritus, disciplina et constitutio hodierna paucis delineanda venit. Cum litterae universae adeoque etiam theologicae inter schismaticos tenui in statu sint, nullum opus theologicum majoris momenti hac periodo inter eos in lucem prodiit. Scripta theologica, ab eis confecta ad quaedam martyrologia et biographias sanctorum, ad opuscula ascetica et liturgica, et ad quaedam compendia dogmatica, sed magis popularia quam scientifica redeunt. Ex his libris sicut ex aliis fontibus constat, schismaticos avitae fidei constanter inhaesisse. In quibus ab ecclesia Romana secedunt, haec fere sunt: quod Spiritum S. non a Filio procedere docent, Romano pontifici primatum abjudicant, matrimonium tum propter adulte-

rium, tum propter alias causas gravissimas dissolvunt, nonnisi septem priora concilia oecumenica admittunt, baptismum, quem parvulis longiori demum post nativitatem tempore conferunt, immersione administrant, eidemque statim confirmationem adjungunt, quam presbyter confert, et parvulis tum recens baptizatis, tum caeteris eucharistiam sub specie vini porrigunt, quod eucharistiam sub utraque specie adultis praebent, et nonnisi in pane fermentato valide confici posse contendunt, quod sanguine et suffocato abstinendum esse credunt, quod sacras statuas non tolerant, sed planas tantum imagines sive pictas, sive ex lapillis compositas venerantur. Cultus eorum divinus quoad essentiam cum cultu divino ecclesiae Romanae concordat. Sed rarius et fere nonnisi in festis majoribus sermo sacer ad concionem dicitur. Nihilominus eorum liturgia seu missa multo prolixior est quam Latinorum, quippe quae multo plures orationes et lectiones sacras complectitur. In ea panis benedictus seu eulogia praesentibus distribuitur. Habent praeterea schismatici quotidianum officium divinum, quod in ecclesiis a diaconis et pueris choralibus recitatur. Lingua liturgica est antiqua, apud Graecos Graeca, apud Russos Slavica. Frequenter signo crucis se signant, sacras imagines etiam in aedibus suis colunt, et coram eis prostrati precantur. Dies festos, in quibus feriantur, multo plures habent, quam nunc quidem Latini. Eorum jejunia crebra sunt, diuturna, et rigida, atque religiose observantur.

§. 931. In imperio Turcico.

Quae hactenus dicta sunt, de omnibus schismaticis valent. Quod speciatim ecclesiam attinet, quae intra limites imperii Turcici continetur, et Graeca nominatur, ejus caput est patriarcha CPnus, qui se archiepiscopum CPis et patriarcham oecumenicum dicit. Schismatici extra imperium Turcicum eum quidem tanquam

pis Graecis, e quibus haud pauci patriar
pter splendorem, potestatem, et proventus
junctos appetebant, et technis ac largitioni
factis aut promissis, possidentem amovere
Nam Turcae ex politicis causis patriarchae
et pompam concedunt, et magnos honor
ac proventus quoque sufficientes relinquun
ctoritas inter suos maxima est. Ad regen
sam ecclesiam, patriarchatui CPno adscr
perpetua episcoporum synodus habetur, in
pi eliguntur et deponuntur, et universa ne
siastica majoris momenti administrantur. I
patriarcha praesidet, eamque secundum
dirigit. Proximum locum post patriarcham
nent tres reliqui patriarchae Orientales, A
Antiochenus et Jerosolymitanus. Hi in r
ecclesiis a nemine quidem dependent, auct
eorum perexigua est, quia paucae tantum
thodoxae intra ambitum patriarchatuum e
nentur, cum maxima pars incolarum sive
sive ex Christianis ab eorum communione
stet. Labente hac periodo omnes tres secu
sedes suas reliquerunt, et modo CPi resi
archas quoad dignitatem sequuntur metr

suffraganeos suos amitterent, et ipsi soli nomine archiepiscoporum perdurarent. Atque etiam archiepiscopi et metropolitae labente hac periodo in ipsa Europa non parum minuti sunt, cum ea ineunte 70 numerati fuerint, nunc vero vix 50 numerentur. Episcopi non tantum ecclesias suas regunt, sed etiam una cum primariis cujusvis loci incolis in causis saecularibus dioecesanis suis jus dicunt, et quamquam ab éorum sententiis ad tribunal Turcicum provocare licet, Graeci tamen rarissime id faciunt, partim quia a judicibus Turcis parum justitiae expectant, partim ex reverentia erga episcopos suos, qui eis etiam propter excommunicationem metuendi sunt, quam immorigeris infligere solent. Omnium minime autem a sententia patriarchae appellatur, cum is in causis Graecorum apud ipsum regimen Turcicum magnam auctoritatem habeat, eoque concedente pecuniae mulctam, exilium, carcerem, eumque perpetuum, imo capitale supplicium in suos decernere possit. Episcopos in serie sacrorum hierarcharum excipiunt archimandritae seu monasteriorum antistites, archipresbyteri et presbyteri, protopopae et popae dicti, quibus tanquam ministri sacri accedunt diaconi, hypodiaconi, lectores et cantores. Clerici universim, speciatim vero sacerdotes, magna suorum veneratione, saltim honoribus externis fruuntur, quamquam permulti inter eos sunt, qui morum turpitudine et ruditate laborant, et ipso munere suo ad quaestum faciendum abutuntur, ad quod utique conditione sua incitantur, qua fixis et sufficientibus redditibus carent, vitamque ex fidelium liberalitate sustentant. Plerique autem ignorantia laborant in ipsis scientiis animarum curatori necessariis. Soli episcopi, qui omnes ex monachis eliguntur, melius in litteris theologicis sunt instructi, quia in monasteriis illi, qui ad sacerdotium destinantur, in litteris erudiuntur. Episcopos ex solis monachis eligi, causa haec est, quia nonnisi caelibes ad dignitatem episcopalem evehuntur. Ad reliquos or-

vant, eodemque vestitu utuntur, disciplina
tio non in omnibus monasteriis eadem est.
monachi Graeci vitam rigidam vivunt, mo
colunt altis muris cincta, agros, hortos et
priis manibus excolunt, carne omni semp
Maximum vitae rigorem monachi in Arc
choretae sectantur. In omnibus quidem pr
qua monasteria reperiuntur, sed praecipuae r
sedes sunt in insulis maris Aegei et in mo
Macedonia, in quo 22 monasteria numera
propterea mons sanctus vocatur. Nec desu
monialium, quorum vero numerus recenti
admodum decrevit. Praeter moniales etian
viduae reperiuntur, quae in aedibus priva
stitati et ascesi devotam vivunt. Graeci un
giosi sunt, religioni suae cum studio et a
rent, ejusque praescripta externa accurat
at multiplicem etiam superstitionem fove
haud paucis indulgent. Superbia, avaritia,
simulatio, perfidia inter eos pervulgata ess

Elsner neueste Beschreibung der griechischen
Türkey. 1737. Desselben Fortsetzung diese
1747. Thorton Das türkische Reich in aller
hungen. Vaters Anbau der neuesten Kirchen

§. 932. In imperio Russico.

Ecclesia Orientalis, quae est intra limites imperii Russici, et quam breviter Russicam nominamus, cum Graeca, a qua originem trahit, cuique usque ad hanc periodum arcte conjuncta erat, non tantum in omnibus doctrinis, sed etiam in liturgia et disciplina accurate concordat. Quoad hierarchiam, iidem etiam gradus rectorum et ministrorum sacrorum inter Russos ac inter Graecos reperiuntur, attamen prioribus saeculi 18. temporibus haec diversitas introducta est, ut suprema dignitas et potestas patriarchae abrogaretur, atque etiam subordinatio metropolitica tolleretur, ita ut nullus episcopus alteri subordinatus sit, ac nomina metropolitarum et archiepiscoporum, quae omnino perdurant, meram dignitatem innuant, quae ab imperatore pro arbitrio confertur. Patriarchatum ecclesiae Russicae imperator Petrus Magnus abrogavit, cum mortuo a. 1702. ultimo patriarcha Adriano II. metropolitam Rasanensem nomine exarchae sedis patriarchalis administratorem constitueret, (addito ei collegio episcoporum, causas definiente, quae hactenus ad forum patriarchae pertinuerant), anno tandem 1721. loco patriarchatus sic dictam sacram synodum dirigentem in perpetuum institueret. Est haec synodus collegium, ex episcopis aliisque clericis, sed et ex assessoribus laicis compositum. Ei semper aliquis archiepiscopus praesidet; inter assessores laicos primarius est administer quidam Caesareus, supremus synodi procurator dictus, et voto negativo instructus. Haec igitur synodus universam ecclesiam Russicam dirigit, doctrinae puritati, contra haeresin et superstitionem conservandae, religiosae populi institutioni, ordinique cultus divini publici invigilat, munera sacra confert, dispensationes concedit, causas matrimoniales dirimit, et supremam in omnes clericos jurisdictionem exercet. Cum haec synodus nihil contra voluntatem imperatoris agere possit, ejus mem-

set. Petrus enim ampliorem ecclesiae Russi
tionem intendebat. Hunc in finem in quod
regulamento ecclesiastico dicto, varia praes
ciatim talia, quibus clerus melius excole
populum informandum aptior redderetur,
seminaria, scholae, homiliaria pertinebant.
ria circa rem monasticam decrevit, quibus
mentum impediretur; scilicet complura mo
nora aboluit, caeteris severiorem disciplina
psit, numerum candidatorum, praescriptis
sceptionis conditionibus minuit. Festa quo
norem numerum reducta voluit. Sed non o
decreta effectui data, haud pauca, eo mc
gressu temporis ad priorem statum reducta
silium ejus, bonorum ecclesiasticorum, qu
mentum jam ante eum legibus Caesarum
fuerat, administrationem clero adimendi,
II. ita effectui datum est, ut illa bona offi
blicis administranda committerentur, et ex
ventibus clericis et monachis salaria annua
tur, quae vero superabundabant in divers
blicos impenderentur *). Quamquam autem
tri, ecclesiam reformandi, plenum effectur
non sunt, fructibus tamen vacua non eran

sicum complures essent, qui opera theologica componerent, a quibus numero et praestantia jam illa superantur, quae in ecclesia Graeca in lucem prodeunt. Historia tamen ecclesiastica et scientiae biblicae a clero Russico omnium minime cultae sunt, et totum studium biblicum in eo consistebat, ut scripta exegetica sanctorum patrum legerentur, et nonnulla eorum in linguam Russicam transferrentur. Potiora opera theologica sunt dogmatici, polemici, ascetici et homiletici generis. Ex theologis, qui talia exararunt, notatu digniores sunt: Stephanus Javorsky, natione Polonus, et in Polonia litteris imbutus, post mortem ultimi patriarchae primus metropolita Moscoviensis, ille idem, cui Petrus Magnus, nomine exarchae supremam directionem negotiorum ecclesiasticorum usque ad institutionem sacrae synodi dirigentis commisit. († 1722.) Is scripsit sermone Russico librum polemicum sub titulo: petra fidei, in quo praecipue doctrinae Protestantium refutantur; — Theophanes Procopovicz, vir, itineribus quoque excultus, linguarum antiquarum et modernarum gnarus, et universim eruditissimus inter Russos sui temporis, qui Petro fere idem fuit ac olim Alcuinus Carolo M. fuerat, ab eo prius episcopus Plescoviensis, postea archiepiscopus Novgorodensis et praeses s. synodi dirigentis factus. († 1736.) Inter ejus opera praecipuum et quod magnam in ecclesia Russica auctoritatem obtinuit, est dogmaticum illud, quod ab anno 1773. sub titulo: Christiana orthodoxa theologia in 7 tomis comparuit, minime tamen absolutum est; — Plato, postremo archiepiscopus Moscoviensis, qui sermones quosdam catecheticos, parvum catechismum, et doctrinam orthodoxam seu compendium theologiae Christianae in usum magni principis Pauli, postea imperatoris, quem litteris imbuebat, exaravit. Haec aliaque opera dogmatica theologorum Russorum propter defectum amplioris eruditionis historicae ac philologicae et ingenii philosophici a perfectione longe adhuc absunt.

Idem Plato inter sacros Russorum oratores primum fere locum occupat, et quam plurimos sermones sacros edidit. Praeter eum plures in hoc disciplinae genere excelluerunt. Sacra enim eloquentia hac periodo, praesertim altero saeculi elapsi dimidio diligenter et feliciter culta est, resque jam eo devenit, ut cum antea praedicare ne quidem licuisset, nunc, saltim in majoribus urbibus saepius ad sacram concionem sermones fiant, qui vero magis vivaci dictione et artibus rhetoricis, quam solida materiarum expositione commendantur.

*) Bacmeister Beyträge zur Geschichte Peters des Grofsen. 2. Bd. Haigold Beyträge zum neuveränderten Rufsland. 1 Th. Acten, Urkunden und Nachrichten zur neuesten Kirchengeschichte. 1 Bd. Büsching Magazin für die neueste Historie und Geographie. 1 Th.

§. 933. Continuatio.

Quamquam autem multi ex clero Russico litteris et moribus culti sunt, major tamen pars, praecipue illi, qui in minoribus urbibus et pagis constituti sunt, magna ignorantia laborant, et nonnisi legere, scribere et liturgiam peragere norunt, ruditate quoque et brutis quibusdam vitiis, speciatim gula et ebrietate inquinantur, redditus quoque exiguos habent, ita ut cum sua familia propriis manibus agros colant, quae tamen omnia non obstant, quo minus a populo rudiori et religioso magno in honore habeantur. Alii fructus, qui ex conatibus, clerum et populum informandi excolendique enati sunt, consistunt in eo, quod ritus quidam superstitiosi, v. g. mos, defunctis litteras commendatitias ad S. Petrum vel Nicolaum addendi, in desuetudinem abierint, quod rei disciplinaris observatio non amplius absoluto cum rigore exigatur, et v. g. a jejunio aut abstinentia a carnibus infirmi aliique indigentes dispensentur, quod non amplius tanta aversatio aliarum ecclesiarum et odium in asseclas earum, sed

potius tolerantia dominetur, quae vero in pluribus nobiliorum cultiorumque in indifferentismum et irreligionem degeneravit. Universim autem Russi admodum religiosi sunt, suaeque ecclesiae magno cum studio inhaerent, ritusque ab ea introductos et jejunium, utut frequens ac severum, accurate observant, imagines ultra modum colunt, et frequentissimo signo crucis se signant, corpus profunde inclinantes et gospodi pomilui frequenter in ore habentes. Sed his similibusque rebus externis accurate observatis quamplurimi religionem se absolvisse et omnem Dei voluntatem implevisse arbitrantur, quin de virtute sectanda et vitio fugiendo cogitent, cui opinioni multiplex alia superstitio religiosa, moralitati adversa accedit. [1]) — Quod attinet Rascolnicas, hi, quoniam in seditionem proclives manebant, sub Petri Magni successoribus dure habebantur, et nonnunquam persecutionibus subjiciebantur, nec unquam leges contra eos latae abolitae sunt, sed non amplius executioni dantur. Cum progressu temporis fervor sectariorum, nisi novis irritamentis alatur, decrescere soleat, cum Rascolnicis recentiori tempore quies fuerit concessa, cum coetus eorum plerique clericis et ordinata constitutione caruerint, nec dispersi inter se conjuncti fuerint; factum est, ut recentiori tempore eorum numerus admodum decreverit. Nihilominus in pluribus provinciis adhucdum perdurant, attamen occultari student, et quo minus detegantur, nonnunquam ecclesias visitant. Id vero non valet de iis, qui in Sibiria magno numero existunt, nec de Cosacis, quorum plerique ad Rascolnicas pertinent. Similiter Philippones in Polonia perdurant, quorum mille circiter familiae a. 1795. numerata sunt. [2]) — Praeter Rascolnicas duae adhuc sectae in ecclesia Russica deprehenduntur, Duchoborzorum et Judaizantium, quorum tamen origo ignota est. Duchoborzi ex libris sacris nonnisi evangelia admittunt, Trinitatem divinam negant, jurare et quemcuncque sanguinem fundere ne-

fas putant, ecclesiis et sacerdotibus carent, aliam orationem praeter Dominicam non tolerant. Olim, cum dure habebantur, magistratui resistebant, et tributa denegabant, quod vero, ubi persecutiones cessarunt non amplius faciunt. Saeculo 19. plura centena eorum ipsis petentibus, in regiones circa paludem Maeotim translata sunt. Judaizantes, qui maxime in gubernio Archangelipolitano et Catharinoslaviensi reperiuntur nomen suum inde acceperunt, quod opiniones Judaicas fovere credebantur. Iidem Russi sine popis vocantur, quia sacerdotibus carent. Sed nec ecclesias habent et re ipsa Deistae sunt, cum personas divinas negent, baptismum rejiciant, et Christum ipsum minime venerentur. [3])

[1]) Acta historico-ecclesiastica nostri temporis. Tom. I. Bellermann Bemerkungen über Rufsland. 2 Th. Strahl, Zustand der griechisch-russischen Kirche in ältester und neuester Zeit, in Tübinger Quartalschrift 1823. Stäudlin kirchliche Geographie.

[2]) Martini Nachricht aus Rufsland. Bellermann lib. cit. Geschichte der Irrlehren und des Sectenwesens in der griechisch-russischen Kirche, von Strahl im kirchenhistorischen Archiv von Städlin, Tzschirner und Vater. 1824. Stäudlin kirchliche Geographie.

[3]) Storch Rufsland unter Alexander I. 1. Bd. Rupel neue nordische Miscellen.

§. 934. Extra imperium Turcicum et Russicum.

Extra imperium Turcicum et Russicum schismatici existunt in Polonia, in Galicia et Bucovina, in Transsylvania, Hungaria, Croatia, Slavonia, Dalmatia, in septem unitis insulis Jonicis, Venetiis, Liburni, in Neapoli meridionali et in Sicilia, denique Viennae in Austria. Qui in Hungaria, Croatia et Slavonia habitant, archiepiscopo Caroloviciensi in Slavonia, quem sui patriarcham vocant, subjecti sunt. Huic suffragantur septem episcopi: Temesvarinensis, Caransebesinus, Bacsensis,

Aradinensis, Budensis in Hungaria, Pacracensis in Slavonia, et Carolostadiensis in Croatia. Singulis episcopis sua consistoria addita sunt. Archiepiscopus e reliquis episcopis a clero et populo, episcopi ex archimandritis, qui a rege denominantur, ab archiepiscopo et reliquis episcopis eliguntur et a rege confirmantur. Ad reliquum clerum pertinent: protopopae, popae, archidiaconi, protodiaconi, diaconi, hypodiaconi, lectores. Monachi duplicis sunt generis, hieromonachi, charactere sacerdotali insigniti, et archiepiscopo immediate subordinati, quorum est, sacra peragere, et juventutem, etiam clericalem, in religionis doctrina instituere, et monachi simplices, qui etiam diaconi vocantur, labori manuum vacant, et archimandritis subjiciuntur. Caetera his schismaticis, qui lingua antiqua Slavica in liturgia utuntur, cum Graecis et Russis communia sunt. Idem valet de reliquis schismatisis extra imperium Turcicum et Russicum. — In omnibus locis extra haec imperia, in quibus schismatici existunt, et praeterea Romae, etiam sic dicti Graeci uniti seu Catholici reperiuntur, qui Romanum pontificem tanquam visibile ecclesiae caput venerantur, et in doctrina cum Latinis, in ritibus autem et disciplina cum Graecis concordant. In Galicia, ubi metropolitam et episcopum habent, Latinos numero plurimum superant. In Hungaria inter quatuor episcopos distributi sunt, qui sedes suas Budae, Muncatsii, Magnovaradini et Epemesini habent. In imperio Russico Graeci uniti non inveniuntur, nisi forte aliqui in Polonia et Lithuania Russica unioni pristinae adhuc inhaerent. In Turcia Asiatica plures ejusmodi coetus existunt, praesertim in Palaestina, Syria, et Ancyrae in antiqua Galatia.

§. 935. Maronitae.

Maronitae in unione cum ecclesia Romana dudum inita, constanter perseverarunt. Eorum clerici plerique in collegio, quod ab anno 1584. Romae habent, eru-

diuntur, et deinde in patriam remittuntur. Liturgiam et ritus proprios habent, in quibus peragendis lingua antiqua Syriaca utuntur. In ritibus et disciplina magis cum Graeca, quam cum Latina ecclesia conveniunt. Praecipua eorum sedes est Libanus, cujus partem Kesruan dictam, ipsi soli incolunt. Ibi in monasterio Cannobin supremus eorum episcopus residet, qui titulum patriarchae Antiocheni gerit, semper a pontifice denominatur, et 9 suffraganeos habet. Praeterea Maronitae in 80 pagis regionis Libanum circumjacentis dispersi, numero circiter 20,000 degunt. Iidem Damasci, Haleppi seu Beroeae, Tripoli Palaestinensi, et in insula Cypro, sed numero modico reperiuntur.

§. 936. Nestoriani.

Ex sectis haereticis, quae antiquis temporibus in ecclesia Orientali ortae sunt, hodie adhuc supersunt sectae Nestorianorum et Monophysitarum. Nestoriani, qui et Christiani Chaldaici audiunt, praeter haeresin, ob quam ab ecclesia Catholica separati sunt, in aliis quoque rebus a caeteris Christianis differunt. Scilicet confessionem peccatorum coram sacerdote paucissimi tantum coetus in usu habent, imaginibus sacris utplurimum carent, iisque nullum cultum exhibent, at crucem sine imagine Christi frequenter, praesertim sacerdotes eorum manu gestant. Uxoratos quoque ad episcopatus promovent. Universa eorum liturgia et disciplina simplicior est, quam caeterorum Christianorum. Nestoriani reperiuntur in Asia Turcica, et quidem in antiqua Syria, Mesopotamia, Assyria et Babylonia seu Chaldaea, porro in Iran seu Persia occidentali, in Tataria, speciatim Sinensi, denique in India anteriori. Frequentissimi sunt in utroque littore Tigridis, ubi circiter 300,000 degunt. Nestoriani in India anteriori, qui Christiani S. Thomae vocari consueverunt, praecipue provinciam Travancoriam incolunt, et circiter

100,000 hominum efficiunt. Omnes Nestoriani rudes et litterarum expertes sunt.

Henke Religionsannalen. Paolino da S. Bartolomeo Reise nach Ostindien. Aus dem Italienischen übersetzt von Forstner. Stäudlin kirchliche Geographie.

§. 937. Sectae Monophysiticae.

Monophysitae in 4 sectas divisi sunt. Harum primam constituunt Armeni, qui caeteros omnes Christianos Orientales in Asia litterarum morumque cultura superant. Hi extra patriam quoque per multas Asiae et nonnullas Europae terras diffusi sunt. Eorum patria inter Turcas et Persas divisa est. Pars orientalis, quam Persae tenent, Aran vocatur. In hac, sicut et in alia provincia Persica, quae Adherbidschan dicitur, admodum numerosi sunt. Praeterea multi eorum in urbibus Schiras et Isfahan domestici sunt, at vero in aliis quoque Persiae regionibus plures deprehenduntur. Omnes Armeni in Persia circiter 400,000 efficiunt. In India orientali fere 50,000 eorum in diversis urbibus commercialibus habitant. Maximo numero in Turcia Asiatica existunt, ubi eorum numerus facile ad 1,500,000 assurgit. In Turcomannia seu Armenia Turcica ipsi maximam partem incolarum efficiunt. Extra eam in vicina Caramania, antiqua Cilicia, admodum numerosi sunt, et in plerisque urbibus Asiae minoris, Cypri, Palaestinae, Syriae, in Georgia Turcica, Bagdadi, et Basrae majori vel minori numero deprehenduntur. In Turcia Europaea, ubi circiter 80,000 Armenorum numerantur, Rumilia et speciatim CPis praecipua eorum sedes est. In Russia quoque frequentes sunt. In Grusia et Schirwania circiter 160,000 Armenorum habitant, in reliqua Caucasia nonnisi in urbibus et locis maritimis reperiuntur. Praeterea Astrachanii majori, Orenburgi et Troizki minori numero existunt. In Russia Europaea Petropoli et Moscoviae consederunt. Inveniuntur porro in Polonia, in Galicia, ubi Leopoli archiepiscopum

haud procul ab Erivan, metropoli Arm
sedem habet. Ille omnes Armenorum s
rum in eodem monasterio seminariun
muneribus praeficit, et ab eis avocat, et
quod in omnes Armenorum ecclesias p
crat, quibus rebus non minus quam se
tionibus, quas plerique Armeni ad illi
suscipiunt, communio cum supremo
et inter singulos conservatur. Cathol
patriarchae, quorum alter in urbe Sis
alter in insula Agthamar, seu nunc E
mania sedem habet. Etiam archiepiscop
CPnus patriarcha vocatur. Is omnes A
cia Europaea sibi subditos habet, atq
quo ejus electio confirmanda est, perm
sanis suis in rebus quoque saecularibus
bent praeterea Armeni archiepiscopos
multos, ceterosque clericos inferiores
habent. Proprii eis sunt Vartabati,
monachorum, qui litteras colunt, epis
sunt, et in synodis nationalibus voce d
Armeni admodum religiosi et ecclesia
addicti sunt. Vitam monasticam perma

§. 938. Continuatio.

Alteram Monophysitarum sectam efficiunt *Jacobitae*, quo nomine nonnunquam Monophysitae universi compellantur. Strictiori sensu sub Jacobitis Monophysitae in Asia, exceptis Armenis intelliguntur. Hi iisdem in terris, in quibus Nestoriani versantur, nempe in Syria Mesopotamia, Assyria, Babylonia, Persia et India, eosque etiam numero fere aequant, nisi in India, ubi 250000 eorum numerantur, quae praecipuas suas sedes pariter ut Nestoriani in Travancoria habent. Qui in Syria, et Mesopotamia sedes habent, inter 20 circiter episcopatus distributi sunt, quorum vero haud pauci praesulibus carent. Supremus Jacobitarum episcopus patriarcham Antiochenum se dicit, et plerumque in monasterio Saphran haud procul ab urbe Mardin residet. Caeterum Jacobitae omnes non minori ignorantia et ruditate laborant, quam Nestoriani. — Ad tertiam classem Monophysitarum illi pertinent, qui Aegyptum incolunt et Copti vocantur. Eorum numerus 1,500,000 esse scribitur. Alii Christiani, exceptis paucis familiis Cairi habitantibus, in Aegypto non existunt. Copti a Turcis graviter premuntur, et quasi in servitute detinentur, unde eorum status miserrimus est. Paupertate, ruditate, ignorantia plus quam alii laborant, omnibus institutis litterariis carent; nec in monasteriis litterae aliquae coluntur, sed praeter exercitia spiritualia nonnisi manuum labor peragitur. Hinc sacerdotes quoque litterarum rudes sunt, et plerique nonnisi legere sciunt. Hinc nec populus in doctrina religionis instituitur, solus patriarcha semel per annum sermonem ad populum dicit, caeteri tantum ex homiliario nonnunquam aliquid praelegunt. Idem patriarcha, qui se Alexandrinum dicit, sed Cairi residet, supremum caput ecclesiasticum Coptorum est, et 9 episcopos sibi subordinatos habet, quibus accedunt archipresbyteri et presbyteri ac ministri inferiores. Patriarcha, qui ex

monachis coenobiorum S. Antonii et S. Macarii ab episcopis eligitur, pariter a regimine Turcico confirmandus est. eoque permittente saecularem quoque in suos jurisdictionem exercet. Magna suorum veneratione fruitur, et proventus sufficientes habet, at presbyteri fere nullos, quare victum necessarium manuum labore sibi comparare debent. Inde est, quod proximus quisque laicus, dummodo legere sciat, ad sacerdotium promovetur, imo, cum vix quisquam munus, quod operam et tempus [illegible]mit, fructus autem nullos profert, appetat, qui i[illegible]eus visus fuerit, ad illud suscipiendum adigitur. Caeterum Copti praeter haeresim etiam ritus quosdam in baptismo et eucharistia singulares habent, quibus a caeteris Christianis distinguuntur. ¹) — Cum eis in nexu quodam ecclesiastico positi sunt Abyssinii, qui quartam classem Monophysitarum efficiunt. Nam primas eorum, qui Abuna dicitur, a patriarcha Coptico ex suo clero eligitur. Sed munus ejus inter Abyssinios ad meram clericorum ordinationem restrictum est. Praeter eum Abyssinii episcopos non habent, sed archipresbyteros tantum et presbyteros ac ministros inferiores. Jurisdictio ecclesiastica maximam partem a rege exercetur, qui sicut in laicos ita et in clericos pro arbitrio dominatur. Clerici satis rudes et ignorantes sunt, attamen varios libros ecclesiasticos legunt, videlicet s. scripturam, scripta quorumdam patrum, decreta conciliorum, catechismos, liturgias, homilias, martyrologia. Praeter haeresin Monophysiticam a doctrina orthodoxa non recedunt quidem, attamen liturgiam et disciplinam admodum depravatam habent, et plura Judaica admiscuerunt. Polygamiam et repudium quacuncque ex causa concedunt. Monachi uxores ducunt, et non in monasteriis, sed in consuetis aedibus circum ecclesiam exstructis habitant, et manuum labore vitam sustentant. Eucharistiam ex farina triticea et uvis siccatis in massam formatam singulari modo percipiunt. Praeter Dominicum diem sabbatum

quoque festum agunt, cum Judaeis jejunium Ninivitícum per tres dies in memoriam Jonae prophetae observant, a cibis, in lege Mosaica prohibitis abstinent, et diem festum in honorem Abrahae et Sarae quotannis celebrant. Variam quoque superstitionem Ethnicam fovent, vitiisque extirpandis parum curae operaeque impendunt.[2]) — Hae tot sectae Orientales et Occidentales hactenus enarratae, earumque errores multiplices singulares, in multis sibi contrarii sufficienter ostendunt, a veritate longe aberrare illos, qui eam extra ecclesiam Catholicam quaerunt, quae jugi sua in eadem doctrina per 18 saecula perseverantia, divinum doctoris gentium eloquium, eam columnam et firmamentum veritatis esse, validissime confirmat.

[1]) Stäudlin lib. cit. Asseman. biblioth. Orient. t. 2.

[2]) Bruns Versuch einer systematischen Erdbeschreibung der entferntesten Welttheile. 2 Th. Stäudlin lib. cit. Wiener Conversationsblatt 1821. Februar. Ueberhaupt Schröckh Kirchengeschichte seit der Reformation. 9. Th. Vollständiges Handbuch der neuesten Erdbeschreibung von Gaspari, Hassel, Cannabich, Guthsmuths und Ukert.

§. 939. Status litterarum theologicarum in universum.

Restat, ut quomodo doctrina Christiana hac periodo tradita, seu qualis litterarum theologicarum status fuerit, enarretur. Is altero praesertim elapsi saeculi dimidio non exiguam pluribus in terris mutationem subiit, cujus semina ex parte jam saeculo 17. sparsa fuerant. Haec mutatio consistebat in eo, quod disciplinae theologicae a rebus minus utilibus et merae speculationi inservientibus magis magisque purgarentur, quod majori cum perspicuitate, methodo simpliciori et amoeniori magisque systematica proponerentur, quod cum philosophia cultiori aliisque scientiis profanis arctius connecterentur, quod, Gallis jam elapsa periodo exemplo praegressis, libri theologici passim

generabat, et impugnandis eliminand
satis solidis inserviebat, adhiberetur,
hactenus cum aliis disciplinis theologic
que minus plene tradita fuerant, sepa
rius excolerentur, atque ita novae di
gicae, velut hermeneutica, archaeolog
ductio in libros sacros, patrologia co
scholis quoque traderentur, aliae ver
ca, casuistica ex iis eliminarentur et
rentur. Inter Protestantes, praeprin
studium rationalismi omnes disciplinas
vasit, et theologiam fere in artem, do
nas suprarationales ex doctrina ecclesia
mutavit. Harum mutationum causae
quae huic aevo universim et litteris p
obtigit, cultura, partim in progressibu
religiosi sitae erant. Caeterum studium
logicarum omni fere hujus periodi t
his, modo in illis terris magna cum i
mis agebatur, et a principibus ac epis
cis magna cum munificentia et cura
Politica tamen rerum publicarum con
centiori tempore Galliam praesertim,
Italiam exagitavit, clerum in his terri

olim thesauri litterarii theologici in lucem protrahebantur, non amplius ad fontes recedebatur, sed passim apud rivulos sistebatur, unde scientiis et operibus theologicis non parum soliditatis, amplitudinis, et ubertatis decessit; quamquam non defuerint, a dictis eximendi. In universum tamen affirmare licet, disciplinas theologicas quoad argumentum et formam labente hac periodo perfectiores redditas fuisse.

§. 940. Methodologia. Inter Catholicos.

Quod ut fieret, et theologiae studiosis via, qua ad perfectiorem scientiam pervenire possent, monstraretur, haud pauci methodologias et encyclopaedias theologicas communicarunt. Inter Catholicos id fecit Dupinius libro, a. 1716. Parisiis sermone Gallico vulgato, cui titulus: methodus studendi theologiae, in quo omnes scientiae propedeuticae et subsidiariae theologiae indicantur, methodus, theologiae studendi delineatur, et optimi cujusvis disciplinae theologicae libri allegantur. Post eum Alexander de Burgos, Siculus, ordinis fratrum minorum, edidit institutionum theologicarum syntagma, in quo tum apud locos theologicos, quos auctor fere ad modum Melchioris Cani pertractat, tum apud singulas disciplinas theologicas optimi libri magno numero adducuntur, et praeterea modus, quo theologia omnibus saeculis inter Christianos tradita fuerit, enarratur. Car. Joann. Denina, theologus Taurinensis a. 1758. Taurini duos libros »de studio theologiae et de norma fidei« typo vulgavit. In his auctor ostendit, finem theologiae esse, regulam fidei, nempe s. scripturam et traditionem evincere; deinde scriptores polemicos, dogmaticos et morales recenset; postea de usu philosophiae in theologia, quem ad solam fere moralem restringit, et de aliis scientiis, quae theologiae subsidio aut ornamento esse possunt, videlicet de jure civili, historia ecclesiastica, arte critica, litteratura antiquorum Graecorum et Romanorum, linguis biblicis

et alibus tractat; denique, quo ordine scriptores t scientiae subsidiariae discendae sint, ostenr Germann s Catholicos methodologias theologicas ediderunt: Martinus Gerbert, abbas Benedictinorum ad S. Blasium in sylva nigra, † 1793. (apparatus ad eruditionem theologicam, typis S. Blas. 1764.) Franciscus Oberthür, postea theologiae in universitate Wirceburgensi professor; (encyclopaedia et methodologia theologica. Salisb. 1786.) Ignatius Thanner, postea theologiae in universitate Salisburgensi professor; (Encyclopaedisch-methodologische Einleitung zum academisch-wissenschaftlichen Studium der positiven Theologie, insbesondere der k olischen. München 1809.). Sebastianus Drey, qui logiam apud Tubingenses docet; (Kurze Einleitung in das Studium der Theologie, mit Rücksicht auf den wissenschaftlichen Standpunct und das katholische System. Tübingen 1819.) — Melior methodus theologica non in scriptis tantum proposita, sed etiam in scholas introducta est. Id imprimis factum est in terris Austriacis, ubi, postquam jam a. 1752. cooperantibus Simone Ambrosio Stock, episcopo suffraganeo Viennensi, et archiatro Caesareo, barone van Swieten, studio litterarum, etiam theologicarum, variae emendationes adhibitae fuissent, studium theologicum inde ab anno 1776. penitus reformatum est juxta ideam, a Stephano Rautenstrauch, Brzeunoviensi in Bohemia abbate et studiorum theologicorum per terras Germanno-Austriacas directore delineatam. Secundum hanc ideam decretum fuit, ut studium theologicum quinque annos duraret, et duobus quidem prioribus scientiae propedeuticae ac subsidiariae, scilicet linguae Orientales, hermeneutica, historia ecclesiastica, patrologia et historia litteraria theologiae, duobus sequentibus dogmatica et moralis, ultimo denique anno polemica, ascetica, et disciplinae pastorales docerentur, in omnibus autem usus vitae Christianae practicus respiceretur. Hoc systema progressu

temporis, aliis disciplinis omissis, aut cum iis, quae retinebantur, conjunctis, aliis quibusdam novis, velut archaeologia biblica, additis, ad eam formam perductum est, qua hodie adhuc in terris Austriacis viget. Idem cum diversis mutationibus etiam in alias terras Germanniae Catholicae, velut in Moguntinas, Wirceburgenses, Bambergenses, Bavaricas introductum est.

§. 941. Inter Protestantes.

Nec admodum, si rei substantiam spectes, ab illo differt systema theologicum, quod Catholici in aliis terris et ipsi Protestantes sequuntur. Hi pariter studium theologicum perficere, et studiosorum conamina dirigere et adjuvare editis methodologiis encyclopaedicis non paucis nitebantur. Ex Lutheranis Aug. Herm. Franke et Joach. Lange Halae 1723. principia Speneriana sectabantur. Idem fecit J. Franciscus Buddeus, qui ab anno 1705. theologiam apud Jenenses tradidit, († 1729.) attamen longe ampliorem profundioremque eruditionem theologicam manifestavit et commendavit. Semlerus contra ac Speneriani neglecta pietate eruditionem potissimum theologicam ursit, et essentiam religionis Christianae in morum doctrina ponens, principia liberalium seu indifferentium sectatus est. J. Godef. Herder, postremo superintendens generalis Wimariensis († 1803.) in Briefen, das Studium der Theologie betreffend. 4 Th. Weimar. 1780. et 81., non quidem methodologiam theologicam, attamen multas observationes in exegesin, dogmaticam, et homileticam, nec non multas utiles instructiones pro tyronibus theologis, et multa consilia ac desideria pro emendando perficiendoque studio theologico communicavit. Postquam famosus Bahrdtius in libro: Ueber das theologische Studium auf Universitäten, Berlin 1785., et secundum eum alii, plures disciplinas e cursu theologico eliminandas, e contra alias ad vitam practicam et industriam civium ac rusticorum promovendam spectan-

prios ejus theologos jam plurimum label
J. Aug. Henr. Tittmann, theologus Lip
rationalistarum favit, quibus autem veh
satus est J. Frid. Kleuker in Grundril
clopaedie der Theologie. 2 Th. Hambur
Diversis studiis J. Otto Thiefs, theologi
Kielensi professór († 1810.) in Anleitu
der öffentlichen Religionslehrer des 19.
Altona, 1801. ubique nova, ardua, imag
non raro paradoxa sectatus est. His lib
gicis recentissimo tempore accesseru
theologiae apud eosdem Kielenses prof
gische Encyclopaedie, Altonae 1819. op
perspicuitate et judiciorum frequentia
commendatum, et Car. Frid. Stäudlin
universitate Gottingensi professoris, Lel
cyclopaedie, Methodologie und Gesch
logischen Wissenschaften, Hannover 1
spicuitatem cum brevitate conjungit, et
nis systemati magis quam novo consonat.
nianos longe pauciores libri methodolo
runt. Ex eis notatu digniores sunt: J.
ni de pia et circumspecta in tradendis
sciplinis simplicitate. Turiicii 1757 libe

esse potest, Yverduni. a. 1771. — J. Frid. Guil. Thym theologische Encyclopaedie und Methodologie, Halle 1797. qui liber propter brevitatem, plenitudinem, perspicuitatem, et soliditatem inter optimos hujus generis refertur. — Inter methodologias denique ab Anglicanis editas commemorari merentur: Owenii directiones tyronum theologiae studiosorum, Londini 1766. et Eduardi Benthamii reflexiones de studio theologiae, Oxonii 1771., opus utrumque sermone Anglico conscriptum.

§. 942. Litteratura theologica.

Praeterquam quod plures, compositis methodologiis studium theologicum perficere, et studiosorum conamina adjuvare ac dirigere adlaborarint; aliud subsidii genus theologis suppeditatum est, nempe cognitio librorum, de omnibus disciplinis theologicis exaratorum. Hunc in finem sic dicta diaria seu ephemerides, bibliothecae, emporia, repertoria, annales, archiva litteraria tam universalia, quam particularia, in quibus scripta theologica recens edita recensebantur, quorumque numerus recentioribus temporibus continuo fere crevit, praesertim inter Protestantes Germannicos componebantur. Nonnulli catalogos potiorum cujusvis disciplinae theologicae librorum, adjecto saepe judicio de pretio eorum, texuerunt. Tales catalogos haud pauci methodologiis suis inseruerunt. Alii vero litteraturam theologicam in singularibus libris exhibuerunt, velut Ildephonsus Schwarz, Benedictinus monasterii Banz in Franconia († 1794.), cujus Handbibliothek für angehende Theologen ab a. 1804. Coburgi in 3 tomis prodiit. Inter Protestantes Germannicos similes libros conscripserunt: I. Georgius Walch, theologus Jenensis († 1775.), qui in sua bibliotheca theologica selecta, litterariis annotationibus instructa, Jenae ab anno 1754. in 4 tomis publicata, copiam et acribiam cum recto judicio conjunxit; Noesselt, a. 1779.; I. Petrus Miller, theologus; Göttingensis; Guil. David Fuhrmann, praedicator Hammensis, cujus

Handbuch der theologischen Litteratur, Lipsiae ab anno 1817. in pluribus tomis in lucem emissum est. — Alii historias litterarias theologiae exararunt, in quibus, qualis theologiae omnibus saeculis status fuerit, una cum potioribus cujusvis disciplinae ex omni aetate libris describebatur. Inter Catholicos id fecerunt: Ant. Bonif. Schleichert, Benedictinus Brzeunoviensis (institutiones historiae litterariae theologicae. Pragae 1778.) Franciscus Krammer, professor Budensis (institutio historiae theologiae litterariae. Budae 1783.) Paulinus Erdt, ordinis S. Francisci, theologiae apud Friburgenses in Brisgovia professor (kurzgefaſste gelehrte Geschichte der christlichen Religion. 2. Th. Augustae Vind. 1784.) Gregorius Mayr, Benedictinus Mellicensis, linguae Graecae et hermeneutices in universitate Vindobonensi professor (compendium historiae litterariae theologicae. Vindobonae 1788.) Macarius a S. Elia, Carmelita, qui theologiam in lyceo Graecensi docuit (introductio in historiam litterariam theologicam. Graecii 1785.) Stephanus Wiest, Cisterciensis, professor theologiae in universitate Ingolstadiensi † 1797. (introductio in historiam litterariam theologiae revelatae, potissimum Catholicae. Ingolstadii 1794). Ex Protestantibus plures quidem symbola ad historiam theologiae suppeditarunt, aut historias ejus particulares elaborarunt, quas inter commemorari meretur Stäudlinii Geschichte der theologischen Wissenschaften seit der Verbreitung der alten Litteratur. 2 Th. Göttingen 1810.; qui vero universalem ejusmodi historiam edidissent, pauciores inter eos extiterunt, velut C. W. Flügge, qui praeter alia, Geschichte der theologischen Wissenschaften, in tribus tomis ab anno 1796. Halae Magdeburgicae in lucem emisit. Alii, nominatim Schroeckhius historiam theologiae ipsi historiae ecclesiasticae, ad quam omnino pertinet, inseruerunt.

§. 943. Patristica et patrologia. Inter Catholicos.

Quam praeterita periodo theologi Catholici patristicae, seu operibus sanctorum patrum aliorumque antiquorum ecclesiae scriptorum operam impenderunt, eam usque ad posteriora saeculi 18. tempora, quibus studium istud negligi coepit, sedulo continuarunt. Equidem alii novas easque meliores operum illorum editiones procurarunt. Tales, quos inter Galli eminebant erant: Renatus Massuet, Benedictinus e congregatione S. Mauri († 1716.), Joannes Martianay ejusdem congregationis († 1717.), Carolus Ruaeus (de la Rue † 1725.) e societate Jesu, Julianus Garnerius, Benedictinus († 1725.), Dionysius de S. Martha, Benedictinus Redonensis, postea supremus praepositus congregationis S. Mauri († 1725.), Michael Le Quien, Dominicanus († 1733.), Bernardus de Monte Falcone (Montfaucon † 1741.) Maurinus, in critica, historia et archaeologia, coaevorum nulli secundus, Angelus Maria Quirini, Venetus, ordinis S. Benedicti, postea episcopus Brixiensis et tandem cardinalis († 1755.), Josephus Duranty de Bourecueil, presbyter oratorii Parisiensis († 1756.), Prudentius Maranus, e congregatione S. Mauri († 1762.) — Alii bibliothecas seu collectiones operum ss. patrum instituerunt, velut Bernardus de Monte Falcone, qui collectionem novam patrum et scriptorum Graecorum, Latine redditam, notisque et praefationibus illustratam a. 1706. Parisiis edidit; Philippus a S. Jacobo, qui bibliothecam maximam patrum, saeculo 17. Lugduni in Gallia typis procusam, in epitomen redegit, et a. 1719 Augustae Vind. 2 tom. in lucem emisit; Andreas Gallandi, praepositus congregationis oratorii Venetiis († 1779.) qui bibliothecam novam veterum patrum et scriptorum ecclesiasticorum adornavit; Franciscus Oberthür, qui inde ab anno 1777. scripta patrum Graecorum in 15, et Latinorum in 13 voluminibus formae octa-

minus consentanea ab archiepiscopo Pa
ptam; Nicolaus Le Nourry, Maurinus
scripsit apparatum ad bibliothecam ma
2 tom. annis 1703. et 15. Parisiis impres
Ceillerius, Benedictinus e congregatione
tharingia († 176.), qui Dupinio et Joan
jurisprudentiae apud Groningenses prof
a quo doctrina patrum moralis impetita
Gallico opposuit historiam generalem a
rum et ecclesiasticorum, quae contine
catalogum, crisin, dijudicationem, chro
lysin et enumerationem variarum editio
eis confectorum etc. etc. Parisiis ab an
in 23 voluminibus editam; Bernardus
a. 1769. Augustae Vind. concordantiam
trum ecclesiae Graecae et Latinae 2 to
Dominicus Schramm, Benedictinus Ban
qui confecit analysin operum SS. patru
ecclesiasticorum, Augustae Vind. in 15
1780. — 92. typis impressam; Placidus
ter Benedictinus Banzensis, qui Wirce
1784. — 92. in 3 tomis edidit thesaurum
continentem dissertationes praestantissim
paratu, Gallandii bibliotheca, aliisque
patrum editionibus desumtas et notis ins
fridus Lumper, Benedictinus in Suevia,

Alii denique, quae de vitis, scriptis, auctoritate, usu sanctorum patrum et caeterorum ecclesiae scriptorum theologo Catholico scitu necessaria aut utilia sunt, in ordinem systematicum redegerunt, et sic dictas patrologias condiderunt. Tales sunt: Guilielmus Wilhelm, canonicus regularis Creuzlinganus, theologiae Friburgi in Brisgovia professor, (patrologia ad usus academicos. Friburgi 1775.) Stephanus Rautenstrauch (conspectus patrologiae et historiae litterariae theologicae) Bonifacius Schleichert (institutiones patrologiae. Pragae 1777.), Daniel Tobenz, canonicus regularis Claustroneoburgensis, theologiae in universitate Vindobonensi professor † 1819. (institutiones usus et doctrinae patrum. Vindobonae 1779.) serius sub titulo: institutiones patrologiae partes 3.) Macarius a S. Elia (institutiones patrologiae. Graecii 178..) Stephanus Wiest (institutiones patrologiae in usum academicum. Ingolstadii 1795.) Vitus Antonius Winter, canonicus Eystadiensis, qui theologiam in universitate Landshutensi docuit, et a. 1814. Monachii edidit: Kritische Geschichte der ältesten Zeugen und Lehrer des Christenthums nach den Aposteln, oder Patrologie, quae vero praeter generalia nonnisi aliquos patres primi et secundi saeculi pertractat.

§. 944. Inter Protestantes.

Patrologiae quidem a Protestantibus nullae conscriptae, scripta tamen patristica a pluribus eorum exarata sunt. Sic Casimirus Oudin, Gallus, antea Praemonstratensis, postea vero, quam ad castra Calvinianorum transiisset, bibliothecae universitatis Lugdunensis in Batavia praefectus († 1717.) „commentarium elucubravit de scriptoribus ecclesiae antiquis illorumque scriptis tam impressis, quam manuscriptis adhuc extantibus in celebrioribus Europae bibliothecis, a Bellarmino, Possevino, Labbeo, Caveo, Dupinio et aliis omissis, ad annum 1460. vel ad artem typographicam

inventam, cum multis dissertationibus, in quibus insigniorum ecclesiae auctorum opuscula atque alia argumenta notabiliora accurate et prolixe examinantur." I. Albert. Fabricius (bibliotheca ecclesiastica, Hamburg 1718.) multorum scriptorum ecclesiasticorum opera exhibuit et illustravit. Theoph. Stoll a. 1733. Jenae edidit: Aufrichtige Nachricht von den Leben, Schriften und Lehren der Kirchenväter der ersten vier Hundert Jahre. I. Georgius Walch a. 1770. eadem in urbe bibliothecam patristicam, [illegible]erariis annotationibus instructam in lucem emisi[illegible] Christ. Frid. Roesler adornavit Bibliothek der Kirchenväter in Uebersetzungen und Auszügen aus ihren vornehmsten, besonders dogmatischen Schriften sammt dem Original der Hauptstellen und nöthigen Anmerkungen, Leipzig 1776.—86. 10 Th. 8. I. Georg. Arnold. Oelrichs a. 1791. in eadem urbe edidit commentarios de scriptoribus ecclesiasticis ecclesiae Latinae priorum sex saeculorum. Traugott Gottlob Schoenemann ibidem ab anno 1792. bibliothecam historico-litterariam patrum Latinorum a Tertulliano usque ad Gregorium Magnum, ad bibliothecam Fabricii Latinam accommodatam, in 2 tomis publici juris fecit.

§. 945. Status historiae ecclesiasticae. Inter Catholicos. Historiae eccles. universalis scriptores. Galli. Itali.

Historia ecclesiastica hac periodo diligenter culta, et recentiori tempore etiam in scholas introducta est. Ejus materialia, elapsa periodo eruta et collecta, nunc multipliciter elaborata atque in integra diversae formae opera redacta sunt. Haec etsi nec amplitudinem nec profunditatem priorum attingerent, ea tamen in universum superabant crisi, quae nonnunquam, praesertim inter Protestantes in hypercrisin degenerabat, pragmasi, et genio philosophico, materiarum selectu et or-

dine, dictionis amoenitate, moderatione erga diverse sentientes, et libertate in dicendo sed non semper vero. Historiae universales majoris ambitus a paucis conscriptae, vel non ad finem perductae sunt. At ejusmodi operum, in quibus historiae particulares vel speciales vel specialissimae enarrabantur, vel nova materialia tam pro antiquiori quam pro recentiori historia colligebantur, infinitus pene extitit numerus. Hinc nonnisi ex universalibus historiis ecclesiasticis notatu digniores, ex particularibus autem et specialibus aliquae tantum a Catholicis conscriptae quasi exempli causa hic loci propter augustias spatii adduci possunt. Itaque quod primum Gallos attinet, Claudius Faber (Le Fevre † 1773.) presbyter congregationis oratorii, Floerii historiam, cujus ultimus tomus anno demum 1720. lucem aspexit, eodem sermone Gallico, sed minori eruditione, pejori stylo et ea prolixitate continuavit, ut usque ad annum 1595. sedecim tomos impleverit. Haec continuatio ab anno 1726. — 40. in lucem prodiit. Franciscus de Choisy, decanus ecclesiae cathedralis Bajocensis († 1725.) historiam ecclesiasticam majoris ambitus, ex Natali Alexandro et Tillemontio potissimum haustam, et usque ad annum 1715. productam, sermone Gallico, stylo facili et eleganti, excitandaeque pietati accommodato conscripsit, quae Parisiis ab anno 1703. — 23. XI. voll. 4. edita est. Hyacinthus Amatus Graveson, Dominicanus Avenionensis, theologiae in universitate Parisiensi, postea Romae professor († 1730.) in hac urbe, ubi juvenem principem instituebat, historiam ecclesiasticam n. t., variis colloquiis digestam, sermone Latino concinnavit, quae usque ad pontificatum Clementis XI., seu annum 1700. pertingit, et Romae ab anno 1717. — 22. X voll. 8. in lucem prodiit. Bonaventura Racin, canonicus Antissiodorensis epitomen historiae ecclesiasticae, ex Floerio plerumque extractam, et usque ad finem saeculi 17. productam confecit, pluribusque tomis in lucem emisit. Ducreux, pa-

octavae contentam, quae antiquiori et
ficienti crisi destituta, et recentiori aet
mum res in ecclesia Gallicana gestae e
tium studiosa est. — Inter Italos unive
historiam scribendam susceperunt: Ja
chi, presbyter congregationis oratorii R
Is annales Baroniano-Raynaldianos us
1671. continuavit, quae continuatio F
1728. — 37. 3 voll. fol. comparuit; —
stinus Orsi, Dominicanus, postea card
mae a. 1748. historiam ecclesiasticam
vulgare coepit, magna quidem eruditi
prolixitate exaratam, ut in 20 volumi
sex priora ecclesiae saecula enarrentur.
continuavit Philippus Angelus Bechetti
postea episcopus civitatis Pieviensis in
tano, eamque 12 tomis usque ad annu
xit, qui in eadem urbe ab anno 1770. –
erunt. Idem ab anno 1788. — 95. »his
posteriorum ecclesiae saeculorum« edidi
nempe Occidentis usque ad pontificatun
riter Italice scriptam; attamen in 9 to
initium concilii Tridentini pervenit. Joa
Berti, Augustinianus eremita, qui Pisi
clesiasticam docuit, a. 1760. typis vulg
historiae ecclesiasticae, quod usque ad

exaravit. Casparus Saccarelli, congregationis oratorii Romani presbyter historiam ecclesiasticam per annos digestam variisque observationibus illustratam, conscripsit, quae Romae ab anno 1770 — 95. 25 voll. 8. comparuit, sed nonnisi usque ad annum 1178. pertingit. Denique Josephus Zoila, historiae ecclesiasticae in universitate Ticinensi professor commentariorum de rebus Christianis ante Constantinum M. volumina tria publicavit.

§. 845. Germanni.

Catholici in Germannia imprimis historias ecclesiasticas Gallorum in linguam seu Latinam seu vernaculam transtulerunt, et usque ad tempora recentiora continuarunt. Sic Floerii historiam Bruno Parode et Dominicus Ziegler, Benedictini monasterii Ettalensis in Bavaria, Fabri vero continuationem Alexander a S. Joanne de cruce, Carmelita in Bavaria, Latinam reddidit, qui posterior historiam in eadem lingua et juxta eandem methodum, sed minori cum crisi et nimis prolixe usque ad recentiora tempora produxit, ita ut totum opus Latinum, prout ab anno 1758. — 1804. Augustae Vindelicorum prodiit, 86 tomis in octavo contineatur. Historia ecclesiastica Antonii Godeau in linguam Germannicam translata est a Joanne Ludovico de Groote, quae translatio ab anno 1768. Augustae Vind. in 26 voll. 8. comparuit. Ei translator continuationem addidit, 12 tomis contentam, quorum ultimus, totius operis 38. a. 1784. in lucem emissus, historiam concilii Constantiensis enarrat. Similiter historiae ecclesiasticae Racinii, Ducroesii et Bercastelli Germannice redditae sunt. Racinii historia quoque a translatore, Meinrado Lichtensteiner, Benedictino Vindobonensis monasterii ad Scotos, usque ad recentiora tempora continuata est. Tanquam continuationem saeculorum Christianorum Ducroesii Philippus Jacobus de Huth conscripsit: Versuch einer Kirchengeschichte des 18. Jahrhundertes, quae ab anno 1807. —

1809. Augustae Vind. in 2 tomis comparuit. Denique ex Bercastelli historia Josephus Scheill, theologiae pastoralis in lyceo Dillingensi professor epitomen, recentiori ecclesiae historia usque ad pontificatum Pii VII. auctam, et sermone Germannico scriptam extraxit, quae postremis his annis pariter Augustae Vindelicorum in 10 tomis prelum reliquit. Sed et proprio marte Germanni Catholici altero saeculi 18. dimidio historias ecclesiasticas universales conscribere coeperunt. Nonnulli introductiones in historiam ecclesiasticam exararunt, velut: Ferdinandus Stoeger, historiae ecclesiasticae in universitate Viennensi professor (introductio in historiam ecclesiasticam n. t. ad usum suorum auditorum. Viennae 1776.), Chrysostomus Pfrogner, theologus Pragensis (Einleitung in die Christliche Religions- und Kirchengeschichte überhaupt, und in die Kirchengeschichte Böhmens insbesondere. Duo tomi. Pragae, 1801.) Alii historiam ipsam conscripserunt, nominatim: Josephus Pohl, societatis Jesu Viennae sacerdos (manuductio ad historiam ecclesiasticam, ex probatis auctoribus, usibus candidatorum theologiae collecta. VI voll. Viennae 1753.—59.) — Casparus Royko, historiae ecclesiasticae in universitate Pragensi professor († 1819.), qui praeter: Einleitung in die Christliche Religions- und Kirchengeschichte, edidit synopsin historiae religionis Christianae, methodo systematica adumbratam, Pragae 1785.; porro Christliche Religions- und Kirchengeschichte. 4 tomi. ibidem. 1789.—95., opus imperfectum; praeterea: Geschichte der grofsen allgemeinen Kirchenversammlung zu Costnitz. 4 tomi. Ibidem. 1780. — 85. — Matthias Dannenmayr, historiae ecclesiasticae in universitate Vindobonensi professor († 1806.) qui praeter introductionem in historiam ecclesiae Christianae universae, usibus academicis accommodatam, et Friburgi Brisgojae a. 1778. impressam, a. 1788. Viennae edidit institutiones historiae ecclesiasticae n. t., postquam jam anno 1785. Friburgi primam periodum a Christo nato usque ad

Constantinum M. fusiori calamo exaratam typis commisisset. Ab eodem descendit: Leitfaden in der Kirchengeschichte, quem librum ipsius discipuli ex ejus praelectionibus calamo exceptis congesserunt, et in 4 tomis Viennae a 1790. typis mandarunt. Liber auctoris Latinus a. 1815. Panormi iterum in 4 voluminibus comparuit sub titulo: Matthiae Dannenmayr institutiones historiae ecclesiasticae n. t., quas novis accessionibus et animadversionibus auctas typis denuo committit Vincentius Fontana. Franciscus Gmeiner, historiae ecclesiasticae in lyceo Graecensi professor († 1824.) epitomen historiae ecclesiasticae n. t. in usum praelectionum academicarum in duobus tomis Graecii 1787. edidit. Cosmas Schmalfus Augustinianus eremita Pragae a. 1792. historiam religionis et ecclesiae Christianae in sex voluminibus prelo commisit. Pt. Ph. Wolf, scriptor Catholicus, qui ecclesiae Catholicae instituta laudabilia et salutaria cum magna vehementia impetivit, a. 1792. Geschichte der christlichen Religion und Kirche in duobus; 1789. — 92. Allgemeine Geschichte der Jesuiten von dem Ursprung ihres Ordens, bis auf gegenwärtige Zeit, in quatuor; et 1793. — 99. Geschichte der römisch-katholischen Kirche unter der Regierung Pius VI. in septem tomis Tiguri publicavit. Antonius Michl, historiae ecclesiasticae in universitate Landshutensi professor a. 1807. Monachii edidit Christliche Kirchengeschichte, cui postea alterum tomum adjunxit, additamenta ad priorem continentem. Fridericus Leopoldus comes de Stolberg ab anno 1807. in lucem emisit Geschichte der Religion Jesu Christi, Hamburgi primo impressam, quae in 15 tomis historiam veteris testamenti et ecclesiae Christianae usque ad annum 431. enarrat. Marcellinus Molkenbuhr, theologiae, quam olim apud Heidelbergenses docuit, doctor, ordinis S. Francisci exprovincialis, inde ab anno 1818. Paderbornae edidit historiam religionis Christianae in compendio et ordine chronico exhibitam. Sed duo tantum tomi comparue-

runt, quorum posterior usque ad annum 451. pertingit. Theodorus Katerkamp a. 1819. Monasterii, ubi theologiam docet, introductionem in historiam ecclesiasticam sub titulo: Geschichte der Religion bis zur Stiftung einer allgemeinen Kirche, et anno 1823. ipsam historiam, usque ad annum 312. pertingentem sub titulo: Des ersten Zeitalters der Kirchengeschichte erste Abtheilung die Zeit der Verfolgungen, communicavit. His addendus est J. N. Alber, theologiae in universitate Pesth professor, auctor institutionum historiae eccles. 4 tomis Coloczae 1798. impressarum. Idem a. 1820 dissertationes in selecta argumenta historiae eccles. 2 tomis edidit.

§. 947. Scriptores historiarum ecclesiasticarum particularium et specialium.

Inter illos Catholicos, qui historias ecclesiasticas particulares vel speciales composuerunt, pertinent: Hippolytus Helyot, ordinis S. Francisci († 1716.) qui sermone Gallico prolixam historiam omnium ordinum monasticorum et equestrium concinnavit; — Josephus Jouvency († 1719.) auctor historiae societatis Jesu; — Jacobus Marsollier, canonicus regularis ad S. Genofevam in urbe Parisiensi († 1724.), qui praeter biographiam cardinalis Ximenis aliorumque virorum eruditorum, historiam sacrae inquisitionis exaravit; — Franciscus Pagi ordinis fratrum minorum Aquis Sextiis, qui pluribus in locis philosophiam docuit, et postea Antonium Pagium, cognatum suum, in crisi Baronii adjuvit († 1721.) ediditque breviarium chronologicum historiae paparum, sermone Gallico scriptum; — Dionysius de S. Martha, qui scripsit vitam Cassiodori, et Galliam Christianam in provincias distributam; — Michael le Quien, inter cujus opera eminet Oriens Christianus; — Carolus Meichelbeck, Suevus, ordinis S. Benedicti († 1734.), qui praeter chronicon monasterii sui Benedictbayern, historiam episcopatus Frisingensis exaravit; Hyacinthus Serry, ordinis Praedicatorum, theologiae in universitate Pa-

taviensi professor († 1738.) qui praeter alia scripsit historiam congregationum de auxiliis gratiae sub Clemente VIII. et Paulo V.; — Fridericus Schannat, ex causidico Maliniensi presbyter († 1739.) qui historiam episcopatuum Wormatiensis et Fuldensis composuit; — Carolus du Plessis d'Argentré, doctor Sorbonnicus et capellanus aulicus Ludovici XV., postea episcopus Tulensis († 1740), ex cujus operibus illud potissimum inclaruit, quod continet historiam damnationum illorum errorum ac haeresum, quae a saeculo 12. usque ad annum 1713. in ecclesia ortae sunt; — Georgius ab Eggs, canonicus Rhenofeldae ad S. Martinum († 1744.), qui sub titulo: purpura docta, biographias eruditorum cardinalium edidit; — Godofridus Bessel, abbas Benedictinorum Gottvicensium, († 1749.) qui elucubravit chronicon monasterii sui, magnam laudem consecutum; — Marcus Heinsitz Jesuita Germannus († 1766.), auctor Germanniae sacrae, in tribus tomis contentae; — Sigismundus Galles, qui Viennae in Austria ab anno 1756. — 69. annales ecclesiasticos Germanniae in sex voluminibus in folio edidit; — Daniel Farlatti, professor Bononiensis, postea Patavinus († 1773.) auctor Illyrici sacri; — Petrus Henry, Maurinus († 1782.) qui elucubratus est Galliam Christianam; — Guilielmus Franciscus Berthier, instructor Ludovici XVI., eodem ac prior anno mortuus, qui cooperantibus Longuevallio et Fontenaeo historiam ecclesiae Gallicanae composuit; — Marius Quarnaccius, pontificius praelatus domesticus († 1785.), a quo concinnatae sunt biographiae pontificum et cardinalium, qui intra annum 1670. et 1730. vixerunt; — Nicolaus ab Hontheim († 1790.), ex cujus operibus huc pertinet historia Trevirensis diplomatica et pragmatica, a. 1750. in 3 tomis edita; — Marianus Fiedler, qui edidit Geschichte der ganzen österreichischen weltlichen und klösterlichen Clerisey beyderley Geschlechts, Viennae. 1780. — 88. 9 tom.; — Godefridus Uhlich, a quo exstant Lebensgeschichten der Hei-

ligen aus den ältesten und bewährtesten Urkunden, Pr
gae. 1782. 4 tom.; — Resch, presbyter Brixinens
(† 1784.) qui elaboravit annales ecclesiae Sabionensis; -
Martinus Gerbert, qui scripsit historiam nigrae sylvae in
tom. ab anno 1783.—85., et ab anno 1791.—92. in 2 tom
prodromum Germanniae sacrae, ad quam enarranda
plures symbola sua contulerunt, velut: J. J. Sandhoff, (A
tistites Osnabrugensis ecclesiae. Monasterii 1785. Collecti
processuum et constitutionum ecclesiae Spirensis. Bruch
saliae 1786.) A. Kock (Series episcoporum Monasterien
sium. Monasterii 1806.) F. Dalham, (concilia Salisburgen
sia. Augustae Vindel. 1788.) Neugart, (codex diplomaticu
Alemanniae et Burgundiae Transjuranae intra fines dioece
sis Constantiensis. 2 tom. Ad S. Blasium. 1791. — 95. Epi
scopatus Constantiensis. 1803.) Alexander Würdtwein
1769. (monasticon Palatinum. 6 tom. Manhemii 1793.—97
Aemilius Ufsermann (episcopatus Wirceburgensis. Typ
Blasianis 1794. Episcopatus Bambergensis. 1801.) Po
hos Vitus Antonius Winter Monachii ab anno 1805. -
10. in 2 tom. edidit: Vorarbeiten zur Beleuchtung d
bayrischen und österreichischen Kirchengeschichte übe
haupt und der Vor-Agilolfingischen insbesondere.

§. 948. Continuatio.

Alii in illustrandis antiquitatibus ecclesiasticis, hie
rarchiam, ritus sacros, et disciplinam concernentibu
laborarunt, velut: Eusebius Renaudot, congregation
oratorii († 1720.), qui liturgias Orientales collegit e
historiam patriarcharum Alexandrinorum scripsit; -
Blasius Ugolini, qui thesaurum antiquitatum sacrarum
in 34 voluminibus in folio edidit; — Edmundus Mar
tene, Maurinus († 1739.) a quo exarati sunt: libri qua
tuor de antiquis ecclesiae ritibus, tractatus de antiqu
ecclesiae disciplina in celebrandis officiis divinis, the
saurus novus anecdotorum; — Montfoconius, ex cuju
operibus huc pertinent: palaeologia Graeca, analect
Graeca, et 10 tomi antiquitatum collectarum; — M

ratorius, ex cujus operibus hic loci commemoramus antiquitates Italiae medii aevi, liturgiam Romanam veterem, novum thesaurum veterum inscriptionum; — Thomas Mamacchi, Dominicanus, qui Romae ab anno 1749. origines et antiquitates Christianas in 5 tomis 4. edidit; — Lucius Paleotimus, auctor summae antiquitatum sive originum ecclesiasticarum; — Josephus Simon Assemann, Maronita a monte Libano, canonicus Romanus, et bibliothecae Vaticanae custos († 1768.), ex cujus operibus huc pertinent: bibliotheca Orientalis, Clementino-Vaticana in tribus, et calendaria ecclesiae universae in sex tomis; — Josephus Aloysius Asseman, prioris cognatus († 1782.), qui Romae linguas Orientales docuit, et codicem liturgicum ecclesiae universalis edidit. Quemadmodum hactenus commemoratorum complures in allegatis aliisque operibus multa monumenta antiqua ad historiam ecclesiasticam pertinentia, collegerunt, ita alii similes collectiones in propriis operibus, saepe sat amplis instituerunt. Sic Joannes Hardouin, Jesuita Gallus († 1729.), a sententiis paradoxis notatus, et post eum Dominicus Mansi, archiepiscopus Luccensis (1769.) acta omnium conciliorum collegit; Schannatus collectionem veterum monumentorum ad Germanniam sacram spectantium, corpus traditionum Fuldensium, et concilia Germanniae edidit, quae postea a Josepho Harzheim, Jesuita Coloniensi († 1763.) aucta, continuata et notis illustrata sunt.

§. 949. Scriptores historiae ecclesiasticae inter Lutheranos.

Lutherani in Germannia, altero praesertim saeculi 18. dimidio sedulam historiae ecclesiasticae operam impenderunt, et non tantum quam plurimas historias particulares ac speciales diversi generis, sed etiam haud paucas universales majoris et minoris ambitus conscripserunt. Ex illis exempli causa velut praestantiora quaedam

Veränderungen und der Bildung unse
Lehrbegriffs vom Anfang der Reformat
Einführung der Concordienformel. 6 tom.
1800. Ejusdem Geschichte der christlich-l
sellschafts-Verfassung. 5 tom. Hannover
Ex istis sequentes notari merentur:
Weifsmann, theologi Tubingensis († 17
in memorabilia ecclesiastica historiae
tomi. Tubingae. a. 1718. et 19. quae a
sinceritate et libertate in dicendo vero,
tandis piis animi sensis accomodata sit
J. Laurentii Mosheim, prius theologiae
Helmstadiensi professoris, postea unive
gensis cancellarii († 1755.) institutionum
clesiasticae antiquae et recentioris libri
stadii. 1755. Praeter hoc opus multa ali
bus diversa capita historiae ecclesiasti
antiquioris aevi illustrantur. Moshemi
suos materiarum selectu, elocutione, n
cognitione, usu philosophiae, usu pract
mo a partium studio alieno, superavit,
tarum rerum faciem aperuit, sed et h
cturis ingeniosis nimis indulsit. Ejus
linguam Germannicam translata est, p
gusto von Einem in novem, deinde
Schlegel in sex tomis, ita tamen, ut

qui plura opera ecclesiastico-historica confecit, relationes historias diligenter examinavit, et mature dijudicavit, breviarium historicae Christianae. Halae 1754.; — Semleri historiae ecclesiasticae selecta capita. 3 voll. Halae 1767. — 69. et: Versuch eines fruchtbaren Auszuges der Kirchengeschichte. 3 voll. Ibidem. 1773. — 78. Haec aliaque Semleri opera potius excerpta, recensiones, reflexiones, quam historiam continent, et indefessum quidem fontium scrutatorem, sed et hypercriticum, hominem a positiva religione alienum, et iniquum rerum ad illam pertinentium judicem produnt; — J. Matthiae Schröckh, historiae in universitate Wittenbergensi professoris († 1808.) Christliche Kirchengeschichte. 35 tomi. Lipsiae. 1768. — 1803., quam auctor ipse continuavit sub titulo: Christliche Kirchengeschichte seit der Reformation, in 8 tomis ab a. 1804. — 1808. ibidem editis, quibus Henricus Theophilus Tzschirner, historiae ecclesiasticae in universitate Lipsiensi professor anno 1810. nonum addidit, et totum opus ad finem perduxit. Hoc multa eruditione, crisi, pragmasi fere nimia et animi libertate scriptum est, at quamquam auctor aliis est moderatior, multa tamen iniqua in ecclesiam Catholicam protulit judicia. Idem a. 1777. Berolini compendium historiae ecclesiasticae vulgavit, cui titulus: historia religionis et ecclesiae Christianae adumbrata in usus lectionum; — Lud. Timothei Spittler, professoris in universitate Gottingensi († 1810.) Grundriſs der Geschichte der christlichen Kirche. Goettingen. 1782., qui liber potius ratiocinationem de rebus in ecclesia gestis, eamque in ecclesias orthodoxas satis iniquam, quam historiam ecclesiasticam continet; — Henrici Philippi Conradi Henke, theologiae in universitate Helmstadiensi professoris († 1809.) Allgemeine Geschichte der christlichen Kirche, Brunsvici ab anno 1788. — 1804. in 6 tomis in lucem emissa, quibus Severinus Vater, tunc apud Regiomontanos theologiae professor septimum et octavum

§. 950. Inter Calvinianos.

Inter Calvinianos nemo hac periodo extitit, qui opus ecclesiastico-historicum majoris ambitus conscripsisset; atque etiam illorum, qui historias universales minoris molis vel compendia exararunt, numerus exiguus est. Notatu digniores sunt: J. Alphonsus Turretinus, historiae ecclesiasticae in academia Genevensi professor († 1737.), qui a. 1734. Genevae edidit historiae ecclesiasticae compendium a Christo nato usque ad annum 1700. pertingens, a. J. G. Töllner in linguam Germannicam translatum, notis instructum et continuatum, atque ita Regiomontii a. 1759. editum; — Paulus Ernestus Jablonsky, professor theologiae Francofordii ad Viadrum († 1757.) a quo a. 1753. in ista urbe typis vulgatae sunt institutiones historiae Christianae, attamen una tantum pars, historiam antiquam continens, cui alii secundam et tertiam addiderunt, in quibus historia usque ad annum 1786. producta est; — Hermannus Venema, theologus Batavus, qui institutiones historiae ecclesiasticae v. et n. t., usque in saeculum 16. pertingentis, in 7 voluminibus ab a. 1777. — 83. Lugduni et Leovardii edidit; — J. Frid. Guil. Thym, cujus historische Entwicklung der Schicksale der christlichen Kirche und Religion, für gebildete Christen, Halae 1800. in 2 tomis edita, a selectu materiarum, elocutione et dictionis suavitate commendatur; — Guilielmus Münscher, theologiae in universitate Marburgensi professor, qui a. 1804. Lehrbuch der christlichen Kirchengeschichte zum Gebrauche bey Vorlesungen, ab anno autem 1797. — 1809. Handbuch der christlichen Dogmengeschichte in 2 tomis Marburgi publicavit. — Ex historiis ecclesiasticis universalibus, ab Anglicanis conscriptis, hae duae magis innotuerunt, Anglice scriptae: Guilielmi Wisthonis sacra historia v. et n. t., quae a mundo condito usque ad tempora Constantini M. pertingit, et a. 1745. Londini comparuit;

et Georgii Gregory historia ecclesiae Christianae a prima periodo usque ad praesentem aetatem, quae in eadem urbe a. 1795. in 2 tomis prelum reliquit.

§. 951. Status studii biblici. Inter Catholicos.

Quam saeculo 17. Catholici in Gallia, intelligendis explanandisque ss. bibliis operam navare coeperant, praesenti periodo diu et sedulo continuarunt. In eorum locum altero saeculi 18. dimidio Germanni Catholici successerunt. Hos inter novae cathedrae pro studio biblico erectae, novae ejusdem disciplinae introductae et excultae, verum etiam hinc inde a nonnullis principia et sententiae neologicae, sensui Catholico minus consentaneae, utplurimum ex libris Protestantium, jam tum in rationalismum tendentium haustae, adoptatae sunt. In universum Catholici in Gallia et Germania majori quam antea studio ad ipsum textum originalem s. scripturae recurrebant, eumque in finem ampliorem linguarum biblicarum cognitionem inter se propagare studebant. Cumque ad perfectiorem linguae Hebraicae scientiam acquirendam huic affines Chaldaica, Syriaca, et Arabica haud parum conferant, has quoque sibi colendas esse existimabant. Igitur et cathedrae ad dialectos Orientales docendas erectae, et novae eaeque accuratiores grammaticae ac lexica illarum linguarum exarata sunt. Sic Joannes Renou, presbyter congregationis oratorii Parisiis, a. 1708. sermone Gallico edidit novam methodum, linguas Hebraicam et Chaldaicam facile addiscendi, una cum lexico radicum Hebraicorum et Chaldaicorum, verborumque ab eis derivatorum. Petrus Guarinus e congregatione S. Mauri grammaticam Hebraicam et Chaldaicam ex optimis, quae hactenus prodierant, nova facilique methodo concinnavit, quae a. 1724. comparuit. Idem postea lexicon Hebraicum et Chaldaeo-biblicum in duobus voluminibus in quarto communicavit. Simile opus ad usum col-

legli de propaganda exaravit Joannes Pouget, illudque Romae a. 1737. 3 voll. fol. in lucem emisit. Ex Germannis Catholicis Daniel Christophorus Ries, theologiae in universitate Moguntina professor, institutiones Hebraicas, et chrestomathiam biblicam analyticam composuit. Innocentius Fefsler, Capucinus, studii biblici v. t. in universitate Leopolitana professor, ab anno 1787. institutiones linguarum Orientalium, Hebraicae, Chaldaicae, Syriacae et Arabicae in duobus tomis edidit. Joannes Jahn, ejusdem studii in universitate Vindobonensi professor († 1816.) a. 1792. in lucem emisit: Hebräische Sprachlehre für Anfänger, quam postea fusius et accuratius elaboratam a. 1799. in duabus partibus edidit sub titulo: Elementarbuch der hebräischen Sprache, quarum prior grammaticam, posterior lexicon exhibet. Grammaticam auctor in linguam Latinam translatam et plurimum locupletatam a. 1809. denuo edidit. Idem grammaticam Aramaicam pro tironibus sermone Germannico conscripsit, a. 1793. typis vulgatam, cui a. 1800. chrestomathiam Chaldaicam addidit. Illam Andreas Oberleitner, linguarum Orientalium et exegesis sublimioris in universitate Viennensi professor Latine redditam et auctam a. 1820. sub titulo edidit: Elementa Aramaicae seu Chaldaeo-Syriacae linguae, latine reddita et nonnullis accessionibus aucta. Porro Jahnius in usum theologorum, linguam Arabicam discendi cupidorum a. 1796. grammaticam Arabicam, Germannice scriptam, et anno 1802. chrestomathiam Arabicam publicavit, cui eodem anno addidit lexicon Arabico-Latinum, chrestomathiae accommodatum. Anno 1813. Antonius Aryda, presbyter Maronita, natione Syrus, collegii Romani de propaganda fide olim alumnus, qui tum Viennae post Jahnium dialectos Orientales publice docebat, institutiones grammaticae Arabicae edidit. Ejus successor Oberleitner a. 1822. typis vulgavit: fundamenta linguae Arabicae, quibus accedunt selectae quaedam, ma-

gnamque partem typis nondum excriptae sententiae, primis legendi ac interpretandi periculis destinatae.

§. 952. Continuatio.

Ex eodem studio Catholicorum in textum bibliorum originalem, etiam plures illius editiones, eaeque criticae et lectionum varietate instructae, labente hac periodo in lucem prodierunt. Talem ab anno 1746. — 53. procuravit Carolus Franciscus Houbigant, presbyter oratorii Parisiensis († 1783. aetatis 98.) qui vetus testamentum in quatuor tomis in folio edidit sub titulo: biblia Hebraica cum notis criticis et versione Latina. Is textum Hebraicum, punctis vocalibus, quod sero nimis inventa essent, omissis exhibuit, eumque ex Pentateucho Samaritano, codicibus manuscriptis, hactenus non vel parum adhibitis, ex versionibus antiquis, denique nonnunquam ex conjecturis criticis emendare conatus est. Haec emendationis subsidia in prolegomenis textui praefixis defendit, ibidemque regulas criticas proposuit, atque universam textus Hebraici crisin solido fundamento superstruere tentavit. Praeterea varias lectiones ex subsidiis a se adhibitis collectas attulit. Versioni Latinae, ad notas criticas factae, hinc inde explicationes additae sunt. Post Hubigantium Joannes Bernardus de Rossi, theologiae doctor, et linguarum Orientalium iu universitate Parmensi professor, textum Hebraicum ab a. 1748. — 86. in 3 tomis 4. in lucem emisit, sub titulo: »variae lectiones veteris testamenti ex immensa manuscriptorum editorumque codicum congerie haustae, et ad Samaritanum textum, ad vetustissimas versiones, ad accuratiores s. criticae fontes ac leges examinatae.« Haec variarum lectionum collectio, praecipue a selectu, respectu punctorum vocalium, et judicio commendatur. Anno denique 1806. Jahnius novam bibliorum Hebraicorum editionem in tribus tomis ita adornavit, ut adjuncta pristina in capita et versus divisione, novam, librorum argumentis magis

respondentem, institueret, et graviorum lectionum varietatem adderet. Textum originalem novi testamenti a. 1753. Hermannus Goldhagen, e societate Jesu, theologiae in universitate Moguntina professor, typis exscribi curavit, eidemque varias lectiones adjecit, sed nonnisi tales, quibus versio Latina vulgata confirmari queat. Hujus rei rationem non habuit Franciscus Carolus Alter, professor gymnasii Vindobonensis, qui a. 1787. novum testamentum ad codicem Vindobonensem Graece imprimi curavit, et varietatem lectionis addidit, in qua autem colligenda et ad emendandum textum adhibenda haud firmis principiis institit. Verum et antiquis quibusdam bibliorum versionibus theologi Catholici hujus periodi suas curas impenderunt. Sic Montfoconius a. 1713. hexapla Origenis in duobus tomis in folio edidit, quorum primum duplici lexico Hebraico instruxit, ubi vocibus Hebraicis significationes addidit, a veteribus patribus Graecis eis tributas. Petrus Sabbatier, Maurinus († 1742.) in tribus voluminibus in folio communicavit bibliorum sacrorum antiquas versiones Latinas, seu veterem Italam et caeteras, quaecuncque in codicibus manuscriptis reperiri potuerunt, easque cum vulgata Latina et cum textu Graeco comparavit. Josephus Blanchini, presbyter congregationis oratorii Romani († 1766.) evangeliarium quadruplex Latinae versionis antiquae seu veteris Italicae in duobus tomis in folio a. 1749. Romae publicavit. Atque ad rectiorem vulgatae intelligentiam promovendam Ignatius Weitenauer e societate Jesu, theologiae in universitate Oenopontana professor († 1782.) a. 1758. lexicon biblicum edidit, in quo Vulgatae vocabula et phrases explicantur.

§. 953. Continuatio.

Quoniam ad rectam bibliorum intelligentiam non tantum linguas, in quibus originetenus scripta sunt, sed etiam res in eis commemoratas cognitas habere

oportet; theologi Catholici etiam sic dictas antiquitates biblicas solerter explorarunt, exploratasque in propriis libris, archaeologiis biblicis vocari solitis, communicarunt. Huc referri potest Caroli Hure, litterarum elegantiorum in universitate Parisiensi professoris, qui etiam grammaticam Hebraicam Gallice scripsit, dictionarium universale s. scripturae, in eadem lingua compositum et Parisiis a. 1715. vulgatum; porro Augustini Calmet, Benedictini in Lotharingia e congregatione SS. Vanni et Haidulphi, postea abbatis Senonensis († 1757.) historia sancta veteris et novi testamenti ac Judaeorum, ad instar introductionis in historiam ecclesiasticam Floerii, pariter Gallice scripta, et Parisiis a. 1716. 2 tom. 4. edita; praeterea ejusdem dictionarium historicum, criticum, chronologicum, geographicum, et litterale bibliorum, Parisiis a. 1722. 4 tom. fol., quod quidem etiam Gallice ab auctore exaratum, sed non multo post ab alio Latine versum est; maxime vero ejusdem dissertationes introductoriae in s. scripturam, a. 1722. sub titulo: thesaurus antiquitatum sacrarum et profanarum e commentariis Calmeti, typis expressae, et ex idiomate Gallico in Latinum, atque ab ipsis Protestantibus in Germannicum translatae. Sed in his similibusque operibus etiam aliena, ad criticam altiorem et hermeneuticam pertinentia admixta erant. Puram vero archaeologiam biblicam ediderunt, a. 1794. Joannes Babor, studii biblici in lyceo Olomuceno professor: sub titulo: Alterthümer der Hebräer, et Jahnius ab a. 1796. — 1805. sub titulo: Biblische Archaeolgie, 5 tom., quam auctor in compendium sermone Latino redactum a. 1805. in uno tomo in lucem emisit.

§. 954. Continuatio.

Difficultates quoque, quae contra genuinitatem aut integritatem librorum biblicorum eorumque axiopistiam moveri possunt, et hac aetate saepius ac unquam movebantur, theologi Catholici solvere conati sunt, prius

qui-

quidem frequenter in libris, in quibus simul institutiones exegeticas aut exegesin ipsam tradebant, postea vero etiam in singularibus operibus, quae introductiones dici consueverunt, in quibus tamen praeter quaestiones ad altiorem criticam pertinentes, etiam dogmaticas, velut de inspiratione librorum biblicorum, et hermeneuticas de occasione et scopo eorum, et similibus rebus instituere solebant. Inter ejusmodi libros introductorios pertinent: Dupinii dissertationes historicae, chronologicae, et criticae de bibliis, a. 1711. in lucem emissae; — Hubigantii prolegomena in s. scripturam, a. 1748. typis publicata; — Gabrielis Fabricii ex ordine Praedicatorum, considerationes criticae de puritate et integritate textus originalis librorum sacrorum v. t., sermone Gallico scriptae et Romae a. 1772. 2 tom. impressae, in quibus omnia, quae de illa materia inde a Richardo Simone, etiam a Protestantibus prolata fuerant, examinantur, sed et propria auctoris judicia de textu Hebraeo ejusque editionibus criticis adferuntur; — Hermanni Goldhagen introductio in s. scripturam v. et n. t., quae in 3 partibus ab a. 1765. — 68. in lucem prodiit; — Guilielmi Wilhelm authentia v. t. Constantiae. 1768.; — Gregorii Mayer Authentie und Oeconomie der göttlichen Schriften des neuen Bundes. Viennae 1793; — Jahnii Einleitung in die göttlichen Bücher des alten Bundes, Viennae eodem anno 2 tomis impressa. Eadem ab auctore in compendium Latinum redacta a. 1804. in uno volumine prodiit; — Taborii allgemeine Einleitung in die Schriften des alten Testaments. Viennae 1794.; — Joannis Leonardi Hug, studii biblici in universitate Friburgensi professoris Einleitung in die Schriften des neuen Testaments, quae Tubingae a. 1808. in 2 tomis prodiit, et caeteris fere omnibus praestat; — Andreae Benedicti Feilmoser, theologiae tunc apud Oenopontanos professoris Einleitung in die Bücher des neuen Bundes, a. 1810. Oenoponti typis excusa, quae ob varias sententias a sensu

Catholico alienas auctori suo incommoda paravit; — Aloysii Sandbichler, theologiae apud Salisburgenses professoris († 1820.) kurze Darstellung einer Einleitung in die Bücher des alten Bundes nach Jahn. Salzburg 1813. ejusdem Uebersicht der Hauptgegenstände aus der allgemeinen Einleitung in die Schriften des neuen Bundes, et: Besondere Einleitung in die Bücher des neuen Bundes. ibid. 1817.; — Danielis Tobenz institutiones s. scripturae. 2 tom. Viennae 1814.; — J. H. Janssens hermeneutica s. seu introductio in omnes ac singulos libros sacros v. et [illegible] ederis. 8 tom. Leodii 1818.

§. 955. Continuatio.

Praeter libros introductorios Catholici s. scripturae scrutatores etiam haud paucos hermeneuticos composuerunt, in quibus regulas, verum illius sensum inveniendi tradebant ac stabiliebant, et tandem in systema satis plenum redigebant. Nunquam quidem respectum traditionis seu analogiam fidei rejiciebant, at sensum grammaticum mystico magis magisque praeferebant, ita ut posteriores hunc fere penitus desererent, et interpretum vix ullus talem amplius exploraret. Nonnulli etiam principium a recentioribus Protestantibus statutum, biblia non secus ac quemcuncque alium librum humanae originis interpretanda esse, approbabant, et sic dictae interpretationi historicae, ab iisdem Protestantibus introductae, atque in hac principio accommodationis, qua sacri scriptores usi sint, patrocinabantur, quod ab aliis, praesertim ecclesiarum praesulibus improbatum. Sunt autem, quorum scripta hermeneutica magis innotuerunt, fere sequentes: Martianaeus, qui a. 1734. tractatum methodicum, seu methodum explicandi s. scripturam ope trium syntaxium, proprietatis, figurae, et harmoniae, anno autem 1716. methodum sacram, biblia ex se ipsis explicandi, utramque lingua Gallica scriptam edidit. In priori opere sensum litteralem, cui mysticus semper inniti debeat, in

proprium et improprium seu figuratum distribuit, et in syntaxi harmoniae regulas tradit, juxta quas antilogiae apparentes inter utrumque testamentum in concordiam redigendae sint; — Calmetus, qui in bibliotheca sancta, dictionario suo biblico praemissa, septem regulas hermeneuticas proposuit, in quibus praeter alia, s. scriptura juxta sensum, quem tenet ecclesia, interpretanda, et sensus mysticus ibi accipiendus esse docetur, ubi litteralis Deo auctore indignus foret; — Villefroy, cujus opus huc pertinens, Gallice scriptum, et Parisiis a. 1751. — 54. 2 tom. editum, titulum gerit: litterae ad suos alumnos quae inserviant ut introductio ad intelligendum s. scripturam, praeprimis libros propheticos, relate ad linguam originalem. In eo auctor multos errores proponit, a grammaticis, lexicographis, et interpretibus hactenus commissos, et in omnibus libris propheticis v. t. duplicem sensum statuit, alterum pro antiquo, alterum pro novo Israel; — Capucini Parisienses, qui ab anno 1755. — 64. grande opus hermeneuticum, 15 tomis in octava comprehensum et Gallice scriptum sub titulo ediderunt: „principia discussa ad faciliorem reddendam intelligentiam librorum propheticorum, speciatim psalmorum, relate ad linguam originalem," cui postea accessit tomus 16. inscriptus: explicatio diversarum partium s. scripturae; — presbyter De la Molette, qui a. 1775. Parisiis publicavit librum pariter Gallice scriptum, cui titulus: tentamen de s. scriptura, seu descriptio historica commodorum, quae ex linguis Orientalibus pro perfecta librorum sacrorum intelligentia percipi possunt;" qui liber post duos annos sub titulo: nova methodus in verum sensum s. scripturae penetrandi, recusus est. Haec quidem Galli. — Inter Germannos de hermeneutica scripserunt: Josephus Julius Monsperger, studii biblici in universitate Vindobonensi professor, cujus institutiones hermeneuticae sacrae, praelectionibus academicis accommodatae, et annis 1776. et 77. in 2 partibus publicatae ab

amplitudine et eruditione laudantur; — Stephanus Hayd, professor Friburgensis in Brisgovia, qui a. 1777. edidit introductionem hermeneuticam in sacros n. t. libros ad usus suorum auditorum; — Sebastianus Seemiller, canonicus Pollingensis, professor Ingolstadiensis, qui in suis institutionibus ad interpretationem s. scripturae a. 1779. in lucem emissis solidam linguarum et rerum biblicarum cognitionem prodidit; — Christophorus Fischer, professor Pragensis, cujus institutiones hermeneuticae, a. 1768. editae institutionem interpretis novi testamenti, ab Ernestio, [illegible]ssore Lipsiensi scriptam sequuntur; — Gregorius [illegible]yer, qui in sua institutione interpretis sacri, a. 1789. publicata praeter hermeneuticam etiam introductionem generalem in libros sacros exhibuit; — Sandbichler, qui a. 1791. Salisburgi in lucem emisit: Abhandlung über die zweckmäfsigsten Mittel, den Hebräischen und Griechischen Grundtext der Bibel dem Wortsinne nach richtig zu verstehen; — Jahnius, qui a. 1812. communicavit enchiridion hermeneuticae generalis tabularum v. et n. f., cui annis 1813. et 15. tanquam appendix accesserunt duo fasciculi, in quibus vaticinia de Messia exponuntur; — Altmannus Arigler Benedictinus Gottvicensis, studii biblici n. t. apud Viennenses professor, qui a. 1813. hermeneuticam biblicam universalem edidit; — J. N. Alber, a quo a. 1816. institutiones hermeneuticae s. scripturae v. t.; a. 1818. autem institutiones hermeneuticae n. t., ambae in 3 tomis 8. typis communicatae sunt. In eis simul archaeologia et introductio continetur.

§. 956. Continuatio.

Alii ex theologis Catholicis biblia in linguas vernaculas vel cum, vel sine annotationibus transtulerunt. Inter hos pertinent: Richardus Simon, cujus versio Gallica a. 1702. in 4 tomis emissa, inscripta est: Novum test. D. N. J. C., versum secundum antiquam editionem Latinam cum notis litteralibus et criticis in lo-

ca maxime difficilia. Cum auctor nonnunquam a Vulgata recesserit, et plura loca ita verterit, ut eorum vis probandi enervata esset; archiepiscopus Parisinus Noallius ejus versionem damnavit, qua sententia Simon, etiamsi scripto se defenderit, tamen a coeptis suis, vetus quoque testamentum vertendi, absterritus fuit. Post decem abhinc annos Martianaeus aliam versionem n. t., pariter ex Vulgata confectam et explicationibus litteralibus instructam in 3 voll. 12. publicavit, quae nullam praesulum censuram incurrit. Inter Germannos Catholicos ipse episcopus Passaviensis, Josephus Maria versionem novi testamenti, notis, utplurimum dogmaticis et polemicis instructam, adornare coepit, et a. 1762. primam partem, evangelia et actus apostolorum continentem edidit, continuatio autem operis morte auctoris, quae jam anno sequenti accidit, impedita est. Post eum Christophorus Fischer ejusdem testamenti versionem, quae a. 1784. Pragae comparuit, et notas sensum explicantes aut versionem defendentes adjectas habet, ex ipso textu Graeco ita confecit, ut ad analogiam fidei non respiceret, quo factum est, ut haud paucis in locis liberior esset. Alii, qui sacra biblia in linguam Germannicam transtulerunt, sunt: Franciscus Rosalino, presbyter saecularis, Viennae apud ecclesiam metropolitanam in cura animarum constitutus, cujus versio, utrumque testamentum complectens, et ab archiepiscopo Viennensi, cardinali Migazzi approbata, ex Vulgata sine ullis annotationibus facta, a. 1781. in lucem prodiit. Post decem annos pariter Viennae alia totius s. scripturae versio, secundum eandem Vulgatam confecta, et typis Albertinis excusa in 12 tomis comparuit; — Sebastianus Mutschelle, canonicus Frisingensis († 1800.), qui annis 1789. et 90. novum testamentum in 2 tomis edidit; — Saborius, qui annis 1805. et 1806. Viennae prelo commisit Uebersetzung des neuen Testaments mit erklärenden Anmerkungen zum Gebrauche der Religionslehrer und Prediger, 3 tom.

8.; — Carolus et Leander von Efs, quorum versio novi testamenti ex textu originali facta paucissimis et brevissimis notis explicatoriis instructa anno primum 1807. in uno volumine comparuit. Leander, qui professoris et parochi Catholicorum Marburgi in Hassia fungebatur, etiam vetus testamentum, pariter e textu originali, additis tamen discrepantibus vulgatae locis in sermonem Germannicum transtulit, cujus translationis hactenus pars prior, libros historicos continens, a. 1822. in lucem prodiit.

§. 957. Continuatio.

Alii majora opera exegetica, commentarios exhibentia aut commentariis similia, vel in omnes vel in aliquos libros sacros exararunt. Tales sunt: Du Hamelius, qui a. 1701. edidit commentaria in psalmos, a. 1703. annotationes in libros Salomonis et Ecclesiasticum, a. 1706. biblia sacra vulgatae editionis una cum selectis ex optimis quibusque interpretibus notis, prolegomenis, novis tabulis chronologicis et geographicis; — Natalis Alexander, a quo a. 1703. in lucem emissa est expositio litteralis et moralis s. evangelii secundum 4 evangelistas, et commentarius litteralis ac moralis in omnes epistolas S. Pauli et in septem epistolas Catholicas; — Calmetus, qui amplissimos et praestantissimos commentarios in omnes libros v. et n. t. sermone Gallo conscriptos 23. tom. 4. ab a. 1707. — 16. in lucem emisit. Eos Dominicus Mansi in linguam Latinam transtulit, in qua translatione saepius in Italia et Germannia, sicut in lingua originali in Gallia varia forma typis procusi sunt. Etenim propter amplam eruditionem philologicam, historicam, et archaeologicam, propter diligentiam, qua auctor, omissis omnibus interpretationibus mysticis solum sensum grammaticum seu historicum exploravit, propter sanum ejus et rectum judicium, hoc opus communem fere omnium, etiam Protestantium approbationem retulit. Ad usum ejus pro-

movendum presbyter quidem Vincensis illud abbreviavit, abbreviatumque in 14 tomis 4. ab a. 1748. — 50. edidit, quod ab epitomatore biblia abbatis Vincensis vocari consuevit. Haec epitome non multo post aucta in 17 tomis 4. Avenione prodiit, et ab hoc loco biblia Avenionensia dicta est. Eodem circiter tempore, quo Calmetus operi suo insudabat, alius Gallus, Thomas de la Fossée, commentationem in biblia, ab Isaaco Ludovico le Maitre de Sacy, versionis Montensis n. t. socio, a. 1684. mortuo, coeptam ad finem perduxit, et a. 1715. in 4 voll. edidit. Hoc opus, notis litteralibus, sed longe pluribus moralibus instructum, in quo etiam multae interpretationes allegoricae exhibentur, a Benedictinis quibusdam Banzensibus ex Gallico sermone in Germannicum translatum, ab anno 1787. — 93. in 12 tomis 8. sub titulo prodiit: Die heilige Schrift sammt der Erklärung nach dem buchstäblichen und geistlichen Verstande, aus den heiligen Vätern und andern bewährten Schriftstellern gezogen. Recentiori tempore inter Gallos Rondetus magnum opus biblicum, 25 tomis 8. comprehensum composuit et sub titulo edidit: Sancta biblia, Latine et Gallice, cum notis litteralibus, criticis, et historicis, cum praefationibus et dissertationibus, ex commentariis Calmeti, abbatis Vincensis aliorumque auctorum celebriorum desumtis; opus cartis geographicis et figuris locupletatum. Constat ex Vulgata, paraphrasi Gallica, annotationibus in paraphrasin et dissertationibus ac prolegomenis tum generalibus tum in singulos libros et de singulis materiis. — Inter Germannos opera exegetica elucubrati sunt: Henricus Braun, canonicus Monachiensis, supremus scholarum in Bavaria director († 1792.), qui postquam jam a. 1786. s. scripturam v. et n. t. ex Vulgata translatam et brevibus annotationibus pro indoctis instructam edidisset, inde ab anno 1788. majus opus biblicum, 13 tomis 8. comprehensum sub titulo publicavit: Die göttliche h. Schrift

des a. und n. Testamentes in lateinischer und deutscher Sprache, durchaus mit Erklärungen nach dem Sinne der heiligen römisch-katholischen Kirche, der heiligen Kirchenväter, und der berühmtesten katholischen Schriftausleger nebst eigenen Bemerkungen; — Dominicus Brentano, canonicus Campidunensis in Suevia, qui annis 1790. et 91. edidit: Die heilige Schrift des neuen Testamentes, quod opus tribus tomis 8. comprehensum praeter versionem e textu Graeco ſactam, paraphrasin et annotationes explicatorias ac morales continet. Idem vir ab anno 1797. Pentateuchum et alios quosdam v. f. libros pariter ex textu originali in linguam Germannicam transtulit, similibusque nòtis instruxit. Post ejus mortem († a. 1797.) Thaddaeus Dereser, variis in locis, postremo Wratislaviae, theologiae professor, qui etiam institutiones hermeneuticas edidit, opus illud eadem methodo, at tum quoad versionem tum quoad notas praestantius continuavit, sed nondum ad finem perduxit, cum minores prophetae et libri Maccabaeorum adhuc desint. Eodem circiter tempore, quo novum testamentum Dominici Brentano, ab anno scilicet 1789. — 92. Moguntiae in 2 tomis comparuit Antonii Vogt commentarius in libros n. t. eorumque sensum, maxime litteralem, una cum textu continuus; opus posthumum recognitum, emendatum, atque in locis quamplurimis auctum a Daniele Christophoro Ries. Post hos Bonifacius Martinus Schnappinger ab anno 1797. — 99. in 4 tomis edidit: Die heilige Schrift des neuen Bundes mit vollständig erklärenden Anmerkungen. J. N. Alber Pesthini ab a. 1801. — 1804. interpretationem s. scripturae per omnes v. et n. t. libros 16 tomis 8. typo vulgavit, in qua quoties opus videbatur, ad textum originalem recurritur, sensus argumentis confirmatur, et controversiae tam circa textum, quam quoad sensum dijudicantur. — Post hunc Daniel Tobenz commentarios in s. scripturam n. t. Viennae 1804. — 1806. 2 tom. typis imprimi curavit idemque

postea paraphrasin psalmorum, ex Hebraico adornatam, notis, et summariis instructam edidit. Anno 1819. J. H. Kistemaker canonicus Monasterii, ibidemque exegesis biblicae professor edere coepit: Die heiligen Schriften des neuen Testaments, übersetzt und erklärt, quae interpretatio magis dogmaticam et moralem, quam criticam, philologiam, archaeologiam, et historiam respicit. Ex scriptis exegeticis particularibus commemoramus Gregorii Mayer tum decani cathedralis Linciensis Beyträge zur Erklärung des Evangeliums Matthaei für Sprachkundige. Viennae 1818. Ejusdem Beyträge zur Erklärung des Evangeliums Joannis für Sprachkundige. Lincii 1820.

§. 958. Inter Lutheranos.

Lutherani priori dimidio saeculi 18. studium biblicum non quidem neglexerunt, sed nec multum in eo praestiterunt. Plerique eorum pristinis sententiis de sanctitate linguae Hebraicae, de punctis vocalibus, consonantibus coaevis, de lingua n. t. pure Graeca inhaerere pergebant, donec progressu temporis omnes eas desererent. At altero ejusdem saeculi dimidio ingens inter eos fervor ss. bibliis studendi invaluit, maximusque extitit numerus virorum, qui scriptis fere innumeris diversissimas materias generales, particulares, et speciales, ad ea pertinentes pertractarent, eorumque cognitionem ampliarent, illustrarent, aut etiam obfuscarent et erroribus implerent. Causa illius ferveris praecipua erat propensio in rationalismum, quae tum inter Protestantes invalescere coepit, aliisque stimulum addidit, ut ope novorum principiorum, disquisitionum, et interpretationum talia ex bibliis exsculperent, quae rationalismo consentanea essent, talia expungerent, quae ei adversantur, alios autem, religioni positivae adhuc inhaerentes ad adversarios paribus armis retundendos animavit. Praevaluerunt tamen priores et judicium de libris sacris eosque interpre-

tandi rationem penitus mutarunt. Itaque canonem biblicum arctioribus limitibus circumscripserunt, inspirationem librorum canonicorum rejecerunt, genuinitatem, integritatem, et axiopistiam eorum impugnarunt, vocabulis et phrasibus biblicis novas significationes attribuerunt, lectionibus textus, hactenus receptis haud raro per conjecturas criticas alias suis sententiis non obstantes aut magis consentaneas substituerunt, interpretationem sic dictam historicam introduxerunt, ex qua omnia s. scripturae eloquia nonnisi ita intelligenda sint, prout a primis auditoribus vel lectoribus pro omnibus rerum, in quibus versabantur, adjunctis, pro eorumdem moribus, conceptibus et opinionibus, pro tota eorum sentiendi ratione intelligi potuerunt; sacros scriptores ad praejudicia et opiniones erroneas lectorum suorum se accomodasse statuerunt, atque propter haec omnia in eorum sermonibus formam et materiam, rem et involucrum, veritatem et accomodationem probe ab invicem discernenda esse praeceperunt. Quos jam mores, quas opiniones, quae philosophemata et theologumena, quae rerum adjuncta, quae etiam loquentium consilia, et quas dicendi aut scribendi occasiones ex historia aut etiam ex phantasia in medium protulerunt! Alii libere professi sunt, scriptores biblicos, ipsumque religionis Christianae auctorem a praejudiciis et erroneis coaevorum suorum opinionibus non vacuos fuisse, inter quos jam omnia referebant, quae rationalismo suo non erant consentanea. Alii sic dictam interpretationem psychologicam adhibebant, aut varia adjuncta historica a scriptoribus biblicis omissa, adeoque ab interprete supplenda esse statuerunt. His similibusque artibus philologicis, criticis, hermeneuticis, et historicis omnes denique veritates suprarationales ex biblicis expungebantur, et in mythos, allegorias, philosophemata, fabulas, praedictiones ingenii sagacis, accomodationes, errores, mendacia, fraudes mutabantur.

§. 959. Continuatio.

His praemissis, quid in singulis disciplinis Lutherani praestiterint, videamus. Equidem quod linguas biblicas, speciatim Hebraicam attinet, priori saeculi 18. parte subsidio, quod ad illam accuratius cognoscendam in dialectis affinibus prostat, parum adhuc utebantur. Ex quo autem I. David Michaelis, professor Gottingensis († 1791.), discipulus Schultensii, linguarum Orientalium apud Batavos professoris, qui comparationem Hebraicae cum caeteris dialectis inter suos multum promoverat, subsidium illud in libro: Beurtheilung der Mittel, welche man anwendet, die ausgestorbene hebräische Sprache zu verstehen, a. 1757. edito, graviter commendasset, simulque rectum ejus usum docuisset; illud jam frequenter, nec sine fructu, sed nec sine abusu a Lutheranis adhibebatur. Quamquam vero inter eos minime deessent, qui dialectos illas docerent et discerent, grammaticae tamen et lexica earum paucissima ab ipsis confecta sunt. Inter grammaticas Arabicas regularum et exemplorum multitudine, apta materiarum dispositione, et dictionis claritate caeteris omnibus illa praestat, quam Ern. Frid. Car. Rosenmüller, linguarum Orientalium in universitate Lipsiensi professor elaboravit, et a. 1818. Lipsiae sub titulo edidit: »institutiones ad fundamenta linguae Arabicae. Accedunt sententiae et narrationes Arabicae una cum glossario Arabico-Latino.« Similiter Lutherani priori hujus periodi tempore neque grammaticas, neque lexica Hebraica exararunt, sed Calvinianis hujus generis libris acquieverunt. Altero demum elapsi saeculi dimidio plures eorum indolem, structuram Hebraicae eique affinium linguarum, mutuumque earum habitum, porro diversarum ejusdem vocis significationum genealogiam ac cognationem, et alias hujusmodi res cum genio philosophico inquisierunt, et grammaticas ac lexica, in quibus ista exhibebantur, composuerunt. Praetereuntes gram-

maticas Hebraicas, a Davide Michaelis, Guilielmo Friderico Hezel, Severino Vater, aliisque elaboratas, non commemoramus, nisi Theophili Christiani Storr, theologi Tubingensis († 1805.) observationès, ad syntaxim et analysin Hebraicam pertinentes, Tubingae a. 1779. in lucem emissas, quibus pars grammaticae Hebraicae syntactica ad majorem perfectionem perducta est; et Guilielmi Gesenii, theologiae apud Halenses professoris ausführliches Lehrgebäude der hebräischen Sprache, mit Vergleichung der verwandten Dialecte. Leipzig. 1817. Quoad lexica Hebraea, anno demum 1784. David Michaelis sex partes supplementorum ad lexica Hebraica communicavit, in quibus observationes de lingua Hebraea ab ipso factae examini subjectae proponebantur His usi sunt, qui vel lexica prius confecta denuo edebant, vel nova conficiebant. At Gesenius secundum observationes et principia sibi propria novum elaboravit, quod Lipsiae in 2 tomis ab a. 1810. — 12. sub titulo: hebräisch - deutsches Handwörterbuch über die Schriften des alten Testamentes comparuit, et tanquam praecipuus hujus generis liber laudatur. Nihilominus post eum Mahnius Gottingae a. 1817. Berichtigungen zu den vorhandenen Wörterbüchern und Commentataren über die hebräischen Schriften des alten Testamentes edidit. — Linguam Graecam n. t. editis lexicis aliisque scriptis illustrare conati sunt: Petrus Mintert, praedicator Heerlensis, qui in suo lexico Graeco-Latino in D. N. I. Chi testamentum, a. 1728. publicato, Hebraismos sollicite annotavit, eumque in finem versionem Alexandrinam diligenter adhibuit; — I. Conr. Schwarz, director et professor gymnasii Coburgensis, qui in suis commentariis criticis et philologicis linguae Graecae novi foederis, a. 1736. Lipsiae editis, voces et phrases sacrorum scriptorum cum antiquis auctoribus Graecis comparavit; — Christ. Schoettgen, rector scholae Dresdensis ad S. crucem, qui in suo novo lexico Graeco-Latino a. 1746. impresso, non tantum Hebra-

ismos notavit, sed etiam multa ex moribus ritibusque Judaicis illustravit; — I. Frid. Schleusner, theologiae in universitate Wittenbergensi professor, cujus novum lexicum Graeco-Latinum in N. T., anno primum 1792. Lipsiae in 2 voluminibus typo vulgatum omnes priores hujus generis libros superavit. Idem ab anno 1820. novum thesaurum philologico-criticum, sive lexicon in Septuaginta et reliquos interpretes Graecos ac scriptores apocryphos v. t. in 5 partibus edidit; — M. Christ. Abrahamus Wahl, pastor in Schneebergg, cujus clavis n. t. philologica, usibus scholarum et juvenum theologiae studiosorum accommodata, Lipsiae a. 1822. in 2 tomis edita mediam inter majora et minora hujus generis lexica viam tenet, opusque egregium est; — Georg. Bened. Winer, theologiae prius apud Lipsienses, postea apud Erlangenses professor, qui elaboravit Grammatik des neutestamentlichen Sprachidioms als einzig sichere Grundlage der neutestamentlichen Exegese, eodem anno eademque in urbe typis vulgatam.

§. 960. Continuatio.

Criticam textus biblici Lutherani non incultam reliquerunt, attamen longe plus circa novum quam circa vetus testamentum praestiterunt. Quoad posterius, I. Theophilus Carpzov, professor linguae Hebraicae apud Lipsienses († 1767.) in critica sacra v. t., a. 1728. edita, omnia sollerter collegit, quae de illa materia usque ad ipsum communicata fuerant, propriisque disquisitionibus auxit. Postquam deinde Kenicottus Anglus criticam textus Hebraei editionem procurandam suscepisset, et I. Augustus Dathe, linguae Hebraicae apud Lipsienses professor, a. 1762. prolusionem de difficultate rei criticae in veteri testamento caute dijudicanda edidisset; jam plures eruditi viri, velut David Michaelis, I. Godef. Eichhorn, professor Gottingensis, idemque Dathe codices Hebraeos pervestigarunt, variasque lectiones ex eis collegerunt, et collectas inter se compararunt, cu-

et detectiones suas in pluribus scriptis communicavit, pluresque editiones criticas ejusdem testamenti procuravit, inter quas principalis est illa, cujus pars prior a. 1796., posterior a. 1806. comparuit, quae quidem textum in omnibus fere Bengelianum exhibet, sed apparatum criticum, collectionibus omnium antecessorum locupletatum adjunctum habet. Idem Griesbachius systema diversarum antiquarum textus recensionum, jam a Semlero, praeeunte ipso Bengelio statutum, penitus excoluit, sed hac in re plures advarsarios, praecipue Matthaeum nactus est.

§. 961. Continuatio.

Quemadmodum alii ex Lutheranis linguarum, ita alii rerum biblicarum scientiae, intelligendis biblicis necessariae augendae studebant, eumque in finem scripta, in quibus vel historia biblica, vel sic dictae antiquitates Hebraeorum, et aliorum populorum Orientalium dilucidantur, composuerunt. Ex scriptis historicis notatu dignius est Christ. Theoph. Kühnöl, theologiae in universitate Giessensi professoris Geschichte des jüdischen Volks von Abraham bis auf Jerusalems Zerstöhrung für denkende Leser der Bibel. Leipzig 1791. Huc etiam referri potest Aug. Herm. Niemeyer, theologiae in universitate Halensi professoris ejusdemque cancellarii Characteristik der Bibel. 5 tom. Halle. 1775. — 82. Archaeologiae biblicae generales a Lutheranis pauciores et minoris momenti compositae sunt. Inter eas pertinent: J. Georgii Pritii, postremo praedicatoris Francofordii ad Moenum († 1732.) introductio ad lectionem n. t., Lipsiae 1704. in qua scientiae criticae, historicae, geographicae et chronologicae ad interpretandum n. t. necessariae diligenter collectae sunt, a posterioribus libri editoribus plurimum auctae; — Christiani Brüning compendium antiquitatum Graecarum et sacrarum. Francofordii ad Moenum. 1734; — J. Josephi Bellermann Handbuch der biblischen Litte-

ratur. 4 tomi, qui archaeologiam et geographiam biblicam continent. Erfurt. 1787. — 99.; — Georg. Laur. Bauer, linguarum Orientalium et exegesis biblicae in universitate Heidelbergensi professoris († 1806.), qui etiam alia multa scripsit, sed plerumque in superficie haesit, et festinanter laboravit, kurzes Lehrbuch der hebräischen Alterthümer des a. und n. Testamentes. Leipzig 1797.; — Car. Rosenmüller das alte und neue Morgenland; mit eingeschalteter Uebersetzung von Samuel Burders morgenländischen Gebräuchen, und William Wards Erläuteru[illegible] der h. Schrift aus den Sitten und Gebräuchen der Hindus. 3 tom. Leipzig 1818. Huc etiam referri possunt sic dicta lexica realia biblica, qualia a pluribus conscripta sunt, velut ab Hezelio, 3 tomi. 1783.—85., Launio, 4 tomi. Gothae. 1793.—98., Winero, 2 tomi. Leipzig. 1820. Ex scriptis archaeologicis particularibus et specialibus, quorum magnus numerus a Lutheranis in lucem emissus est, commemorari meretur Davidis Michaelis Mosaisches Recht, in 6 tomis ab a. 1770. — 75. publicatum, in quo libro leges Mosaicae magno ingenii acumine philosophice et historice dijudicantur.

§. 962. Continuatio.

Frequentiores Lutherani recentiori tempore erant in scriptis introductoriis generalibus, particularibus, et specialibus conficiendis, in quibus praecipue id agebant, ut auctoritatem, pretium, et authentiam librorum sacrorum argumentis maxime internis et frequenter inanibus hypothesibus impeterent. Carpzovius quidem, qui sua introductione ad libros canonicos bibliorum v. t. omnes, a. 1721. edita, primus introductionem biblicam ut singularem disciplinam praeformavit, sententias orthodoxas ubique adhuc observavit. Nec multum contra eas offendit David Michaelis, cujus Einleitung in die Schriften des neuen Bundes a. 1750. primum edita, ab initio satis tenuis erat, postea vero ab

au-

auctore plurimum emendata et aucta maximam celebritatatem et usum frequentissimum inter Protestantes nacta est. Sed Eichhornius, qui ab anno 1780. Einleitung in das alte Testament 3 tom., a. 1795. Einleitung in die apocryphischen Schriften des alten Testamentes, et ab anno 1804. — 14. Einleitung in das neue Testament, 3 tom. in lucem emisit, in critica, quam subliniorem vocant, quam maxime exorbitavit. Praeter eum hujus generis scripta ediderunt: Henr. Car. Alex. Hänlein, theologiae in universitate Erlangensi professor, Handbuch der Einleitung in die Schriften des neuen Testaments. 3 tom. 1794. — 1800. Lehrbuch der Einleitung in die Schriften des neuen Testaments für Academieen und Gymnasien. 1802; Ern. Christ. Schmidt. Historisch kritische Einleitung in's neue Testament, vel etiam sub titulo: Kritische Geschichte der neutestamentlichen Schriften. Giefsen 1804.; Leonardus Berthold, theologiae apud Erlangenses professor († 1822.), cujus historisch-kritische Einleitung in sämmtliche kanonische und apocryphische Schriften des a. und n. Testamentes Erlangae ab a. 1812. — 19. in sex tomis edita, potiora, quae hactenus de libris biblicis prolata fuerant, complectitur, sed nec propriis disquisitionibus et judiciis caret. Nonnulli sic dictas introductiones practicas exararunt, in quibus dicendorum pro vita Christiana et pro religione ac moribus usus potissimum respiciebatur. Tales sunt: Imman. Berger, Versuch einer moralischen Einleitung für's neue Testament für Religionslehrer und denkende Christen. 4 tom. 1797. — 1800. Ejusdem practische Einleitung in's alte Testament, ab a. 1799. — 1804. pariter in 4 tomis, quorum duo posteriores, a. J. Christ. Guil. Augusti, theologiae tunc apud Jenenses professore confectae sunt, qui etiam a. 1806. Grundrifs einer historisch-kritischen Einleitung in's alte Testament edidit; Christ. Abr. Wahl historisch-practische Einleitung in die biblischen Schriften alten und neuen Testamentes, ein Handbuch für Leh-

rer an Gymnasien und für jeden, besonders wissenschaftlich gebildeten Christen. 2 tom. Lipsiae. ab a. 1820.

§. 963. Continuatio.

Ipsam interpretationis theoriam quod attinet, Lutherani priori hujus periodi tempore per Spenerianos etiam hac in re in duas partes divisi erant. Hi enim analogiam fidei minus curabant, plures sacrarum litterarum sensus statuebant, inter hos litteralem parvi pendebant, e contra spiritualem, sanctitatis studio, interpreti praeprimis necessario, inveniendum praedicabant; cumque ipsa scripturae verba divinitus inspirata crederent, ubique emphases seu foecundissimam dictorum gravitatem in finem potissimum applicationis moralis, quam maxime urgebant. Eorum adversarii, sic dicti orthodoxi, emphases non quidem negabant, attamen sensui litterali seu grammatico primas et jam fere unicas deferebant, ideoque majorem in interprete eruditionem requirebant, fidei vero analogiam ut summum hermeneutices principium statuebant. Inter eos praecipui quidam, qui institutiones exegeticas conscripserunt, erant: Frid. Werner, 1708. Valent. Ern. Loescher, 1719. Martinus Chladenius, 1725. Ex Spenerianis notatu digniores sunt: Franke, 1717.; J. Jac. Rambach, theologus Giessensis, cujus institutiones hermeneuticae sacrae, anno primum 1723. Jenae in lucem emissae, quasi medium inter Spenerianos et orthodoxos tenebant, caeterum optima quaeque ex prioribus hermeneuticae scriptoribus selecta exhibebant, ab ordine systematico, rerum copia simul ac brevitate et auctoris eruditione laudabantur, atque amplissimum et diuturnum usum inter Lutheranos consecutae sunt; — Joach. Lange, qui in sua hermeneutica sacra a. 1733. Halae edita non tantum generales interpretationis leges proposuit, sed etiam de proprietatibus sermonis Mosaici, Davidici, prophetici, apostolici et Apocalyptici tractavit. — Philosophia Wolfiana annis elapsi saeculi trigesimis in non-

nullos, qui de s. hermeneutica praecipiebant, eam vim habuit, ut generalia quaedam principia philosophica theoriis suis substernerent, ex his regulas specialiores deducerent, et omnia demonstrare conarentur; caeterum cum Spenerianis consentiebant, attamen et nova quaedam in medium proferebant. Inter eos pertinent: J. Leonardus Reckenberger; J. Georgius zur Linden, theologus Luneburgensis, qui in sua ratione meditationis hermeneuticae imprimis sacrae, methodo systematica proposita, a. 1735. typis vulgata, analogiam fidei ut summum hermeneutices principium non admisit, sacrosque n. t. scriptores in allegandis nonnullis v. f. locis accommodatione usos fuisse statuit; — Christianus Wolle, praedicator Lipsiensis, qui in sua hermeneutica n. f., a. 1736. impressa, primus hermeneuticam n. t. separatim pertractavit, adeoque plures res ad illud solum attinentes magis illustravit; Sigism. Jac. Baumgarten, qui in libro: Unterricht von Auslegung der h. Schrift, a. 1742. Halae edito, a rerum copia, brevitate, claritate, methodoque systematica commendato, magna cum diligentia de adjunctis historicis ab interprete respiciendis tractavit.

§. 964. Continuatio.

Annis saeculi elapsi sexagesimis duo viri inter Lutheranos surrexerunt, qui theoriis suis magnam in interpretandis sacris litteris mutationem produxerunt. Alter eorum erat J. Aug. Ernesti, exegetices n. t. in universitate Lipsiensi professor († 1781.). Is in sua institutione interpretis n. t., a. 1761. primum edita, cum apto rerum selectu, succincte et eleganter conscripta, grammaticam potissimum sacrarum litterarum interpretationem commendavit, adeoque nonnisi unicum sensum grammaticum admisit, usum loquendi biblicum n. t., et subsidia ad eum investigandum necessaria accuratius ac ante ipsum factum fuerat, descripsit, emphases penitus rejecit, generatim quidem statuit, libros

sacros non aliter ac profanos esse interpretandos, attamen altiorem eorum, qua inspiratorum conditionem respexit, et analogiam fidei, diversimode tamen restrictam, tanquam legem interpretationis proposuit. Caeterum in suo libro plura exhibuit ad introductionem pertinentia, respectum autem ad historica scriptorum et auditorum vel lectorum adjuncta, seu interpretationem historicam silentio pressit. Hanc tamen et alia plura addidit Henricus Carolus Abrahamus Eichstaedt in acroasibus academicis super hermeneutica sacra n. t. Sam. Frid. Nathanaelis Morus, praeceptoris sui, quas Lipsiae in 2 voluminibus, annis 1797. et 1802. edidit. Acroases istae exhibent commentarium in institutionem Ernestianam, ab eodem Moro, professore Lipsiensi († 1792.) praelectum, in quo ista institutio non tantum explicata, sed etiam aucta meliusque disposita est. — Alter duumvirorum illorum, Semlerus, historicam interpretationem potissimum promovit. In suo apparatu ad liberalem n. t. interpretationem a. 1767. Halae edito, de grammatica quidem interpretatione nihil praecepit, attamen omnia ex adjunctis historicis illius aetatis, qua sacri scriptores vixerunt, interpretanda esse docuit; inter haec adjuncta etiam opiniones Judaeorum erroneas totamque eorum cogitandi et sentiendi rationem retulit, contenditque, Jesu et apostolorum effata permulta nonnisi accommodationem ad illas opiniones erroneas continere, atque respectum ad analogiam fidei penitus rejecit, quippe quae ei non erat nisi hypotheses theologicae, quibus factum fuerit, ut s. scriptura perversissime explicaretur. In suo apparatu ad liberalem v. t. interpretationem, a. 1773. typis vulgato, Semlerus methodum, vetus testamentum ex novo interpretandi, penitus improbavit, praecepitque, ut illud potius ex indole et genio antiquitatis Hebraicae explicaretur. Praeterea authentiam plurium librorum, nominatim Pentateuchi negavit, et fere omnibus altiorem originem seu inspirationem, pretiumque pro Christia-

nis abjudicavit, eosque tum quoad originem, tum quoad finem suum tanquam mere Judaicos libros proposuit. Quae cum eo tempore proferrentur, ubi propensio in Deismum inter Protestantes invalescere coeperat, plurimis eorum non minus, quam grammatica Ernestii interpretatio probabantur. Ab initio tamen plures adhuc pristinis principiis hermeneuticis inhaerebant. Imo nonnulli historicae interpretationi graviter contradixerunt, velut Storrius, qui in tractatu suo de sensu historico, a. 1778. Tubingae edito, praecipue doctrinam de accommodatione impugnavit. Ejusmodi contradictionibus progressus interpretationis historicae minime tamen cohibiti sunt. Neque Cantius, qui in libro suo: Die Religion innerhalb der Gränzen der bloſsen Vernunft, a. 1793. edito, moralem s. scripturae interpretationem commendavit, a multis librorum sacrorum interpretibus auditus est. Pergebant theologi, theorias interpretationis sive pro utroque testamento, sive pro alterutro solo tales conscribere, in quibus principia Semleriana magis magisque excolebantur. Inter eos pertinent: G. L. Bauer, qui primus hermeneuticam sacram v. t. solius conscripsit, a. 1797. Lipsiae editam; — Theoph. Guil. Mayer, qui prius Göttingae, postea Altdorfii theologiam tradidit, et post duos annos simile opus sed melius elaboratum, in 2 tomis edidit; — Georg. Frid. Seiler, professor Erlangensis († 1807.), qui in libro suo, a. 1800. edito: Biblische Hermeneutik, oder Grundsätze und Regeln zur Erklärung der heil. Schrift des a. und n. Testamentes, a simplicitate, claritate et eruditione laudato, primo hermeneuticam generalem pro utroque, deinde pro veteri, postea pro novo testamento, denique specialem pro singulis librorum biblicorum generibus tradidit, majoremque ac alii reverentiam bibliis exhibuit, et speciatim prophetas divinitus directos fuisse, veraque vaticinia, et inter haec Messajana in Jesu completa, edidisse docuit; — Car. Theoph. Bretschneider, tunc theologiam apud Witte-

bergenses privatim docens, qui in libro: Die historisch-dogmatische Auslegung des neuen Testamentes nach ihren Principien, Quellen und Hilfsmitteln dargestellt, a. 1806. in lucem emisso, theoriam interpretationis historicae magis fundare et ampliare conatus est, et praecipue eam partem, quae circa opiniones religiosas, seu dogmata Judaeorum aliorumque populorum Orientalium versatur, diligenter excoluit, unde etiam librum suum interpretationem historico-dogmaticam inscripsit. Cum tamen ab altera parte respiceret, auctores novam religionem docuisse; plures doctrinas Christianas supranationales, ab aliis interpretibus historicis ex accommodatione derivatas vel aliter elusas, Jesu et apostolis auctoribus vindicavit. Post eum Car. Aug. Theoph. Keil, theologiae apud Lipsienses professor, († 1818.) in Lehrbuch der Hermeneutik des N. T. nach Grundsätzen der grammatisch-historischen Interpretation, a. 1810. edito, materias in hermeneutica tractandas magis scientifice disponere ac connectere, et speciatim principia ac postulata interpretationis historicae theoriae interpretationis universae firmius intexere studuit. Praeterea doctrinam de adjunctis scriptoris, et de universa ejus conditione ac cultura magis exposuit, atque in altera theoriae suae parte, de sensu invento probando, explicando, et proponendo tractavit. Non tamen omnes interpretationem grammatico-historicam, qua animus fidei et pietatis studiosus excluditur, et libri sacri in classem mere humanorum ac vulgarium detruduntur, approbarunt, et nominatim Stäudlinius a. 1807. tractatum de interpretatione librorum n. t. historica non unice vera edidit. Illa tamen adhuc praevalet. Caeterum ex libris hermeneuticis, qui recentissimo tempore inter Lutheranos comparuerunt, sunt: Griesbachii Vorlesungen über die Hermeneutik, a. 1815. a Steiner editae; Frid. Lücke Grundrifs der neutestamentlichen Hermeneutik und ihrer Geschichte. Göttingen. 1817.; Frid. Henr. Germar, praedicatoris aulici Augustenburgensis

panharmonische Interpretation der h. Schrift, ein
rsuch, zu einer klaren und gründlichen Auflösung
Streitigkeiten in der christlichen Kirche beyzutra-
. Schleswig. 1821., in quo libro ille sensus tanquam
us accipiendus esse statuitur, qui cum aliis Jesu ef-
s, de quorum sensu nullum est dubium, et cum iis
nibus, quae aliunde vera et certa sint, consentit.

§. 965. Continuatio.

Principiis hermeneuticis plerumque versiones bi-
rum et commentaria consentanea erant, in quibus
terioribus potissimum ea, quae de conditione studii
ici inter Lutheranos ab initio commemorata sunt,
ponebantur. Horum commentariorum, si etiam li-
s, in quibus vel singula loca s. scripturae, vel sin-
libri biblici explanati sunt, inter eos referas, in-
s a Lutheranis numerus, praesertim inde ab annis
uagesimis elapsi saeculi in lucem emissus est, e
ous propter instituti nostri angustias ad paucissimos
sdam adstricti, generaliora tantum et ampliora com-
norabimus. Exordium a versionibus facientes, pri-
Latinas notamus. Tales confecerunt: I. A. Dathe,
ab anno 1773. — 89. totum v. t. ex Hebraeo ita
it, ut idiotismos Hebraicos cum respondentibus La-
s permutaret, nec tamen faciem Orientalem totam
ret, versionemque suam notis criticis et philologi-
in quibus loca difficiliora illustrantur, instruxit;
r. Aug. Schott, theologiae tunc in universitate Wit-
bergensi professor, qui textum n. t. Griesbachianum
Latinum reddidit, ut de sensu ad sensum transfer-
Caeterum suam versionem, quae a. 1805. Lipsiae
paruit, etiam translationum varietate instruxit. —
siones Germannicae, novi praesertim testamenti,
e priori saeculi 18. dimidio comparuerunt, omnes
gui momenti erant illaque inter eas, quam I. Lau-
ius Schmidt, informator juvenum comitum Wert-
ensium, edito a. 1736. Pentateucho, cum notis di-

lucidatoriis et confirmatoriis vulgare coepit, ideo tantum commemorari meretur, quia propter licentiam, qua etiam loca prophetica eludebantur, non tantum a theologis impetita, sed etiam jussu Caesareo suppressa, auctor vero aliquamdiu custodiae mancipatus fuit. Altero saeculi 18. dimidio Bengelius versionem n. t. secundum principia hermeneutica Pietistarum confecit, propter translationes verbales genio linguae Germannicae multis in locis contrariam, imo obscuram, crebris applicationibus moralibus instructam et a. 1753. in lucem emissam. Quam inde ab anno 1764. Dammius ejusdem testamenti versionem in pluribus tomis formae quartae edidit, tota ad naturalismum, quem auctor aperte profitebatur, confirmandum composita erat. Paraphrasis Germannica quatuor evangeliorum, omniumque epistolarum apostolicarum, quam comes de Lynar, prius amplis muneribus publicis in Dania functus, postea vitam privatam in Lusatia vivens, a. 1765. typis vulgavit, magnam in bibliotheca Ernestiana laudem retulit. Omnes translatores, hactenus memoratos superavit David Michaelis. Is ab a. 1769. — 85. versionem omnium librorum v. f. Germannicam confecit, in 13 tomis contentam, e textu originali ea lege factam, ut, etsi potius sensum quam verba sequeretur, figuras tamen et imagines Orientales conservaret, ex toto bonam, quamvis non ab omnibus naevis liberam, et ad finem cujusvis libri numerosis annotationibus, in quibus loca biblica egregie illustrantur, instructam. Idem auctor a. 1790. versionem n. t. edidit, quae pariter annotationibus eruditissimis et ingeniosis in 2 tomis instructa est. Michaelis versiones Lutheranis non ita satisfecerunt, ut non a pluribus novae adornarentur. Quales fuerint illae, quas famosus Bahrdtius fabricavit, et ab anno 1773. in vulgus emisit, jam alio loco dictum est. Hezelius prius ab a. 1780. — 91. die Bibel des alten und neuen Testaments mit vollständig erklärenden Anmerkungen in 10 tomis, postea a. 1809. die Bibel des neuen Testamen-

tes übersetzt und mit Anmerkungen in uno tomo edidit. Seilerus a. 1781. Das neue Testament übersetzt aus dem Griechischen und mit Anmerkungen erläutert, in uno tomo, annis autem 1805. et 6. Uebersetzung der Schriften des neuen Testaments mit beygefügter Erklärung dunkler und schwerer Stellen in 2 tomis publicavit. Post hos Augusti et de Wette, professores tunc Heidelbergenses, versionem omnium librorum protocanonicorum v. f. exararunt, quae annis 1809. et 10. Heidelbergae in 4 tomis comparuit. Denique a. 1815. Nicolaus Funk, pastor Altonae, biblia ad sensum rationalistarum versa et notis instructa edidit, quae nomine bibliorum Altonaensium exinde magnam famam obtinuerunt, quia a multis impetita ipsique regi denuntiata, et ab hoc, coëmtis omnibus exemplaribus a. 1817. suppressa sunt.

§. 966. Continuatio.

Inter illos, qui ampliores alterutrius testamenti aut majoris ejus partis expositiones seu commentarios exararunt, notatu digniores sunt: Lange, Speuerianus, qui ab anno 1732. expositionem practicam totius s. scripturae utriusque foederis in sermone Germannico, sub titulo: Licht und Recht 6 vol. fol. publicavit; — Henricus Michaelis, Davidis patruus, qui a. 1720. annotationes uberiores in hagiographos 3 vol. 4. edidit, sed in exarando hoc opere Rambachium et Christ. Benedictum Michaelis, fratrem suum, theologiae et linguarum Orientalium in universitate Halensi professorem († 1764.) socios habuit; — Christoph. Aug. Heumann, theologiae in universitate Gottingensi professor († 1764.), qui ab a. 1750.—63. expositionem n. t. 12 tom. 8. in lingua vernacula cum multa eruditione philologica, historica, et archaeologica exaratam vulgavit; — J. Georg. Rosenmüller, theologiae apud Lipsienses professor († 1815.) cujus scholia in universum n. t., 1777.—94. 5 tom. meliora, quae hucusque in exegesi praestita fuerant, exhibebant

rum n. t. historicorum aliquot loca. 5 partes 4. 1790. — 94.; — Herderum, qui plus aliis indolem et genium Orientis, speciatim poeseos Hebraicae penetravit. Ex ejus scriptis huc pertinentibus commemoramus: Aelteste Urkunde des Menschengeschlechtes. 2 tomi. Rigae 1774. — 76. Briefe zweyer Brüder (Jacob et Judae) in unserm Canon. Lemgo 1774. Maran atha das Buch von der Zukunft des Herrn, des neuen Testamentes Siegel. Riga 1779; — J. Christophorum Doederlein, prius Altdorfii, postea Jenae theologiae professorem († 1792.), qui a. 1775. versionem Latinam Isaiae, notis instructam, postea scripta Salomonis in linguam Germannicam translata brevibusque notis illustrata edidit; — Henr. Eberhardum Gottlob Paulus, theologiae apud Heidelbergenses professorem, qui in suo philologico-critico et historico commentario in n. t., Germannice scripto, cujus ab anno 1800. — 1804. quatuor partes in lucem prodierunt, quatuor evangelia complectentes, ut omnia, quae altiorem evangelii originem demonstrant, eluderet, per interpretationem psychologico-historicam plurima adjuncta historica, quasi a scriptoribus sacris omissa confinxit, et non raro vocabulis Graecis significationes falsas attribuit; — Severinum Vater, qui sermone Germannico exaravit commentarium in Pentateuchum, ab anno 1802. — 1805. in 3 partibus editum. In tractatu, tertiae parti adjecto, de Mose et auctore Pentateuchi, contenditur, hoc opus ex singularibus narrationibus et legibus successive exortis, inter quas fortasse aliquae a Mose originem habeant, brevi ante exilium tempore conflatum fuisse. Hanc sententiam haud paucis probatam M. Car. Godef. Kelle, pastor quidam in Lusatia in suo opere: Die heiligen Schriften in ihrer Urgestalt, deutsch und mit neuen Anmerkungen, cujus 4. tomus a. 1821. comparuit, ita secutus est, ut ea, e quibus textus Pentateuchi originarius constiterit, ab illis, quae postea inserta sint, separaret, quem agendi modum etiam in prima

operis sui parte, in qua scripta Salomonica tractat, observavit; — Christ. Theophilum Kühnöl, ex cujus operibus exegeticis notatu dignissimum est commentarius in libros n. t. historicos, ab a. 1807. — 18. in 4 voluminibus in lucem emissus, et magnam multorum approbationem, praesertim propter soliditatem interpretationis grammaticae consecutus; — Eichhornium, qui in opere: Die Hebraeischen Propheten. 3 tom. 1816. — 19. singula vaticinia ex omnibus prophetis secundum ordinem chronologicum disposuit, singulisque prolegomena praemisit, in quibus adjuncta historica, quae prophetam ad vaticinandum impulerint, exponuntur; — J. Fridericum Kleuker, qui, postquam jam ab anno 1778. scripta Salomonica neologorum in morem illustrasset, a. 1820. Schlesvici edidit: Biblische Sympathieen oder erläuternde Bemerkungen und Betrachtungen über die Berichte der Evangelisten von Jesu Lehren und Thaten, qui liber continet 39 dissertationes in 15 priora Matthaei capita, in quibus auctor partim exegetice, partim polemice versatur.

§. 968. Inter Calvinianos.

Calviniani hac periodo in studio biblico universo minus praestiterunt, quam Lutherani, non quod scientias ad illud pertinentes neglexissent, sed quod scriptis exaratis eas minus excoluerunt. Atque inter eos ipsos hic loci nonnisi Batavi, Helvetii, et Germani in censum veniunt; ex Gallis enim, quorum ecclesia destructa erat, Scotis et Hungaris fere nemo innotuit, qui opus aliquod majoris momenti elaborasset. Caeterum Calviniani praesertim in Germannia et Helvetia novas Lutheranorum sententias de auctoritate et authentia librorum biblicorum in universum adoptarunt, iisdem principiis hermeneuticis assenserunt, similesque interpretationes rationalisticas protulerunt, id quod magnam partem etiam de Anglicanis valet, inter quos naturalismus primum grassari coeperat.

ıod jam singulas disciplinas biblicas, nominatim stu-
ım linguarum Orientalium attinet, Albertus Schul-
ıs, earumdem linguarum et antiquitatum Hebraica-
m Lugduni Batavorum professor, nec non collegii
eologici ibidem rector († 1750.) illud quam maxime
omovit, et cognitionem linguae Hebraicae per diligen-
simam collationem cum caeteris dialectis, praesertim
abica, cujus peritissimus erat, ampliorem firmiorem-
e reddidit, postquam Jacobus Gousset, Hugonotta
aesensis, qui patria extorris Groningae professor
eologiae et linguae Graecae constitutus fuerat († 1704)
commentariis suis linguae Hebraicae a. 1702. editis,
nc linguam ex se ipsa, seu ex solis libris v. t. explicare
duisset, et hunc in finem varia artificia, varia com-
enta, meris conjecturis innixa adhibuisset, multosque
assensum sibi praebendum seduxisset. Hanc metho-
m Schultensius conatibus scriptisque suis maximam
rtem eliminavit, inter quae praecipuum illud est, quod
1723. in 2 tomis 4. sub titulo edidit: »origines Hebraeae
ve Hebraeae linguae antiquissima natura et indoles ex
abiae penetralibus revocata,« qui liber simul, frequentis-
nis exemplis cognationis inter voces Hebraeas et Arabi-
propositis, uberrima maximi momenti symbola ad lexi-
hebraica subministravit. Lexica ipsa, talibus symbolis
ıendata et aucta procurarunt: Joannes Simonis hi-
riae ecclesiasticae et archaeologiae in gymnasio Ha-
ısi professor († 1768.) Scheidius et Groenewood, qui
1803. Ultrajecti lexicum Hebraicum et Chaldaicum
bis vulgarunt. Schultensius, Simonis, et Schroede-
, theologus Groningensis, etiam grammaticam He-
ıicam editis scriptis illustrarunt, emendarunt, auxe-
ıt. Circa linguam Graecam n. t. philologi Calviniani
ıesertim in Batavia usque in alterum saeculi 18. di-
dium de eo dissidebant, utrum pura, an Hebraismis
xta sit, donec tandem posterior sententia praevale-
. Editiones textus originalis v. t. procurarunt Eber-
dus van der Hooght, praedicator in Batavia a. 1705.,

et Joannes Simonis a. 1751. Textum Graecum n. t. Gerardus de Trajecto ad Mosam, syndicus Bremensis a. 1711. edidit, suaeque editioni, quae aliquamdiu in magna auctoritate erat, 43 canones criticos praemisit, quibus praecipue variarum lectionum multitudinem, qua Millius Anglus editionem suam instruxerat, limitare tentavit. Longe majoris momenti pro re critica erat editio, quam J. Jacobus Wetstein, prius Basileae, postea Amstelodami apud Arminianos theologiae professor, († 1754.) procuravit. Is jam in prolegomenis, quibus editionem suam annuntiavit, quam plurimas observationes criticas circa codices manuscriptos, antiquas versiones, allegata patrum, aliaque subsidia critica textus n. t., partim ex antecessoribus suis haustas, partim a se ipso factas communicavit. In ipsa autem editione, quae Amstelodami annis 1751. et 52. in 2 tomis fol. prodiit, et textum tertiae editionis Stephaneae exhibuit, majorem quam Millius et Bengelius numerum variantium suppeditavit, usus primus versione Syra Philoxeniana, codices manuscriptos accurate dijudicavit, lectiones singulares examinavit, notasque satis prolixas et eruditas adjecit, ad explicationem textus non parum conferentes. Sed et antiquas quasdam versiones, quae et rei criticae, et interpretationi textus originalis inserviunt, theologi Calviniani ediderunt, nominatim Alexandrinam, quam praeter alios Lambertus Bos, linguae Graecae apud Franequeranos professor († 1717.) secundum codicem Vaticanum, Romae impressum, addita magna lectionum varietate, utplurimum e codice Alexandrino hausta, additis etiam reliquiis versionum hexaplarium, typis excudi curavit; porro Syriacam Pheschito novi testamenti, quam Joannes Leusden, et Carolus Schaaf, linguarum Orientalium apud Batavos Lugdunenses professor († 1739.) typis mandarunt, omnesque lectiones, in prioribus editionibus diversas, huic suae, a typi elegantia et rectitudine

commendatae, adjecerunt, cujus usum Schaafius edito n. t. lexico Syro-Latino promovere studuit.

§. 969. Continuatio.

Historiam et archaeologiam biblicam scriptis illustrare conati sunt: J. Jacobus Heſs, diaconus Tigurinus, qui edidit ab anno 1772. Lebensgeschichte Jesu, 2 tom., in qua sermones magistri divini circumscribuntur; ab anno 1775. Geschichte und Schriften der Apostel, 2 tom.; ab anno 1776. — 88. Geschichte der Israeliten vor den Zeiten Jesu. 12 tom.; — Adrianus Reland, professor linguarum Orientalium et antiquitatum ecclesiasticarum apud Ultrajectenses († 1718.), qui descriptionem Palaestinae et enchiridion antiquitatum Hebraicarum exaravit; — Conradus Iken, qui antiquitates Hebraicas, secundum triplicem Judaeorum statum, ecclesiasticum, politicum et oeconomicum delineatas a. 1732. Bremae edidit; — Simonis, cujus Vorlesungen über die jüdischen Alterthümer nach Relands Antiquitäten a. 1769. Halae comparuerunt; — Guil. Albertus Bachiene, qui sermone Batavo pristinae et modernae Palaestinae statum historicum et geographicum descripsit; — Ysbrandus van Hamelsveldt, qui eodem sermone geographiam biblicam elucubratus est, cujus versio Germannica ab anno 1793. — 96. in 3 tom. comparuit. Quod attinet introductionem in libros sacros, illa, quam Lanfantius suae n. t. versioni praemisit, inferius indicabitur. Anno demum 1817. Guil. Martinus Leberecht de Wette, theologiae tunc apud Berolinenses professor, singulare hujus generis opus sub titulo: Lehrbuch der historisch-kritischen Einleitung in die kanonischen und apocryphischen Bücher des alten Testamentes edidit, in quo auctor cum testimonia minoris aestimaret, et argumentis ac criteriis internis plus aequo deferret, plerorumque librorum authentiam evertit. Huc etiam referri potest Adolphi Krummacher, tunc theologiae apud Teutoburgenses professoris liber

über den Geist und die Form der evangelischen Geschichte in historischer und ästhetischer Hinsicht, a. 1805. editus. Nec multi inter Calvinianos extiterunt, qui institutiones hermeneuticas composuissent. Attamen nonnulli eorum, vel potius Arminianorum, in principiis liberioribus et rationalismo faventibus, Lutheranis praeluserunt. Sic Wetstenius in libellis ad crisin et interpretationem n. t. pertinentibus, quos Semlerus edidit, Clerico antecessore suo, qui libros sacros non secus ac alios libros tractandos, et mores, ritus ac opiniones aetatis sacrorum scriptorum respicienda esse praeceperat, ulterius progressus, Jesum et apostolos erroribus auditorum suorum se accommodasse contendit, atque omnia, imprimis ea, quae modernis systematibus theologicis et logicis adversentur, ex moribus, ritibus, opinionibus, ex tota denique cogitandi et sentiendi ratione primorum auditorum eorumque adjunctis externis intelligenda et explicanda esse docuit. Alphonsus Turretinus in tractatu bipartito de scripturae interpretandae methodo, ipso inscio a. 1728. typis impresso, primo principia hermeneutica Catholicorum, Quaekerorum, Coccejanorum, et opiniones Gussetii de lingua Hebraica impugnavit, deinde positivas regulas pro interpretanda s. scriptura, non tantum generales sed etiam speciales pro quovis genere librorum et locorum, historicorum, propheticorum, dogmaticorum et moralium tradidit, analogiam fidei tanquam regulam hermeneuticam non admisit, sed potius interpretationem historicam inculcavit. Paulus van Hemert, professor philosophiae in gymnasio Arminianorum Amstelodamensi, in tractatu publice coronato accommodationes Jesu et apostolorum ad vulgi praejudicia annis elapsi saeculi nonagesimis defendit. J. Henricus Pareau, litterarum Orientaliam in academia Ultrajectensi professor in institutione interpretis v. t., a. 1822. edita, primo de interpretatione hujus testamenti generatim, deinde speciatim de interpretatione librorum

rum historicorum, poeticorum, propheticorum et philosophicorum secundum principia, sensui Christiano non inimica tractavit, et multa ex introductione generali adjecit. Caeterum in eadem Batavia usque ad nostra tempora perdurarunt, qui principio hermeneutico Cocceji: verba s. scripturae in singulis locis omnia significare, quaecunque significare possunt, et regulis ex eo deductis insisterent, ubique in v. f. Christum ejusque ecclesiam detegerent, ideoque sic dictam theologiam propheticam colerent, sub qua intelligebant complexum disquisitionum et regularum, prophetias, praesertim Messajanas, earumque in n. f. eventum detegendi, quas disquisitiones et regulas nonnulli in systema redegerunt, nominatim Nicolaus Gürtler theologiae apud Franequeranos professor († 1711.) qui a. 1702. ejusmodi systema typis communicavit.

§. 970. Continuatio.

Versiones et commentaria bibliorum, quae labente hac periodo inter Calvinianos comparuerunt, secundum diversa principia, frequenter secundum liberiora, confecta sunt. Versio Gallica, quam duo praedicatores Berolinenses ex Hugonottis, Jacobus Lenfant († 1728.) et Isaacus Beausobre († 1738.) juncta opera elaborarunt, et a. 1718. in lucem emiserunt, solum n. t. exhibet, et a dexteritate exegetica ac dictionis elegantia laudatur. Instructa est multis, sed brevioribus notis, in quibus sensus litteralis illustratur. Singulis libris brevis praefatio, omnibus autem epitome historiae evangelicae et apostolicae praefixa est, quam praecedit praefatio generalis, seu introductio ad lectionem n. t., a Lanfantio scripta, in qua permulta praecognita geographica, archaeologica, et historica communicantur. Alia versio Gallica utriusque testamenti, a Carolo Le Cene, praedicatore Hugonotta, a. 1703. Londini mortuo confecta, sed anno demum 1741. Amstelodami in lucem emissa, potius paraphrasis et interpretatio erat, opinionibus Socinianis con-

formata, quam ob rem a magistratu suppressa est. Versiones Germannicae nonnisi n. t. complectuntur. Altera est paraphrasis, a Simone Grynaeo, praedicatore Basileensi confecta, et annis 1774. et 75. in 2 tomis publicata, at justo prolixior, et quae scriptoribus sacris saepe inepto loco cogitationes alienos supponit. Altera, quam J. Jacobus Stolz, praedicator Bremensis annis 1781. et 82. in 2 tomis edidit, ut optima omnium, quotquot inter Protestantes Germannicos comparuerunt, laudatur. Ab anno 1796. — 99. auctor sex fasciculos annotationum, n. t. secundum ejus versione[illegible] illustrantium communicavit. Idem recentissimo tempore aliam ejusdem testamenti versionem secundum textum Griesbachianum exaravit, quae a. 1820. Lipsiae comparuit, et magis intra limites propriae translationis versatur, cum prior potius interpretatio fuerit. Versio Batavica recentissimo tempore a I. H. van der Palm confecta est, cujus usque ad annum 1819. duo tomi, historicos v. f. libros continentes, Lugduni Batavorum comparuere. Qui tanquam exegetae inter Calvinianos inclaruerunt, fere omnes ex Batavis erant. Nonnulli eorum singulis tantum locis aut materiis operam suam impenderunt, velut Lambertus Bos, Joannes Alberti, Elias Palaeret, qui dictiones n. t. e Graecis scriptoribus profanis illustrare conati sunt, Albertus Jacobus Arnoldi, theologiae in universitate Marburgensi professor, qui a. 1781. Anmerkungen über die Sprüche Salomons, et a. 1796. observationes ad quaedam loca Isaiae edidit. Alii commentarios in integros libros biblicos exararunt, velut Campegius Vitringa, linguarum Orientalium, historiae ecclesiasticae et theologiae Leowardi in Frisia occidentali, ubi natus erat, professor. († 1722.) Inter ejus opera notatu digniora sunt, observationum sacrarum libri sex in duobus tomis, in quibus disquisitiones historicae, criticae, exegeticae continentur; commentarius in Isaiam, praecipuum inter ejus opera, quod ab anno 1714. — 20. in 2 tomis fol. prodiit, et in quo omnia, etiam res minutae, et frequenter singula verba,

critice, philologice et historice, haud raro etiam ex profanis auctoribus diligentissime illustrantur, aliorum interpretationes dijudicantur, vaticinia accurate exponuntur, eorumque eventus ostenditur; — Frid. Adolphus Lampe, professor theologiae et praedicator Bremensis, († 1729.) qui in suo commentario in evangelium Joannis, olim inter suos admodum laudato, secundum principia Cocceji, quae ipse et alii multi in interpretando sequebantur, innumeras interpretationes mysticas protulit; — Joanes van der Mark, theologiae et historiae ecclesiasticae apud Lugdunenses Batavos professor, († 1731.) qui praeter exercitationes exegeticas ad multa loca selecta utriusque testamenti, commentarium in omnes prophetas minores conscripsit, multas quidem illustrationes ex scriptoribus Orientalibus, e versione Alexandrina, e patribus ecclesiasticis, e Rabbinis et interpretibus recentioribus continentem, sed admodum prolixum; — Jacobus Elsner, praedicator Berolinensis, auctor commentarii in Matthaeum, et observationum sacrarum in n. f. libros, quae ab anno 1720. — 28. prodierunt, et olim caeteris omnibus hujus generis praeferebantur; — Schultensius, qui in suis commentariis in librum Job et in proverbia Salomonis dictiones Hebraeas praecipue ex dialectis cognatis, maxime ex Arabica illustravit; — Hermannus Venema professor theologiae apud Franequeranos, auctor commentarii in psalmos, a. 1762. in 6 tomis 4. editi, in quo multa loca obscuriora dextere explicantur; — Hermannus Müntighe, professor theologiae apud Hardervicenses, qui annis elapsi saeculi nonagesimis psalmos et proverbia Salomonis sermone Batavo critice et exegetice pertractavit.

§. 971. Inter Anglicanos.

Restat, ut potiora opera, s. scripturam concernentia, ab Anglicanis hac periodo elaborata, commemorentur. Itaque Benjaminus Kennicott, professor theolo-

giae in universitate Oxoniensi († 1783.) novam bibliorum Hebraicorum editionem criticam procuravit. In hac, quae annis 1766. et 80. in 2 tomis fol. comparuit, textus editionis van der Hoogthianae exhibitus, loca Pentateuchi Samaritani ab Hebraeo diversa, huic apposita, et in margine inferiori maximus numerus variarum lectionum allatus est, collectus ex pluribus centenis codicibus manuscriptis, quos editor in omnibus fere terris Europae propositis praemiis conferri curaverat. Sed vituperabatur, quod codices, e quibus variantes desumtae erant, non [illegible] descripserit, quod solas varietates consonantium annuerit, quod etiam ex his plures graviores omiserit, et e contra aperta menda graphica inter variantes retulerit. Joannes Mill, pariter professor theologiae in universitate Oxoniensi († 1707.) eodem, quo mortuus est anno textum Graecum n. t. e 3. editione Stephanaea desumtum cum apparatu et laboribus criticis in uno tomo in folio edidit. Scilicet ex codicibus manuscriptis quam plurimis, a se collatis, ex aliorum excerptis, ex allegatis patrum, ex antiquis versionibus et editionibus fere 30,000 variantium collegit, gravioresque etiam dijudicavit. In prolegomenis autem textui praemissis codices a se collatos accurate descripsit, eorumque ac caeterorum fontium a se adhibitorum valorem definivit. Praeterea genealogiam editionum Graeci textus construere tentavit, ejusque et totius canonis historiam perlustravit. Sed nec ipse vituperatoribus caruit, quos inter Daniel Whitby, theologus Sarisberiensis ejus apparatum incertum, inutilem, et axiopistiae s. scripturae periculosum pronuntiavit. Ernestus Grabe, Borussus Regiomontanus, ad Episcopales transgressus, et presbyter apud eos ordinatus († 1711.) ab anno 1707. codicem Alexandrinum versionis Alexandrinae cum variantibus, per signa critica dijudicatis, et cum prolegomenis typis imprimi curavit. quae coepta cum ipse morte praeventus non potuisset, alii ad finem perduxerunt. Recentiori tempore Rober-

tus Holmes, decanus Wintonensis aliam, sed longe ampliorem ejusdem versionis editionem procurare coepit, quae magnum numerum graviorum variantium, ex manuscriptis codicibus, hactenus nondum adhibitis, ex prioribus editionibus, ex aliis antiquis versionibus, et ex allegatis patrum collectum exhibet. Hujus editionis hucusque duo tomi in folio, primus, qui Pentateuchum, ab anno 1798. — 1804., alter, qui reliquos libros historicos, exceptis Esra, Nehemia et Esther continet, a. 1818. comparuit. Josephus White primus a. 1778. quatuor evangelia versionis Syriacae Philoxenianae typis communicavit. Daniel Guilford Wait, parochus Blagdonensis a. 1823. antiquitates Orientales et classicas, illustrandis ss. litteris accommodatas edidit. Humfredus Hody, professor linguae Graecae et archidiaconus Oxoniensis exaravit quatuor libros de bibliorum textibus originalibus, versionibus Graecis et Vulgata, a. 1705. in lucem emissos. David Collier in libro quodam introductorio ad s. scripturam a se scripto, regulas hermeneuticas exemplis illustratas tradidit, originem divinam librorum biblicorum comprobavit, multas notitias geographicas et historicas, intelligendis libris sacris inservientes communicavit, et in argumentum ac auctorem singulorum librorum inquisivit. Eduardus Harwood, annis 1767. et 71. novam introductionem ad n. t. 2 tom. 8. publicavit, minus eruditis accommodatam, et a materiarum copia potissimum laudatam. Idem a. 1768. n. t. in linguam Anglicanam translatum edidit. Haec versio, quam auctor ipse liberalem inscripsit, facilis quidem, perspicua et elegans est, sed sermone nimis moderno et per paraphrases ac interpretationes passim inspersas sententiis rationalisticis conformata.

§. 972. Continuatio.

Commentarii in libros sacros paucissimi ab Episcopalibus exarati sunt, eo frequentiores autem paraphrases, quales jam posteriori saeculi 17. tempore edi coe-

perant. Hac periodo mox a. 1701. Samuel Clarke paraphrasin quatuor evangeliorum in lucem emisit, quam nonnulli sequentibus omnibus praeferendam censuerunt. Anno 1705. comparuit paraphrasis in epistolas ad Galatas, Corinthios, Romanos et Ephesios, succincta, et brevibus annotationibus instructa. Ejus auctor erat celebris philosophus, Joannes Locke, tum jam mortuus, qui, cum necessaria scientia philologica destitutus esset, sensum apostoli multis in locis nonnisi conjiciendo assequi studuit. Opus ab eo coeptum secundum eandem methodum Jacobus Peirce, praedicator Nonconformium Exonianorum († 1726.), cui eruditio philologica non deerat, edita paraphrasi, et annotationibus in epistolas ad Colossenses, Philippenses et Hebraeos continuavit. Reliquarum epistolarum, tam Paulinarum, quam Catholicarum paraphrasin una cum annotationibus, prolegomenis et dissertationibus edidit Georgius Benson praedicator Presbyterianorum Londinensium, qui etiam expositionem actuum apostolorum, sub titulo: historia primae plantationis rei Christianae editam elucubratus est. Moses Lowmann, theologus Anglicanus etiam Apocalypsin paraphrasi exposuit, a. 1737. edita. Philippus Doddridge, praedicator Presbyterianus Nortantoniae († 1751.) versionem et paraphrasin omnium librorum n. t. in usum potissimum laicorum rudiorum, et hinc prolixiorem elaboravit, atque ab anno 1738. cum multis annotationibus, variis tractatibus, et harmonica expositione historiae evangelicae edidit. Praeter hos paraphrastas duo adhuc laboribus exegeticis inclaruerunt. Alter horum est A. V. Devoeux, praedicator militaris, natione Gallus, ex Jansenistis ad Episcopales transgressus. Is commentarium in Ecclesiasten elaboravit, in quo consilium auctoris hujus libri evolvitur, doctrina ejus defenditur, methodus explicatur, argumentum totius libri delineatur, ejusdem versio cum analytica paraphrasi collaterali exhibetur, et duo libri annotationum subjunguntur, in quorum priori variae

lectiones, ad definiendas genuinas examinantur, posteriori figurae et dictiones difficiliores explicantur. Alter duorum illorum est Robertus Lowth, prius professor poeseos apud Oxonienses, postea episcopus Londinensis († 1787.) Is a. 1753. praelectiones academicas de sacra poesi Hebraeorum, Oxonii habitas, anno autem 1779. novam translationem Isaiae cum dissertatione praeliminari et notis criticis, philologicis, et explanatoriis vulgavit, in quibus vero potius proximi conceptus prophetae explicantur, et gravitas ac elegantia cogitationum dictionumque ostenditur, quam ope philologiae et historiae sensus prophetae indagatur. Denique ab anno 1810. Adamus Clarke universa biblia tam veteris quam novi testamenti cum commentario, admodum erudito, et notis criticis in fasciculis edit, quorum, qui hactenus comparuerunt, Pentateuchum, Josuam, evangelia, actus apostolorum et epistolas Paulinas continent.

§. 973. Status theologiae dogmaticae. Inter Catholicos.

Catholici theologiam scholasticam purgare hac periodo pergebant. Simul decreverunt et tandem evanuerunt sectae theologicae Scotistarum, Thomistarum, et Molinistarum, earumque de immaculata B. Mariae conceptione, de gratiae divinae efficacia, de ejus cum libero arbitrio concordia, de scientia media litigationes. Qui vero relicta philosophia Aristotelico - scholastica theologiam positivam colerent, seu fidei dogmata ex genuinis s. scripturae et traditionis fontibus potissimum probarent, priori elapsi saeculi dimidio pauci adhuc erant. At altera ejus parte theologia ista in pluribus terris Catholicis, speciatim in Germannia praevaluit, et universa tum quoad materiam, tum quoad formam, magnam mutationem subiit. Scilicet doctrina morum ab ea separabatur, ita ut in dogmaticam seu theoreticam solam abiret. Impetus, quos hostes religionis revelatae in hanc frequenter faciebant, effecerunt, ut fu-

se et accurate de revelatione, ejus necessitate, possibilitate, criteriis, de miraculis et vaticiniis tractaretur. Haec una cum quaestionibus de religione, theologia, dogmatica, cum dissertationibus de fontibus religionis Christianae, s. scriptura et traditione, ac de supremo fidei controversiarum judice, ecclesia, tanquam principia et fundamenta, nomine dogmaticae generalis, speciali dogmatum expositioni praemitti consueverunt. Materiae tractandae in meliorem ordinem, mutuumque inter se nexum redactae, atque ita praestantiora systemata dogmatica condi [illegible] Materiae minus utiles et quaestiones curiosae rejectae, e contra historia dogmatum haud raro apposita, et usus eorum practicus ostensus. Argumenta aptiora et solidiora selecta, rationibus e s. scriptura et traditione ac ecclesiae auctoritate petitis, et frequenter exegetice vel historice expositis, plerumque, ubi fieri poterat, rationes philosophicae, aut ratiocinia, e natura rei deducta addita, simulque objectiones, quae fieri poterant, aut reapse factae fuerant, solutae, nonnunquam etiam sententiae adversariorum refutatae, atque eatenus polemica vel potius apologetica cum dogmatica conjuncta. Forma disserendi syllogistica passim seposita, sermo communi similior adhibitus. Denique etiam elocutioni et dictioni major cura impensa. Nonnulli ex theologis Catholicis in Germannia recentiori tempore scita novarum scholarum philosophicarum, Wolfianae, Cantianae, Schellingianae ad doctrinas Catholicas, quantum fieri poterat, illustrandas, confirmandas, aut propugnandas adhibuerunt. Alii vero ex lectione librorum Protestanticorum, in rationalismum tendentium, quoddam religionem reformandi studium attraxerunt, ac pro eo in variis doctrinis a sensu ecclesiae Catholicae recesserunt. Sed non defuerunt, qui eis se opponerent, eos neologorum nomine compellarent, censura perstringerent, et antiquam doctrinam vindicarent.

§. 974. Theologi dogmatici. Galli, Itali.

Caeterum ingens erat numerus scriptorum dogmaticorum, quae labente hac periodo a theologis Catholicis in lucem emissa sunt, si nempe particulares quoque ac speciales materias pertractantia respiciuntur. Sed et illorum, in quibus dogmata universa exponebantur, tanta prodiit multitudo, ut nonnisi quaedam notatu digniora adducere possimus. Talia autem sunt: Nicolai L'Herminier summa theologiae ad usum scholae accommodata. IV. voll. 8. Parisiis 1701.; — Pauli Gabrielis Antoine Jesuitae Galli († 1743.) theologia universa speculativa et dogmatica. VII tomi. 12. Parisiis a. 1713. — Honorati Tournely, doctoris Sorbonnici, regiique theologiae Parisiis professoris († 1729.) praelectiones theologicae. XVI tomi. 8. Parisiis. 1726. In eis tractatur de Deo et divinis attributis, de SS. Trinitate, de incarnatione Verbi divini, de ecclesia Christiana, de gratia Christi, de justitia et jure et de contractibus. Hoc opus, quod theologiam scholasticam magis purgatam, multas disquisitiones exegeticas et notitias historicas exhibebat, quamquam ei quoad systema et plenitudinem non parum deesset, frequentem tamen usum etiam in scholis Germannicis posteriori adhuc elapsi saeculi dimidio nactum, a pluribus tamen errorum et malae fidei accusatum est; — Renati Billuart, ordinis Praedicatorum summa S. Thomae, hodiernis academiarum moribus accommodata, sive cursus theologiae universalis juxta mentem, et in quantum licuit, juxta ordinem et litteram D. Thomae in sua summa. III. voll. fol. Wirceburgi 1758. — Josephi Mariae de Thomasiis, Siculi, ordinis Theatinorum, postea cardinalis († 1713.) institutiones theologiae antiquorum patrum. III tomi. 8. Romae 1709. — Vincentii Ludovici Gotti, ordinis Praedicatorum, theologiae in universitate Bononiensi professoris, postea cardinalis († 1742.) theologia scholastico-dogmatica. III tomi. fol. Venetiis. 1750. — Joan-

nis Laurentii Berti theologia historico-dogmatico-scholastica, seu libri 37 de theologicis disciplinis. VIII tomi. 8. Romae. 1739. In hoc opere, magna cum moderatione scripto, auctor, prout titulus innuit, multas res historicas de dogmatis attulit, caeterum systema S. Augustini de gratia et praedestinatione stricte secutus, a Molinistis errorum Baji et Jansenii accusatus est; — Antonii Genuensis elementa universae theologiae Christianae. II tomi. 8. Venetiis. 1771. — Petri Mariae Gazzanigae, ordinis Praedicatorum, theologiae in universitate Vindobonensi professoris praelectiones theologicae. V tomi. 8. Viennae 1775. — Institutiones theologicae ad Subalpinos, auctoribus theologiae in universitate Taurinensi professoribus. II tomi. 8. Taurini. 1793. Hoc opus in 4 partes distributum est, in quarum prima agitur de theologia in universum, de religione naturali et revelata; in altera de fontibus religionis revelatae cognoscendae, s. scriptura scilicet et traditione; in tertia de ecclesia, et in quarta de theologiae accessionibus, sub quo titulo ostenditur, quomodo theologus philosophiam, physicam, historiam naturalem, profanam, artes liberales in rem suam convertere possit. Ab hoc opere absunt vanitates scholasticorum, non ei desunt conceptus rectiores et sententiae liberaliores.

§. 975. Germanni.

Inter potiora opera dogmatica, a theologis Catholicis in Germannia et aliis quibusdam terris composita pertinent: Joannis Opstraet, theologi Lovaniensis († 1720.) institutiones theologicae ad tyrones. III tomi. 8. Leodii. 1710. — Eusebii Amort, canonici regularis Pollingae in Bavaria superiori, et philosophiae ac theologiae inter suos professoris († 1775.) theologia eclectica. XXIV tomi. 8. Augustae Vindel. 1752. — Dominici Schramm compendium theologiae scholasticae dogmaticae et moralis, methodo scientifica propositae. III tomi. 8. Augustae Vindel. 17.8. — Hermanni Scholli-

ner praelectiones theologicae. XII tomi. 8. Augustae Vindel. 1769. — Josephi Widmann institutiones universae theologiae dogmatico-polemico-speculativae et moralis. VI tomi. 8. Augustae Vindel. 1775. — Benedicti Stattler, Jesuitae Bavarici († 1797.) demonstratio evangelica, seu religionis a Jesu Christo revelatae certitudo demonstrata. Augustae Vind. 1771. Ejusdem demonstratio Catholica. (religionis Catholicae) Pappenhemii. 1775. Ejusdem theologia Christiana theoretica. VI tomi. 8. Ingolstadii. 1776. Ejusdem allgemeine katholisch-christliche Religionslehre. II tomi. 8. Monachii. 1793. — Stephani Wiest demonstratio religionis Christianae contra aetatis nostrae incredulolos, seu institutiones theologicae. VI tomi. 8. Ingolstadii. 1782. Ejusdem institutiones theologiae dogmaticae. II tomi. Ingolstadii. 1791. — Francisci Gmeiner theologia dogmatica in systema redacta et methodo scientifica proposita. II tomi. Graecii. 1785. — Simperti Schwarzhueber practisch-katholisches Religionshandbuch für nachdenkende Christen. IV tomi. Salisburgi. 1785. Idem opus ab ipso auctore in compendium redactum ibidem in 2 tomis a. 1790. prodiit. — Bernardi Bauer, Cistertiensis Ebracensis theologia universa dogmatica, historica, critica, genio puriori accommodata. IV tomi. Wirceburgi 1786. — Patricii Zimmer, theologiae in universitate Landshutensi professoris († 1820.) veritas religionis Christianae, seu theologia Christiana dogmatica. II tomi. Augustae Vind. 1789. Ejusdem theologia Christiana specialis et theoretica. IV tomi. Landishuti 1802. Ejusdem philosophische Religionslehre und Lehre von der Idee des Absoluten. Ibidem 1805. — Engelberti Klüpfel, ordinis eremitarum S. Augustini, theologiae apud Friburgenses in Brisgovia professoris institutiones theologiae dogmaticae. II tomi. Vindobonae. 1789. Hujus operis partem priorem, prolegomena seu dogmaticam generalem continentem, Gregorius Thomas Ziegler, tunc dogmatices in universitate Viennensi professor, recentioribus indigentiis accom-

modaturus fere penitus transformavit, doctrina de ecclesia fidei magistra et judice imprimis copiose exposita, et una cum posteriori, in paucis mutata, a. 1821. Viennae typis exprimi curavit. — Ildephonsi Schwarz Handbuch der christlichen Religion. III tomi. Bambergae et Wirceburgi. 1797. F. U. Peutinger Religion, Offenbarung und Kirche in der reinen Vernunft aufgesucht. Salisburgi. 1795. — Bernardi Galurae, olim theologiae apud Friburgenses in Brisgovia professoris die neueste Theologie des Christenthums, wie solches von Ewigkeit im Sinne Gottes war, und in der Zeit aus dem Munde Gottes gekommen ist. V tomi. Augustae Vindel. 1800. — J. Michaelis Sailer, theologiae in universitate Landshutensi professoris Grundlehren der Religion, als Leitfaden zu seinen Vorlesungen an die akademischen Jünglinge aus allen Facultäten. Monachii. 1805. — Georgii Fejer: dogmatices in universitate Pesthinensi professoris institutiones theologiae dogmaticae. Tomi XIII. Viennae 1810. — Friderici Brenner, theologiae in lyceo Bambergensi professoris freye Darstellung der Theologie in der Idee des Himmelreichs, oder neueste katholische Dogmatik. II tomi. Bambergae et Wirceburgi. 1813. — Bonifacii Martini Schnappinger doctrina dogmatum ecclesiae Christiano-Catholicae ad usum academicum. II tomi. Augustae Vindel. 1816. — Ignatii Thanner, canonici collegiati Mattseensis, philosophiae et theologiae apud Salisburgenses professoris wissenschaftliche Aphorismen der katholischen Dogmatik. Salisburgi. 1816., in quo libro theologia dogmatica secundum principia et methodum constructivam philosophiae Schellingianae exponitur. — Mariani Dobmayer, Benedictini Weissenaviensis in Franconia, philosophiae ac theologiae quondam professoris, systema theologiae Catholicae, opus posthumum, cura et studio Theodori Pantaleonis Senestrey, parochi prope Monachium. VII tomi. Solisbaci. 1807. — 19. Illud Emeramus Salomon,

Benedictinus, theologiae dogmaticae in lyceo Ratisbonensi professor, in compendium duorum tomorum redegit, a. 1823. Solisbaci editum. — Fr. Leopoldi baronis de Liebermann theologiae professoris et canonici Moguntini institutiones theologicae. Hucusque III tomi. Moguntiae ab anno 1819. — Georgii Hermes, theologiae tunc in universitate Monasteriensi professoris Einleitung in die christkatholische Theologie. Erster Theil, philosophische Einleitung, quae continet quaestiones de fonte veritatis humanae, de realitate mundi interni et externi, de Dei existentia, de possibilitate et conditionibus generalibus revelationis. Monasterii. 1819. — Adami Josephi Onymus, theologiae in universitate Herbipolitana professoris, die Glaubenslehre der katholischen Kirche, praktisch vorgetragen. In drey Abtheilungen. Solisbaci. 1820 — 23. Ejusdem die Principien der Glaubenslehre der katholischen Kirche. Ibid. 1823. qui liber continet prolegomena generalia in specialem illam dogmaticam. — Danielis Tobenz institutiones theologiae dogmaticae. 6 tom. Viennae. 1820. — Francisci Josephi Seber, dogmaticae et moralis Catholicae in universitate Bonensi professoris: Ueber Theologie, eine allgemeine Grundlage der christlichen Theologie. Coloniae. 1823. in quo libro de religione in universum, de doctrina religionis, de theologia, de Dei existentia, essentia et attributis, et de revelatione divina tractatur, atque de his omnibus summa, quae ex disquisitionibus philosophicis nostri praesertim temporis prodierunt, modo cultiorum captui accommodato proponuntur.

§. 976. Inter Lutheranos.

Mutationes, quas theologia dogmatica inter Lutheranos labente hac periodo experta est, non tantum ejus formam aut materias secundarias sicut apud Catholicos, sed ipsa etiam dogmata tangebant. Qua in re duae periodi distingui possunt, quarum prior usque

ad annum sexagesimum elapsi saeculi pertingit. Jam in ista multi ab orthodoxa doctrina Lutherana, prout in libris symbolicis continetur, diversimode deflexerunt, erantque paucissimi, qui eam in omnibus ejus partibus et definitionibus integram proponerent, velut J. W. Jaeger, theologus Tubingensis, David Hollaz, pastor Pomeranus, J. F. Burg praedicator Wratislaviensis. Primi, qui hac periodo ab orthodoxo Lutheranorum systemate aliquantulum deflectebant, erant Speneriani seu Pietistae. Hi enim libros symbolicos nec absolute necessarios, nec errorum omnium expertes habebant, et a quibusdam eorum definitionibus, speciatim peccatorem fide sola justificari, opera bona ad salutem non esse necessaria aperte dissentiebant. Iidem amota omni philosophia, rejectisque terminis scholasticis, atque etiam reliqua eruditione quam parcissime adhibita, theologiam dogmaticam e sola s. scriptura, frequenter ipsis dictionibus biblicis, proponebant, et ubique practicum ejus usum ostendebant. Hac methodo libros dogmaticos composuerunt Joach. Justus Breithaupt, theologiae professor Halensis, J. Anast. Freylingshausen, praedicator Halensis, et Joach. Lange, qui caeteros Pietistas eruditione et methodo scientifica superabat. Quemadmodum autem hic et alii quoque Pietistarum progressu temporis eruditioni ipsique philosophiae in theologia plus deferebant, ita vicissim complures orthodoxorum varia ex principiis Spenerianis approbabant, speciatim theologiam simpliciorem reddendam, doctrinas essentiales ab accidentalibus in systemate orthodoxo secernendas, et usum practicum dogmatum exponendum esse. Ita exorti sunt inter Lutheranos theologi dogmatici, qui media quasi via inter rigidiores orthodoxos et Pietistas incederent, imo his fere magis ac illis appropinquarent. Inter hos pertinent Pfaffius; Buddeus, qui in suis institutionibus theologiae dogmaticae, a. 1723. editis, terminos scholasticos, quantum fieri poterat, evitavit, dogmata ubique ad mores

applicuit, et historiam dogmatum uberemque litteraturam theologicam adjunxit; Weifsmann, qui in suis institutionibus theologiae exegetico-dogmaticae, a. 1739. editis, praeprimis argumenta biblica singulorum dogmatum diligenter exposuit, et ex eis dogmata ipsa deduxit, caeterum Spenerianis propius quam orthodoxis accessit. Interea Christianus Wolf, philosophiae in universitate Halensi professor novum systema philosophicum condiderat. Huic ab initio orthodoxi et Speneriani junctis viribus se opponebant, varia illius scita velut religioni et moralitati inimica reprehendentes. Talia erant: quod pluribus argumentis, quibus hactenus Dei existentia comprobata fuerat, vim probandi abjudicaret, quod principia de ratione omnium rerum sufficienti, et de harmonia inter animam et corpus praestabilita, libero arbitrio periculosa, approbaret, quod statueret, Deum ex omnibus mundis, quos condere potuisset, optimum eligere debuisse, mundum hunc optimum, et mala in eo praesentia necessaria esse, cum a conditione rerum finitarum separari nequeant, quod non ipsum atheismum, sed tantum ejus abusum ad mores inhonestos perducere assereret. Cum vero haec et similia in sanum et innocuum sensum explicari posse ostenderetur, cum praeterea Wolfius tanquam religionis Christianae patronum se exhiberet, et speciatim in sua theologia naturali possibilitatem et criteria revelationis demonstrasset, naturalismum refutasset, atque discrimen inter illud, quod supra et quod contra rationem est, inculcasset, cum denique methodus ejus philosophica ad theologiam firmandam plurimum conferre posse videretur; progressu temporis complures theologorum philosophiam Wolfianam non tantum defenderunt, sed etiam ejus methodo sic dicta mathematica seu demonstrativa, imo ejus principiis et theorematis in proponendis fidei dogmatibus usi sunt, unde theologia, speciatim dogmatica novam inter Lutheranos faciem induit, in eo tamen variam, quod alii praecipuam partem

argumentis biblicis deferrent, philosophicis secundarium locum assignantes, alii vero argumenta biblica negligerent, et omnia, ipsa quoque mysteria ex philosophia demonstrare conarentur. Usum philosophiae Wolfianae in theologia primum vindicavit Israel. Theoph. Canz, theologus Würtembergensis († 1753.) in singulari libro, a. 1728. edito, quo huic philosophiae multos animos inter theologos comparavit. Sed primus, qui ea in theologia, magna tamen moderatione et cautione usus est, erat J. Gustavus Reinbeck, praepositus Berolinensis († 1741.) in suo opere: Betrachtungen über die in der Augsburgischen Confession enthaltenen und damit verknüpften göttlichen Wahrheiten, quod opus, cujus prima pars a. 1731. comparuit, post mortem Reinbeccii a Canzio aliisque continuatum et ad finem perductum est. Longe ulterius in usu philosophiae Wolfianae progressus est Jacobus Carpov, qui prius in universitate Jenensi, postea in gymnasio Wimariensi docuit. († 1767.) Is enim in sua oeconomia salutis novi testamenti, quae ab anno 1737.—65. in 4 tomis 4. comparuit, non tantum dogmata methodo mathematica demonstrare, sed etiam doctrinas ipsas mysteriosas, posthabitis s. scripturae effatis, ex ratione et philosophia comprobare conatus est. Simili modo etiam Ernestus Schubert, theologiae professor prius apud Helmstadienses, postea apud Greifswaldenses, in operibus suis dogmaticis versatus est. At Baumgarten philosophia Wolfiana nonnisi ad dogmata, e bibliis comprobata, dilucidanda et confirmanda, ad terminologias, definitiones, divisiones, distinctiones secundum eam faciendas usus, caeterum principia Speneriana secutus est. Praeter hos ex theologis Wolfianis adhue commemorari meretur Georg Frid. Meyer, professor Halensis, qui in philosophischen Betrachtungen über die christliche Religion, inde ab anno 1761. in lucem emissis, de certitudine religionis Christianae, de ejus indole et mysteriis in universum, de Dei justitia et omnipraesentia, de divina Trinitate, et affinibus materiis perspicue, graviter

ractice disseruit. Sed sexagesimis hisce elapsi saeculi
is studium theologiae Wolfianae, ejusque in theolo-
a dominium inter Lutheranos magis magisque decre-
et tandem penitus evanuit. Ea praeter alia haec quo-
mala theologiae attulit, quod studium hermeneuticae
exegesis a multis negligeretur, doctrinae philoso-
cae incertae et inutiles eidem inveherentur, at-
universim certa et incerta, clara et obscura
r se permiscerentur, et eodem modo propone-
tur. Sed nec sine utilitate pro theologia erat. Ea enim
ctum est, ut theologi doctrinas religionis magis exa-
arent, ut de rebus dicendis conceptus magis perspi-
s ac definitos sibi effingerent, ut argumenta magis
onderarent, ut systematibus suis meliorem ordinem
iexum, majoremque claritatem inveherent. Atque
terior hic effectus, philosophia illa seposita duraturus,
d illos quoque productus est, qui ejus principiis nul-
assensum praestabant.

§. 977. Continuatio.

Inde a sexagesimis elapsi saeculi annis continuo
res doctrinae suprarationales a theologis Lutheranis
ogmatica eliminabantur. Effectum id est propensio-
n Deismum, quae tum inter theologos quoque Lu-
anos invalescere coepit, et latiores indies progres-
faciebat. Varia autem isti media ad dogmaticam
sticam obtinendam adhibebant. Imprimis nova illa
cipia critica et hermeneutica, superius enarrata
ogitarunt, quorum ope effectum est, ut primo ple-
ue locis biblicis vis, ea, quae hactenus probave-
, probandi adimeretur, adeoque plurimi jam con-
entur, systema religionis Lutheranae erroribus refer-
, ac proinde novum, quod verius esset, e bibliis
ucendum esse; deinde vero multa, quae hactenus
r doctrinas divinas relata fuerant, inter praejudicia
ica, quibus Jesus et apostoli se accommodaverint,
uderentur, aut plane tanquam errores apostolo-

rum, qui magistrum suum male intellexerint, imo tanquam errores Jesu ipsius, qui merus homo fuerit, declararentur, miracula vero vel ex arcanis naturae viribus, vel ex rumore populari derivarentur, vel tanquam schemata veritatum religiosarum, tanquam mythi pronuntiarentur. Alia via, qua theologi ad illum finem tendebant, erat historia dogmatum, quam magno studio colebant, et qua id, quod quaerebant, inveniebant, nempe dogmata Christiana, speciatim mysteriosa, aut ex philosophia Judaica seu Orientali, aut ex Platonica in religionem Christianam translata, aut per aliquos magnae auctoritatis doctores efficta et invecta, aut per concilia introducta fuisse. Accessit cognitio aliarum religionum Orientalium, in quibus doctrinae mysteriis Christianis similes deprehendebantur, unde utraque ex communi fonte humano derivabantur. Tertium medium in eo consistebat, quod nomine theologiae practicae et popularis doctrinae suprarationales quasi virtuti et pietati inutiles e dogmatica excluderentur. Quartum denique erat philosophia. Wolfiana, postquam, dominatu suo exciderat, multi, praesertim in terris Borussicis, contra religionem Christianam abutebantur, eique, quo id expeditius possent, aliena quoque placita philosophica adjungebant, eclecticorum in morem philosophantes, revelationem et miracula fieri aut cognosci posse negantes, et nonnisi religionem naturalem admittentes. Plurimis illo tempore etiam placita et sophismata Anglorum et Gallorum arridebant, religioni Christianae, imo universae adeo inimica. Tandem octogesimis elapsi saeculi annis nova philosophia Cantiana seu critica in lucem prodiit, quae, etsi Christo ejusque doctrinae majorem quam ipsi theologi naturalistae reverentiam exhiberet, tamen in religionem rationalisticam tendebat. Ejus auctor in libris, in quibus facultates mentis humanae crisi subjiciebat, vim, veritates religionis theoreticas probandi, rationi abjudicavit, eoque argumenta philosophica, hactenus pro revelatione

allata infregit. Rationi practicae primatum in negotio religionis vindicavit, hanc nonnisi illius postulatis seu desideriis moralibus superstruxit, ejusque summam in eo posuit, ut homo officia sua tanquam praecepta divina agnoscat, adeoque totam religionem in meram moralem transformavit. In libro autem, quem a. 1792. sub titulo edidit: Die Religion innerhalb der Gränzen der blofsen Vernunft, postquam dixisset, revelationem, cujus doctrinae in sensum rationalem et moralem explicari non possint, merito suspectam esse, doctrinas biblicas, speciatim suprarationales cum doctrinis religionis rationalisticae contulit, atque per interpretationem moralem tanquam schemata vel involucra veritatum ejusdem religionis explicavit. In eodem libro revelationem fieri posse non quidem negavit, eam tamen nonnisi ad introducendam religionem rationalem necessariam, atque ad constituendam ecclesiam utilem fuisse concessit, et rationem practicam supremum doctrinarum revelatarum interpretem esse contendit. Haec principia plures theologi ad dijudicandam religionem Christianam ejusque indolem definiendam adhibebant. Tales erant I. Henr. Tieftrunk, theologus Halensis, Stäudlinius, I. Guil. Schmidt, theologus Jenensis. Hi aliique theologi critici rationem humanam ceu omnis religionis principium statuerunt, adeoque nullas doctrinas nisi illi pervias admiserunt; caeterum in variis rebus, speciatim quoad moralem s. scripturae interpretationem, a Cantio deflexerunt. — Post Cantium, annis scilicet nonagesimis elapsi saeculi I. Theophilus Fichte, prius apud Jenenses, postea apud Berolinenses philosophiae professor, idealismum docuit, contendens, naturam in meris affectionibus animi cujusque consistere, ejusque existentiam nonnisi ex rationibus moralibus credendam esse; porro ordinem mundi moralem esse Deum, hunc ergo non substantiam aut personam esse, quae existat suique conscia sit, cum extra conscientiam nostram moralem reapse non existat. Deni-

que saeculo 19. Frid. Guil. Josephus Schelling, prius philosophiae in universitate Jenensi professor, postea regiae artium academiae Monachiensis secretarius, sic dictum systema absolutae identitatis tradidit, vi cujus unica tantum substantia reapse existat, quam τὸ absolutum, in qua non sit differentia inter cogitare et esse, inter res et ideas, inter objectum et subjectum, nominavit. Hoc ipsum absolutum esse Deum. Singulas res non esse nisi manifestationes seu ideas illius absoluti in diversis potentiis, earumdem idearum complexum esse naturam. Absolutum illud, seu Deum nonnisi intuitione interna cognosci posse; hominis libertatem consistere in eo, ut anima in absoluto immorari aut ab eo deficere possit; moralitatem in eo, ut anima in absoluto immoretur, aut ad illud redeat, imo cum eo uniatur. Omnia, quae sunt et fiunt, in se perfecta et rationi consentanea esse. Historiam non esse, nisi successivam Dei manifestationem, individua nulla esse immortalia. — Non defuerunt theologi, qui sive Schellingii, sive Fichteji placita in proponendis religionis doctrinis sequerentur.

§. 978. Continuatio.

Hoc igitur quadruplici armorum ex critica et hermeneutica, ex historia, usu practico et philosophia desumtorum apparatu instructi theologi Lutherani dogmaticam suam a doctrinis Christianis, seu ut dicere amabant, a commentis humanis vel a fermento papistico magis magisque expurgarunt. Non tamen omnes aeque longe progressi sunt, atque hoc respectu in certas classes distribui possunt. Alii igitur a libris symbolicis hinc inde quidem recesserunt, attamen systema orthodoxiae Lutheranae majori saltem ex parte conservarunt. Inter hos pertinent: I. Benedictus Carpzov, theologus Helmstadiensis, (liber doctrinalis theologiae purioris. 1767.) Georg. Frid. Seiler, (theologia dogmatico-polemica cum compendio historiae dogmatum succinctae.

1774.) Franc. Walch, (breviarum theologiae dogmaticae. 1775.) Storrius, (doctrinae Christianae pars theoretica e sacris litteris repetita.) Frid. Volkmarus Reinhard, theologiae in universitate Wittenbergensi professor, (Vorlesungen über die Dogmatik. 1801.) Augusti, (System der christlichen Dogmatik, nach dem Lehrbegriffe der lutherischen Kirche im Grundrisse. 1809.) Bretschneider, (systematische Entwicklung aller in der Dogmatik vorkommenden Begriffe nach den symbolischen Schriften der evangelisch-lutherischen Kirche und den wichtigsten dogmatischen Lehrbüchern ihrer Theologen. 1805. Editio altera, ita mutata, ut pene novum opus sit. 1819. Handbuch der Dogmatik der evangelisch-lutherischen Kirche, oder: Versuch einer beurtheilenden Darstellung der Grundsätze, welche diese Kirche in ihren symbolischen Schriften über die christliche Glaubenslehre ausgesprochen hat.) In posteriori opere singulae doctrinae Lutheranae primo secundum libros symbolicos, deinde secundum sacros proponuntur, iisque prolixa dijudicatio, dilucidatio ex historia dogmatum, diversi theologorum de eis conceptus, adversariorum objectiones, harumque solutiones adjunguntur. Marheinecke (die Grundlehren der christlichen Dogmatik. 1819.) Hoc opus, in quo doctrinis loca biblica sine interpretatione, et raro loca ex libris symbolicis adjuncta sunt, tum quoad rerum dispositionem, tum quoad diversarum doctrinarum vindicationem et explicationem plura sibi peculiaria habet. — Alii plures quidem doctrinas positivas religionis Christianae, quasi in bibliis non fundatas rejecerunt, attamen revelationem materialem concesserunt, et principales quasdam doctrinas suprarationales retinuerunt. Tales dogmatici erant: David Michaelis, qui a. 1760. compendium theologiae dogmaticae edidit, quod ab ipso Germannice versum, ex parte mutatum, liberioribus sententiis instructum sermone populari cultiori conscriptum, et ab omnibus fere terminis scholasticis liberum

academicarum adornatae, et a. 1811. primum editae; — Frid. Aug. Klein, praedicator militaris, et theologiae professor extraordinarius Jenensis, († 1823.) cujus liber a. 1822. vulgatus, quidem inscriptus est: Darstellung des dogmatischen Systems der evangelisch-protestantischen Kirche, multas tamen sententias neotericas continet.

§. 979. Continuatio.

Ad tertiam classem dogmaticorum Lutheranorum illos referimus, qui vel omnem revelationem immediatam repudiabant, vel formalem tantum admittebant. Ex horum numero praeter illos, quos inter primos irreligionis in Germannia promotores nominavimus, sunt sequentes: J. Frid. Gruner, theologiae in universitate Halensi professor, qui in 3 libris institutionum dogmat. a. 1777. editis, religionem Christianam jam versus finem 1. saeculi, admixta philosophia Neoplatonica corruptam fuisse docuit, atque ex hac corruptione plerasque doctrinas suprarationales derivavit; — Frid. Guil. Hufnagel, qui in suo Handbuch der biblischen Theologie, quod Erlangae in 2 tomis, a. 1785. et 89. comparuit, ope interpretationis historicae plurima loca biblica, quae hactenus probantia habebantur, et cum eis ipsa dogmata rejecit, librosque v. f. vilipendit; — Henkejus, qui in suis lineamentis institutionum fidei Christianae historico-criticarum 1793. ad veram religionis cognitionem obtinendam tria haec caveri jussit: Christolatriam, bibliolatriam et onomatolatriam seu studidium in terminos dogmaticos; — Jac. Christoph. Rud. Eckermann, theologiae apud Kielenses professor. Is jam in suo compendio theologiae Christianae theoretico-biblico-historicae a. 1791. edito doctrinas suprarationales a biblicis segregavit, et inter mere ecclesiasticas retulit. In alio autem libro: Handbuch zum gelehrten und systematischen Studium der christlichen Glaubenslehren. 4 tom. 1801 — 1803. omnem revelationem nega-

doctrinis religionem praestantiorem et universalem condiderit; — J. Ern. Schmidt, qui a. 1800. Lehrbuch der christlichen Dogmatik, et a. 1808. christliche Religionslehre edidit. Is revelationem in iis omnibus eventibus sitam judicavit, quibus genus humanum educatur, seu ad altiorem culturae intellectualis et moralis gradum perducitur. Inter hos eventus praecipuus fuit introductio religionis Christianae. Christus fuit legatus divinus et secundum s. scripturam etiam Deus. Singula dogmata, speciatim suprarationalia, quae in bibliis omnino contineri ostendit, tanquam doctrinas mere historicas proponit, et deinde ratione practica ita dijudicat, ut ea morali hominum naturae congruere appareat; — Car. Lud. Nitsch, theologiae professor, et generalis superintendens Wittenbergensis, qui a. 1808. prolusiones academicas de revelatione religionis externa eademque publica edidit. In hoc libro auctor principiis Cantianis prorsus inhaerens, revelationemque Christianam tanquam symbolicam repraesentationem religionis naturalis et moralis proponens, non tantum doctrinas, sed etiam res gestas biblicas moraliter interpretari conatus est. Ad ideas Schellingianas Henr. Schwarz professor theologiae in universitate Heidelbergensi in libro suo: Das Christenthum in seiner Wahrheit und Göttlichkeit betrachtet, a. 1808. typis expresso respexit. Historicam s. scripturae interpretationem ad expurgandam dogmaticam iterum in auxilium vocarunt: Theoph. Phil. Christ. Kaiser, theologiae in universitate Erlangensi professor, in libro: Die biblische Theologie, oder Judaismus und Christianismus nach der grammatisch-historischen Interpretationsmethode, 2 tom. 1813. et 14.; qui auctor tamen in monogrammatis theologiae Christianae dogmaticae, a. 1819. Erlangae publicatis, interpretationi pristinae iterum appropinquavit; porro Wegscheider, qui in suis institutionibus theologiae Christianae dogmaticae, a. 1815. Halae vulgatis etiam historia dogmatum et philosophia ad eundem

riarum dispositionem, exegesis soliditatem, et orthodoxiam magno inter Batavos plausu exceptus fuit, hodie adhuc in diversis Bataviae scholis praelectiones publicae habentur.

§. 981. Inter Anglicanos.

Theologi Anglicani multa quidem scripta composuerunt, in quibus vetera symbola, et 39 articuli systematis Anglicani explicantur, et fidei dogmata pro lectoribus cultioribus cujusvis generis exponuntur et comprobantur. Propria autem systemata dogmatica, cum eruditione theologica exarata, et methodo scientifica adornata, paucissima inter eos comparuerunt. Ad haec referri possunt: Thomae Stackhouse, praedicatoris Anglicani († 1752.) liber sermone Anglico scriptus, et a. 1709. in lucem emissus, atque etiam in linguam Germannicam translatus sub titulo: Lehrbegriff der ganzen christlichen Religion. 7 tom. 8. Hic liber ex praecipuis dissertationibus theologorum Anglicanorum, nec non ex sermonibus sacris praedicatorum praestantiorum collectus, et propriis auctoris observationibus auctus, a completo materiarum numero, soliditate et dictionis amoenitate laudatus est; — Thomae Burneti praedicatoris aulici († 1715.) de fide et officiis Christianorum liber posthumus, exiguae molis, in quo religio naturalis extollitur, sacramentis omnis virtus interna denegatur, peccatum originale, vicaria Christi satisfactio, justificatio, praedestinatio inter doctrinas secundarias, et illae solae inter primarias referuntur, quae in antiquis symbolis continentur. Ex recentioribus libris dogmaticis Anglorum sunt Prettymanni elementa theologiae Christianae, Anglice scripta, et a. 1799. in lucem progressa.

§. 982. Status theologiae polemicae et apologeticae generatim.

Primo hujus periodi tempore status theologiae polemicae a priori non multum diversus erat. At saeculo

versum defendit, magis magisque exculta, et ad altum perfectionis gradum, tum quoad argumentorum soliditatem, tum quoad methodi praestantiam evecta est, ad quod tot vehementes insultus religionis inimicorum, variis armis et artibus pugnantium, illiusque patronos excitantium, potissimum contulerunt. Ab his jam plurima scripta apologetica sive particularia sive generaliora exarata sunt. Iidem nova comprobationis genera et nova argumenta in medium protulerunt, et vice versa pristinorum nonnulla tanquam minus apta et solida dimiserunt. Alii hoc, alii alio argumentorum genere potissimum usi sunt. In universum rationis humanae imbecillitas et religionis naturalis insufficientia ostendebatur, indeque revelationis necessitas inferebatur, qua in re nonnulli indulgentiores, missa necessitate, eximiam ejus utilitatem adstruxisse contenti erant. Possibilitatem quoque revelationis vindicare necessum erat, cum et haec a nonnullis negata fuisset. Revelationem divinam, qua genus humanum adeo indigeat, esse illam, quam Christiani profitentur, et libri biblici exhibent, alii sic dicto argumento interno, a praestantia doctrinarum Christianarum desumto, evincere conabantur, qua in re nonnulli doctrinas suprarationales tanquam veritates naturalibus per revelationem additas defendebant, easque indigentiis hominum moralibus congruere monstrabant, nonnulli vero, cum adversarii doctrinas suprarationales quasi sanae rationi aut etiam moralitati adversas religioni Christianae vitio verterent, hanc tanquam complexum veritatum religiosarum mere rationalium et moralium proposuerunt, quod praesertim posteriori tempore, cum haud pauci theologorum Protestantium in rationalismum niterentur, factum est. Alii intelligentes, argumento interno religionem Christianam ceu revelationem praesertim materialem non probari, argumenta potius externa seu historica adhibuerunt. Talia desumebantur, vel ab integerrimis Jesu Christi moribus, vel a consilio ejus benefico, univer-

auctoritatem tueri studuerunt. Haec non tantum in singularibus scriptis apologeticis, sed etiam passim in dogmaticis et introductionibus ad s. scripturam praestita sunt. Caeterum nonnulli ex apologetis Protestantibus, ipsi nonnihil a vero religionis Christianae systemate deviantes, adversariis varia concesserunt, quibus concessis systema istud integrum censeri non potest.

§. 984. Inter Catholicos. Polemici.

Quae de statu theologiae polemicae generatim dicta sunt, speciatim etiam de Catholica valent. Scripta polemica, a Catholicis edita duplicis sunt generis, alia generalia, quae contra omnia aut saltim plura genera adversariorum directa erant, et plerumque etiam institutiones quasdam polemicae exhibebant, alia particularia et specialia, in quibus nonnisi unius aut alterius generis adversarii, vel singulae eorum assertiones impugnabantur. Inter generalia pertinent: Viti Pichler, e societate Jesu, theologia polemica in duas partes divisa, quarum prior generalis, theologiae istius fundamenta tradit, posterior materias particulares cum Protestantibus controversas exhibet. Augustae Vindel. 1719. — G. Hannenberg, Jesuitae Polonici theologia controversa, Posnae 1723., quae in pacem et unionem tendit, et hinc Protestantibus nonnulla concedit; — J. Siandae Siculi, ordinis Cistertiensis, lexicon polemicum, 2 voll. Romae. 1733. magna vehementia et methodo scholastica scriptum, cui auctor praemisit demonstrationem, religionem Romano-Catholicam unice veram esse; — Sebaldi a S. Christophoro theologia historico-polemica pro vindicanda contra haereticos, Protestantes praesertim, Romano-Catholicae ecclesiae gloria. 2 voll. Bambergae. 1751. — Ignatii Tentscher institutiones polemicae. Pragae 1767. — Gazzanigae theologia polemica. Vindobonae. 1779. — Caroli Schwarzel praelectiones theologiae polemicae. Vindobonae. 1781. — Scripta polemica particularia et specialia a Catholicis contra

revelationis fonte, et de ecclesia, tanquam supremo fidei controversiarum judice diligenter coluerunt. Inter opera apologetica alia omnis generis adversariis, pleraque novis incredulis opposita sunt. Prioris generis sunt: Joannis Dez, Galli, fides Christianorum et Catholicorum vindicata contra Deistas, Judaeos, Muhamedanos, Socinianos et reliquos haereticos. Gallice. 4. tom. 12. Parisiis. 1714. — Cardinalis Gotti veritas religionis Christianae, et librorum, quibus illa innititur, contra atheos, polytheos, idololatras, Muhamedanos et Judaeos demonstrata. 4 voll. Romae. 1740. Posterioris generis sunt: Francisci de Lami incredulus adductus ad religionem per rationem in aliquot colloquiis, in quibus tractatur de concordia rationis cum fide. Parisiis. 1710. — Claudii Francisci Houtteville presbyteri e congregatione oratorii Parisiensis († 1742.) religio Christiana factis probata. Parisiis. 1722., in quo libro auctor ex veritate historiae novi testamenti, praecipue e Jesu miraculis et vaticiniis in eo impletis veritatem religionis Christianae comprobare conatus est; — Joachimi Francisci Balti Jesuitae religio probata per complementum prophetiarum v. et n. t. Parisiis. 1728. defensio prophetiarum religionis Christianae. Ibid. 1738. Hoc opus ab eruditione et profundo judicio commendatur; — Pauli Gabrielis Antoine demonstratio veritatis religionis Christianae et Catholicae. Nantii. 1739. — Stephani Silhouette, viri laici, munere publico functi, († 1767.) epistolae de imbecillitate rationis humanae, et de utilitate revelationis. 1742. — Laurentii François, presbyteri e congregatione missionis, probatio et defensio religionis contra difficultates ab incredulis motas. 8. voll. 12. Parisiis. 1755. — Le Balleur, Franciscani, religio revelata, defensa contra hostes, qui eam aggressi sunt. 4 voll. Parisiis. 1757. — Francisci Nonnotte, Jesuitae, errores Voltaeri. 1766. dictionarium antiphilosophicum. 1769. dictionarium philosophicum religionis. 4 voll. 1772. — Hyacinthi nova philosophia per

catorum ordini adscriptus erat, libri tres de fundamentis religionis et de fontibus impietatis. Taurini. 1769. religio victrix. Patavii. 1776. Utrumque Italice; — Alderani Allegrini actiones tres pro religionis divina revelatione. Romae. 1781. — Eusebii Amort demonstratio critica religionis Catholicae; — Jordani Simon de religione contra libertinos. 4 tomi. Pragae. 1773. — Sigismundi Storchenau die Philosophie der Religion. 12 tomi. Augustae Vindel. 1781. — Bedae Mayr, ordinis S. Benedicti Vertheidigung der natürlichen, christlichen und katholischen Religion nach den Bedürfnissen unserer Zeiten. 3 tom. Augustae Vindel. 1787. — Aemiliani Janitsch, Benedictini Gottvicensis Entstehung wunderbare Fortpflanzung und genaue Verbindung der natürlichen mit der geoffenbarten Religion, mit Widerlegung der Einwürfe Voltaers und seiner Anhänger, der Modephilosophen. — Aloysii Sandbichler Vertheidigung der Göttlichkeit des mosaischen Gesetzes und des alten Bundes gegen die neuesten, Einwendungen. 4 tomi. Salisburgi. 1797. — Jacobi Frint, professoris scientiae religionis philosophicae in universitate Vindobonensi, Handbuch der Religionswissenschaft. 6 tomi. Viennae. 1806. — 14. opus quod doctrinam religionis theoreticam et practicam complectitur, sed absolutum non est. — Darupi, parochi in Sendenhorst über die Vernunftmäſsigkeit der katholischen Religion. Monasterii. 1820. — Car. Phil. Eduardi Lillbopp über die Wunder des Christenthums und deren Verhältniſs zum thierischen Magnetismus mit Berücksichtigung der neuesten Wunderheilungen nach römisch - katholischen Principien. Moguntiae. 1822.

§. 986. Inter Lutheranos. Polemici.

Inter Lutheranos prioribus saeculi 18. temporibus contra Calvinistas pauciora scripta polemica, plura contra Catholicos comparuerunt, quorum tamen et numerus et vehementia progrediente saeculo paulatim de-

norum, Catholicorum et Arminianorum controvertuntur, caeterum opprobria Spenerianis facta diluuntur, exemplo esse potest, quomodo theologia polemica a Pietistis in scholis tradita fuerit. Hunc modum eorum adversarii plurimum improbarunt, eosque praecipue teporis in propugnanda religione, speciatim Lutherana arguerunt. Ipsi in hoc negotio multo strictius libris symbolicis insistebant, multo plures adversarios, et in his Calvinianos, impugnabant, majorique cum fervore certabant. Compendium theologiae polemicae, quod inter eos Balthasarus Bernhold, theologus Altdorfensis a. 1733. edidit, ex optimis sui generis est. — Illi theologi, qui admissis melioribus Pietistarum principiis media quasi via inter eos eorumque adversarios incedebant, simili modo etiam in polemica versati sunt. Id nominatim valet de Buddeo, ejusque genero J. G. Walch, quorum iste ab anno 1724. typis vulgavit: Historische und theologische Einleitung in die vornehmsten Religionsstreitigkeiten, aus J. F. Buddei Collegio herausgegeben, auch mit Anmerkungen erläutert und vielen Zusätzen vermehrt, cujus operis tomi quinque priores controversias extra ecclesiam Lutheranam ortas, quinque posteriores controversias in hac ecclesia agitatas sano et acri cum judicio multaque eruditione historica et litteraria ita pertractant, ut ordo sectarum non doctrinarum observetur, et in singulis sectis historia originis et fatorum earum proponatur. Buddeus et Walchius ab antecessoribus suis in his potissimum differebant, quod momento controversiarum rectius exponderato graviores a minus gravibus secernerent, quod doctrinas adversariorum cum minori partium studio exponerent, et examinarent, quod denique disquisitiones historicas cum polemicis conjungerent. Inter praestantiora opera polemica Lutheranorum etiam pertinent institutionum theologiae polemicae partes quatuor, quas a. 1755. Schubertus edidit. In his apud singulas sectas historia earum narratur, fontes, e qui-

logiae polemicae libros sex a. 1778. editos, Rohrii Briefe über den Rationalismus, Friderici Henr. Gebhard praedicatoris Kranichsfeldensis in ducatu Gothano die letzten Gründe des Rationalismus. Arnstadt. 1822.; nec non illi, in quibus naturalistae aut rationalistae refutantur, velut Henrici Steffens, professoris Wratislaviensis liber: Von der falschen Theologie und dem wahren Glauben, a. 1823. Wratislaviae editus. Denique hic loci commemorandi sunt libri, in quibus diversa systemata dogmatica in eum finem inter se comparantur, ut, quod eorum melius sit, ostendatur, quales ediderunt: Planck (Abriss einer historischen und vergleichenden Darstellung der dogmatischen Systeme unserer verschiedenen christlichen Hauptparteyen nach ihren Grundbegriffen, ihren daraus abgeleiteten Unterscheidungslehren und ihren practischen Folgen. 1796.) et Marheinecke (christliche Symbolik oder historisch-kritische und dogmatisch-comparative Darstellung des katholischen, lutherischen, reformirten und socinianischen Lehrbegriffs, nebst einem Abrisse der Lehre und Verfassung der übrigen occidentalischen Religionsparteyen, wie auch der griechischen Kirche.)

§. 987. Apologetae.

Theologiae apologeticae Lutherani non exiguam impenderunt operam. Praeterquam quod in libris polemicis, postea etiam in dogmaticis et introductoriis in s. scripturam, multa ad defensionem religionis Christianae et fundamentorum ejus pertinentia adferrent, etiam haud pauca scripta confecerunt, in quibus ex professo vel universa religio Christiana, vel singulares ejus doctrinae, vel fundamenta ejus propugnabantur, et contra objectiones, cavillationes, calumnias adversariorum vindicabantur. Id pluribus modis praestabant, sive ad convincendos eruditos aptis, sive ad sic dictos cultiores, rudiores, ipsasque faeminas instruendas et in fide firmandas accommodatis. Non tantum argumenta

Beantwortung. Halae. 1783. opus, eruditione exegetica, et archaeologica refertum; — Balthasari Lüderwald superintendentis et pastoris Vorsfeldensis in ducatu Brunsvicensi Vertheidigung Jesu, seiner Wunder und Jünger gegen die harten Beschuldigungen des Horus. Helmstadii. 1784. Antihierocles oder Jesus Christus und Apollonius von Tyana in ihrer grofsen Ungleichheit vorgestellt. Halae. 1793. — Aug. Christ. Bartel, pastoris Brunsvicensis über den Werth und die Wirkungen der Sittenlehre Jesu, eine Apologie derselben gegen das sogenannte einzig wahre System der christlichen Religion. 2 tom. Brunsvici. 1788. et 89. — J. Friderici Kleuker neue Prüfung und Erklärung der vorzüglichsten Beweise für die Wahrheit und den göttlichen Ursprung des Christenthums, wie der Offenbarung überhaupt, auf Veranlassung neuerer Schriften, besonders des Hierocles. 4 tom. Rigae. 1787.—94., quo libro argumenta pro divinitate religionis Christianae examinantur, sed solis historicis vis probandi adjudicatur, eumque in finem axiopistia historiae evangelicae ex omnibus tam internis, quam externis comprobatur, et quomodo divinitas religionis Christianae inde prodeat, ostenditur. — G. F. Seiler kurze Apologie des Christenthums. Erlangae. 1776. Der vernünftige Glaube an die Wahrheit des Christenthums durch Gründe der Geschichte und der practischen Vernunft bestätiget. Erlangae. 1795., in quo libro potissimum miraculorum n. t. possibilitas, realitas, axiopistia, et vis probandi vindicatur. Ueber die göttlichen Offenbarungen, vornehmlich die, welche Jesus und seine Gesandten empfangen haben. 2 tom. Erlangae 1796. et 97. — F. V. Reinhard Versuch über den Plan, den der Stifter der christlichen Religion zum Besten der Menschen entwarf; ein Beytrag zu den Beweisen für die Wahrheit dieser Religion. Wittenbergae 1781.; opus multa eruditione et ingenii acumine, nec non praestanti elocutione scriptum, in quo ex universali et benefico Jesu consi-

bentur, in quibus de vera indole theologiae elenchticae, de cautione in ea observanda, de demonstratione et de tolerantia erga schismaticos agitur, et systema Calvinianum stricte probatum sistitur, quo jam ipso reliqua ab eo discrepantią tanquam falsa appareant. Quae in caeteris tomis speciatim impugnantur, sunt: atheorum, deistarum, Epicureorum, Ethnicorum, naturalistarum, Judaeorum, Muhamedanorum, Socinianorum, indifferentium, papistarum, fanaticorum, Pelagianorum, Arminianorum, Anabaptistarum et Graecorum. In his impugnandis auctor ita versatus est, ut singulorum errorem fundamentalem primo protraheret ac impeteret, deinde reliquos errores refutaret, prout ei ex illo fluere videbantur. In hoc negotio non tantum biblicis aliisque theologicis, sed etiam philosophicis rationibus usus est, quas magnam partem ex philosophia Wolfiana deprompsit, cujus etiam methodum demonstrativam adhibuit. Lutheranos non impugnavit, sed, postquam eorum a Calvinianis differentias inquisivisset, nullum in doctrinis essentialibus discrimen inter utramque partem esse judicavit. — Theologiae elenchticae initia, quae Daniel Wittenbach in usum praelectionum publicarum concinnata in 2 voluminibus annis 1763. et 65. typis vulgavit, controversias potissimum recentiores pertractant, multa moderatione, praesertim erga Lutheranos scripta, simulque ultimum memorabilius hujus generis opus sunt, quod inter Calvinianos in lucem prodiit. — Frequentiores inter hos erant viri, qui religionem Christianam contra impetus incredulorum scriptis apologeticis defenderent, quamquam et haec Lutheranis, si non praestantia, at certe multitudine ac varietate plurimum cederent. Eorum pleraque Helvetios auctores habent, qui prae caeteris Gallorum irreligiosorum vicinia provocati fuisse videntur. Sunt autem scriptorum apologeticorum a Calvinianis compositorum notatu digniora sequentia: Joannis Bernard philosophiae ac mathesis professoris apud Batavos Lugdunenses liber de excel-

rum, Londini. 1768., maxime Voltaero oppositae; responsa ad difficultates cujusdam deistae, tanquam supplementa epistolarum istarum, in quibus praecipue miracula et mysteria religionis Christianae, nec non commoda, quae ex ea in rempublicam civilem redundant, magna gravitate et ingenii acumine vindicantur. — Vernesii confidentia philosophica, a. 1771. Genevae edita, est ex illorum librorum genere, in quibus in commodum rei Christianae, fontes, media, indoles et effectus incredulitatis ac irreligionis proponuntur. Libri hactenus commemorati omnes Gallice scripti sunt. — Augusti Frid. Guil. Sack, primarii praedicatoris in aula Berolinensi († 1786.) vertheidigter Glaube der Christen, cujus operis octavam et ultimam portionem auctor a. 1751. edidit. In eo singulas doctrinas Christianas, velut de auxilio gratiae divinae, de resurrectione carnis, de baptismo et eucharistia ita defendit, ut a sensu orthodoxo longe recedens, quod in eis supranaturale est, fere penitus tolleret. — Joannis Tobler, archidiaconi Tigurini († 1808.) Uiberlegung eines redlichen aber unstudierten Christen bey öffentlichen Angriffen auf seinen Glauben. Tiguri. 1769. Anmerkungen zur Ehre der Bibel. 8 Stücke. Halae. 1777. — 85. Gedanken und Antworten zur Ehre Jesu und seines Reiches. Tiguri. 1780. — Alberti ab Haller, Bernensis, per plures annos anatomiae et botanicae in universitate Gottingensi professoris († 1777.) Vorrede zur Prüfung der Secte, die an Allem zweifelt. Gottingae. 1751. Briefe über die wichtigsten Wahrheiten der Offenbarung. Bernae. 1772. Briefe über einige Einwürfe noch lebender Freygeister wider die Offenbarung. 5 tomi. Bernae. 1775. — 77. Sunt praecipue contra Voltaerum directae; — Ernesti Sartorii, theologiae in universitate Marburgensi professoris, die Religion ausserhalb den Gränzen der bloſsen Vernunft, nach den Grundsätzen des wahren Protestantismus gegen die eines falschen Rationalismus.

Marburgi. 1822., liber Cantio, Wegscheidero, et Röhrio potissimum oppositus.

§. 990. Inter Anglicanos.

Institutiones polemicae a theologis Anglicanis hac periodo confectae nullae innotuerunt. Eo major est numerus librorum apologeticorum, priori praesertim dimidio elapsi saeculi ab eis conscriptorum. Ad tales conscribendos magna copia librorum irreligiosorum, qui in Anglia comparebant, excitabantur. Hos refutare eo magis necessarium erat, quia propter libertatem typographicam in Anglia vigentem scriptis antichristianis alius obex non ponebatur. Itaque vix ullus majoris momenti liber contra religionem Christianam in Anglia comparebat, cui non alius, haud raro plures, oppositi fuissent. Hi in universum cum multiplici eruditione, magna soliditate, genio philosophico, stylo gravi, et rebus tractatis digno scripti sunt, atque cunctis his dotibus scripta adversariorum longe superant. Major tamen erga hos indulgentia et quaedam a linea sensus orthodoxi deviatio pluribus eorum vitio verti potest. Qui inter Anglos ad revelatam religionem defendendam calamum arripuerunt, non ex clericis tantum, sed etiam ex laicis erant. Alii eorum necessitatem aut utilitatem revelationis comprobarunt, velut Daniel Whitby, Samuel Clarke, Joannes Conybeare, postea episcopus Bristolensis, qui a. 1732. defensionem revelationis edidit, in qua ejus possibilitatem, utilitatem et beneficentiam ex rationibus moralibus comprobavit. Similiter Joannes Leland, praedicator Presbyterianorum Dubliniensium († 1766.) in aliquo operum suorum apologeticorum, quorum multa exaravit, utilitatem et necessitatem revelationis Christianae, at potissimum historice, nempe ex statu religionis apud omnes populos Ethnicos orbis antiqui demonstravit; in alio a. 1739. edito divinam auctoritatem v. et n. t. imprimis contra Morganum defendit, in alio excerpta ex scriptis

antichristianis collegit, ac singula refutavit. Nathanael Lardner († 1768.) in amplissimo ac eruditissimo opere, inde ab anno 1733. in multis tomis edito, genuinitatem librorum n. f. et axiopistiam historiae in eis contentae, imprimis ex testimoniis patrum, Judaeorum, et Ethnicorum demoustravit. Robertus Clayton, Clogheranus in Hibernia episcopus († 1758.) in libro a. 1753. edito historias v. et n. t. praecipue contra Bolingbrokium vindicavit. Eduardus Chandler Conventriensis, postea Dunhelmensis (Durham) episcopus, († 1750.) in libro, a. 1725. Collinsio potissimum opposito, argumentum pro religione Christiana a vaticiniis v. f. petitum vindicavit, ea tamen potissimum primae illius religionis introductioni inserviisse, multisque obscuritatibus et difficultatibus laborare addidit. Thomus Newton vaticinia v. f. concatenavit, eorumque eventum ostendit. Miracula Jesu, eorumque vim, divinam religionis Christianae originem comprobandi, praeter alios defenderunt: Richardus Smaalbrok, episcopus urbis, a. S. Davide compellatae († 1750.) Georgius Campbell praedicator Aberdeensis, qui speciatim objectiones ab Humejo contra miracula propositas dissolvit. In specie resurrectionem Jesu Christi Humfredus Ditton, mathesis apud Londinenses professor, genio philosophico praeditus († 1715.) jam a. 1712 solidissime comprobavit, et adversariorum exceptiones contra eam diluit. Posteaquam vero Wolstoonius denuo eam impugnasset, praeter alios Thomas Sherlock, tum Bangertiensis, postea Londinensis episcopus († 1761.) a. 1729. librum edidit, in quo testimonia illius eventus, quasi a judice excipiuntur, iisque examinatis veritas ejusdem extra dubium ponitur. Joannes Chapmann, parochus Cicestriensis († 1760.) in libro, Eusebius inscripto, et a. 1739. edito, et Morgano potissimum opposito, singulas doctrinas Christianas, speciatim mysteriosas, et in his praecipue vicariam Christi satisfactionem defendit, argumentum pro religione Christiana, a miraculis et va-

ticiniis desumtum, magna contentione vindicavit, Jesumque Messiam a prophetis praenuntiatum esse ostendit. Samuel Squirre, praedicator principis de Vallia († 1766.) in libro circa medium saeculum 18. edito, certitudinem, gravitatem, et consensionem religionis revelatae cum naturali, modo facili, perspicuo, et practico, animisque movendis accommodato comprobare, eumque in finem ostendere conatus est, religionis doctrinas tam theoreticas quam practicas cum fide in Dei existentiam, cum effatis sanae rationis, cum vera cujusvis felicitate, et c[illegible]te reipublicae arctissime cohaerere. Guilielmus P[illegible] posteriori elapsi saeculi tempore librum edidit, in quo omnia argumenta pro religione Christiana proponuntur, praecipue vero genuinitas et axiopistia scriptorum n. t. demonstratur.

§. 991. Status theologiae moralis. Inter Catholicos.

Theologia moralis non minores quam aliae disciplinae theologicae hac periodo mutationes subiit. Quod ad principia moralia attinet, usque in alterum saeculi 18. dimidium discrimen inter mitiores, ad quos multi Jesuitae, et inter rigidiores moralistas, ad quos Jansenistae pertinebant, perduravit. His praeter severa morum praecepta virtutisque adminicula, doctrina de amore, tanquam omnis moralitatis principio, et de hominis sanctificatione a solo Spiritu s. efficienda propria erat. Illi minus puritatem consiliorum, et magis observationem actionum lege praescriptarum urgebant, et speciatim probabilismum tuebantur. Hunc sub initio hujus periodi duo ex ipsis Jesuitis, nempe Gisbertus, professor Tolosanus, et Camargo, Salmanticensis, acri calamo impugnarunt. Ex caeteris praesertim Dominicani probabiliorismum contra probabilistas defendebant, probabilioristae exinde, aut etiam tutioristae et rigoristae dicti. Cumque probabilistae sententiam suam scriptis etiam editis propugnarent, et adversarios im-

peterent, variae ea de re lites, praesertim versus medium saeculum 18. in Italia agitatae sunt. Et quoniam mitiores universo suo systemati propagando non deerant, eumque in finem vel nova scripta conficiebant, velut J. Marini, (qui a. 1720. theologiam speculativam et moralem in 3 voluminibus Venetiis edidit) J. B. Taberna, (cujus synopsis theologiae practicae a. 1736. Coloniae comparuit) vel pristina denuo typis excudi curabant, velut Claudius La Croix, Gallus, et Antonius Zaccaria, Italus, qui Busenbaumii theologiam moralem iteratis curis ediderunt; etiam rigidiores aliique vel nova opera eis opposuerunt, vel eorum principia et regulas scriptis exagitarunt. Sic Henricus a S. Ignatio, Carmelita in Flandria, a. 1707. theologiam Sanctorum veterum et novissimorum circa universam morum doctrinam adversus novissimas juniorum casuistarum impugnationes, strenue propugnatam, et a. 1709. ethicam amoris, sive theologiam sanctorum in 2 voluminibus Leodii contra illos edidit, atque in posteriori opere etiam perniciosos effectus laxioris morum disciplinae descripsit, et objectiones contra severiorem diluit. Ipsa Sorbonna in prima parte corporis doctrinae, inde ab anno 1716. a se editi, quae doctrinam moralem continebat, multas propositiones morales, e libris Jesuitarum extractas, acri censura perstrinxit. Anno 1760. A. Franzoja, Italus, Busenbaumii theologiam moralem, Bononiae a se editam, juxta saniores, ut in titulo dixit, et praesertim angelicas D. Thomae Aquinatis doctrinas ad trutinam revocavit. Quoad methodum, plerique morum praeceptores priorum illorum elapsi saeculi temporum, tam mitiores, quam rigidiores, exceptis Jansenistis, casuistae erant, et crebriorem philosophiae scholasticae ac traditionis, quam s. scripturae usum in operibus suis fecerunt.

§. 992. Continuatio.

Interea tertium quoddam genus theologorum moralium inter Catholicos exortum est, qui media quasi

via inter mitiores et rigidiores incedebant, adeoque ab altera parte probabilismum et laxiora principia respuebant, et internam consiliorum sanctitatem inculcabant, ab altero vero etiam rigidam ascesin et severam poenitentiae disciplinam rejiciebant, hominique arbitrium vere liberum et virtutis meritum adjudicabant. Permulti eorum etiam meliori methodo utebantur, speciatim a casuistica abstinebant, ea, quae ad dogmaticam, jurisprudentiam, et theologiam pastoralem proprie pertinent, ab ethica separabant, philosophiam scholasticam vel penitus, vel [illegible] ex parte dimittebant, et s. scriptura frequentius [illegible]ntur. Atque hi theologi morales, numero paulatim aucti, altera prioris saeculi parte ubique praevaluerunt, ita ut antiquiorum systematum patroni fere penitus expirarent, ad quod suppressio Jansenistarum et sublatio societatis Jesu sine dubio quam plurimum contulit. Ex illis notatu digniores hi sunt: Antonius Godeau (moralis Christiana ad instructionem parochorum et presbyterorum. 1709. Gallice scripta, Latine versa.) Jacobus Besombes (theologia moralis Christiana ex s. scriptura, traditione, conciliis, patribus, et insignioribus theologis excerpta. 8 tomi. 12. Tolosatii. 1709. — 11.) Le Pelletier, (praxis et regulae virtutum Christianorum. Lugduni. 1713. Gallice.) Paulus Gabriel Antoine (theologia moralis universa, complectens omnia morum principia. 3 voll. Nancii. 1731.) Eusebius Amort (praeter plura particularia scripta moralia, ethica Christiana. 1739. Theologia moralis, inter rigorem, et laxitatem media. 2 vol. 1754.) Daniel Concina, Italus, ordinis Praedicatorum (theologia Christiana dogmatico-moralis. 10 vol. 4. Romae. 1749. Apparatus ad theologiam Christianam dogmatico-moralem. 1751. Compendium theologiae moralis. 1762.) Alphonsus de Ligorio, Neapolitanus, presbyter saecularis, postea episcopus S. Agathae Gothorum, † 1782. (Theologia moralis. 3 tom. 4.) Martinus Gerbert, (Principia theologiae moralis. 1758.) Vincentius Patuzzi, (theologia

moralis. 16 tomi. Bassani. 1770.) Havermann (Tirocinium theologiae moralis. 2 voll. Venetiis 1771.) Balduinus Wurzer, (Specimen theologiae moralis Christianae, methodo acroamatica compositum. Ingolstadii. 1775.)

§. 993. Continuatio.

Amplior theologiae moralis inter Catholicos reformatio ex Austria progressa est. Ibi enim, cum a. 1776. universum studium theologicum, dirigente Rautenstrauchio reformaretur, respectu theologiae moralis speciatim decretum est, ut eliminata casuistica et methodo scholastica, disciplina illa s. scripturae et defaecatae philosophiae superstrueretur. Haec reformatio sub M. Theresia coepta, sub Josepho II. continuata et ulterius provecta est, qui a. 1788. institutionem ad aptam theologiae moralis ichnographiam pro scholis theologicis in civitatibus Austriacis concipiendam typis communicari curavit, atque ut theologia moralis in scholis illis abhinc nonnisi in lingua Germannica traderetur praecepit. Haec reformatio etiam in alias terras Germanniae Catholicae propagata est, jamque in eis haud pauci surrexerunt theologi, qui disciplinam morum novo, tum quoad materiam, tum quoad formam modo tractarent. Hi itaque sejunctis iis, quae ad alias disciplinas theologicas, ad dogmaticam, jurisprudentiam, pastoralem, proprie pertinent, omissisque conscientiae casibus, generaliores de moribus doctrinas, velut de fine hominibus, de actionibus humanis, de legibus, de officiis, de peccato, virtute, vitio, nomine ethicae generalis praemittebant, atque statuto supremo omnis moralitatis principio in ethica speciali primo communia omnium hominum officia erga Deum, erga se ipsos, et erga proximum, dein vero particularia, e diversis singulorum relationibus prodeuntia proponebant, praeter rationes, e philosophia utplurimum et s. scriptura petitas, etiam motiva et moralitatis adminicula in singulis officiis adducebant, ascesin passim subjungebant, atque in his omnibus graviora et scitu digni-

ora seligebant, ita ut opera moralia frequenter ad paucos tomos vel tomulos decrescerent. Non tantum plerique philosophiam practicam ad theologiam moralem fundandam vel confirmandam adhibebant, sed nonnulli etiam recentiorum scholarum philosophicarum inter Protestantes ortarum principiis eam conformare conabantur. Nonnulli sacrae traditioni exiguam auctoritatem deferebant aut certe exiguum ejus usum faciebant. Nonnulli denique commemoratis viis, et cum libris Protestantium haud parum uterentur, eo devenerunt, ut in varias sententias heterodoxas, nominatim in Semipelagianas prolaberentur.

§. 994. Continuatio.

Secundum methodum hactenus enarratam sequentes libri morales conscripti sunt: Augustini Zippe, parochi et decani Bohemo-Camnitzensis, postea directoris seminarii generalis Pragensis, Anleitung zur Sittenlehre der Vernunft und Offenbarung, zum Privatunterrichte der Jugend. Pragae. 1778.— Antonii Luby, theologiae in lyceo Graecensi professoris theologia moralis in systema redacta. 3 tom. Graecii. 1782. — Benedicti Stattler ethica Christiana universalis, et: ethica Christiana communis. 6 tom. Augustae Vindel. 1782. — 89. Vollständige christliche Sittenlehre für den gesammten Haus- und Familienstand. 2 tom. Augustae Vindel. 1789. — 91. Allgemeine katholisch-christliche Sittenlehre, oder wahre Glückseligkeitslehre aus hinreichenden Gründen der göttlichen Offenbarung und Philosophie, für die obersten Schulen der pfalz-bayrischen Lyceen. 2 tom. Monachii. 1791. — Josephi Lauber, theologiae professoris in universitate Vindobonensi kurzgefaſste Anleitung zur christlichen Sittenlehre oder Moraltheologie. 5 tom. Viennae 1784.—88. W. Schanza moralis Christiana in systema redacta, locis s. scripturae, traditione, et decretis a summa potestate latis suffulta. 4 voll. Viennae. 1785. — Simperti Schwarz-

hueber practisches katholisches Religionshandbuch für nachdenkende Christen. 4 tom. Salisburgi. 1785. System der christlichen Sittenlehre. 2 tom. Ibid. 1793. et 94. — Reif systema theologiae moralis Christianae, justis theorematibus conclusum. 2 voll. Ingolstadii. 1787. et 88. — J. Michaelis Sailer Glückseligkeitslehre aus Vernunftgründen mit Rücksicht auf das Christenthum. 2 tom. Monachii. 1787.—91. Handbuch der christlichen Moral, zunächst für künftige Seelensorger, und dann für jeden gebildeten Christen. 3 tom. Ibid. 1817. — J. Danzer, theologiae apud Salisburgenses professoris, Anleitung zur christlichen Moral. 3 tom. Salisburgi. 1787. — 91. J. A. Roshirt institutiones theologiae moralis. Wirceburgi. 1788. — Joannis Leonardi Becker compendium theologiae moralis. 2 voll. Moguntiae 1789. — Lechleitner theologische Moral, oder die Beweggründe, Pflichten und Mittel des Christen aus der heil. Schrift und Vernunft. Augustae Vindel. 1789. — Ignatii de Fabiani Vollständige Moraltheologie, oder sittliche Gottesgelehrtheit. 4 tom. Augustae Vindel. 1789. Grundsätze der christlichen Sittenlehre. Viennae 1789. — Roberti Curalt practische Religion Jesu. Lincii. 1793. — Ferdinandi Wanker theologiae Friburgi in Brisgovia professoris christliche Sittenlehre oder Unterricht vom Verhalten eines Christen, nur durch Tugend wahrhaft glücklich zu werden. 2 tom. Friburgi. 1793. et 94. — Antonii Car. Reyberger, Benedictini Mellicensis, theologiae moralis in universitate Viennensi professoris († 1818.) Systematische Anleitung zur christlichen Sittenlehre. Pars prima. Viennae. 1794. Institutiones ethicae Christianae. 3 tom. Ibid. 1805. — 1809. — A. Isenbiehl Tugendlehre nach den kritischen Grundsätzen der reinen Vernunft und des practischen Christenthums, Augustae Vind. 1795. Mauri de Schenkl, Benedictini Priefflingensis, juris ecclesiastici et theologiae moralis ac pastoralis in lyceo Ambergensi professoris ejusdemque rectoris, ethica Christiana. 3 tomi. Ingolstadii 1808,

et 1801. — Sebastiani Mutschelle Moraltheologie oder theologische Moral, fortgesetzt von einem Verehrer des Verfassers. 2 tom. Monachii 1801. — 1803. — Josephi Geishüttner theologiae moralis et pastoralis in lyceo Linciensi professoris, theologische Moral in einer wissenschaftlichen Darstellung. 3 partes. Lincii et Viennae 1803. Francisci Pollaschek, theologiae in lyceo Olomucensi professoris († 1818.) Moralis Christiana. 2 tom. Olomucii. 1803. — Danielis Tobenz institutiones theologiae moralis, usui examinandorum pro cura animarum elucubratae. Viennae. 181[illegible] n.

§. 995. Continuatio.

Non tamen omnibus Catholicis in Germannia nova ista theologiam moralem tradendi ratio probabatur, erantque plures inter eos, qui eodem tempore, quo reformatio commemorata effectui dabatur, theologiam moralem secundum priorem methodum emendatiorem scriptis pertractarent, velut auctor ideae genuinae doctrinae moralis Christianae, quae a. 1778. Treviris comparuit; Leeb, cujus praelectiones theologiae practicae a. 1780. Monachii impressae sunt; Fridericus a Jesu, Carmelitarum discalceatorum provinciae Bavaricae praepositus, a quo universa theologia moralis tripartita ex operibus Benedicti XIV. p. m., nec non casibus conscientiae, de mandato ejusdem propositis et resolutis collecta, ac doctrinis Thomae Aquinatis accommodata et illustrata a. 1780. Augustae Vind. in 3 partibus edita est. Multo magis theologi morales extra Germanniam priori illi methodo pergebant inhaerere, prout testantur hi libri: Tamburini praelectiones de justitia Christiana et de sacramentis, de ultimo hominis fine, deque virtutibus theologicis et cardinalibus. 3 voll. Ticini 1783. — 85. — De Grou, ethica hausta ex confessionibus s. Augustini, Gallice scripta. 2 voll. Parisiis. 1786. — Francisci Gives praelectiones in universam theologiam moralem juxta divinam scripturae sacrae,

patrum sanctorum, conciliorum ecclesiae, scriptorumque ecclesiasticorum auctoritatem et decreta, copiosis additionibus, praecipue ex divo Augustino et angelico praeceptore illustratae. 4 voll. Madriti. 1788. — Francisci Antonii Alprunii, Barnabitae Itali, libri 5 de officiis hominis Christiani. Ticini 1790. Denique a. 1791. Parisiis comparuit ethica universalis hausta ex libris sacris, sermone Gallico conscripta.

§. 996. Continuatio.

Theologiae mysticae cultores, quamquam numerum illorum, quos pristina saecula habebant, haudquaquam attigerunt, minime tamen huic periodo, praesertim prioribus ejus temporibus defuerunt; imo plures inter eos extiterunt, qui institutiones ad eam conscriberent, vel eam aliis scriptis excolerent, velut: Michael a S. Catharina, (Semita salutis tripartita. 3 tom. fol. Augustae Vindel. 1711.) Casparus Erhard, (manuductio ad theologiam mysticam. 1727.) Ludovicus de Ponte, (Dux spiritualis. Ibid. 1745.) Martinus Gerbert, (Principia theologiae mysticae. 1758.) Dominicus Schram, (Institutiones theologiae mysticae. 2 tom. Augustae Vindel. 1777.) Champion de Pontalier, presbyter Gallus, (Thesaurus Christiani, seu principia et animi affectiones, ad Christianismum in animis renovandum et consummandum, liber Gallice scriptus. Parisiis. 1779.) — Ascetica, qua specialis disciplina moralis a paucioribus scriptoribus culta est, velut a Josepho Surino, cujus medulla ascetica a. 1755. Bambergae comparuit; a Cassiano Artenberg, qui elucubravit theologiam asceticam moralem, a. 1769. Coloniae typis excusam. Scriptores theologiae moralis, speciatim recentiores plerique hanc disciplinae suae partem, asceticam scilicet, non ea, qua par est, diligentia explicarunt. Ejusmodi autem librorum, qui materias, partim ad mysticam, partim ad asceticam pertinentes, velut exercitia spiritualia, pias animi affectiones, religiosas meditationes, diversi generis preces

continent, omni hujus periodi tempore magnus numerus, atque in eo haud pauci egregii comparuerunt.

§. 997. Inter Lutheranos.

Longe graviores mutationes theologia moralis inter Lutheranos, altero praesertim elapsi saeculi dimidio subiit. Usus philosophiae, speciatim practicae in ea magis magisque invaluit, effecitque, ut ejus forma magis quidem systematica redderetur, principium officiorum, imo omnis moralitatis, attamen a diversis diversum statueretur, doctrinae alienae, ad jurisprudentiam, dogmaticam, pastoralem pertinentes ab eo separarentur, veritates in philosophia practica, anthropologia, psychologia detectae ad eam illustrandam, comprobandam, vindicandam adhiberentur; attamen etiam a proprio suo fundamento, dogmatica independens redderetur, ejus doctrinae potius auctoritati rationis, ceu supremi omnis ethicae fontis, quam s. scripturae superstruerentur, exempla biblica passim negligerentur, moralis Christiana in moralem rationis mutaretur, vel ad summum tanquam moralis religiosa proponeretur. Principia hermeneutica, ex nisu in naturalismum et rationalismum progressa, ad practicam quoque Jesu doctrinam applicata effecerunt, ut, cum libri sacri non amplius tanquam unum corpus arctissime inter se cohaerens, sed tanquam libri auctorum, diverse sentientium separatim considerarentur, etiam contradictiones inter doctrinas morales Jesu et apostolorum exsculperentur, ut secundum principium accommodationis plura praecepta n. t. in praescripta mere localia aut temporanea, plures veritates morales aeternae in historicas ethicae Judaicae converterentur, nonnulla officia aut officiorum genera penitus omitterentur. Nonnulli Lutheranorum ad exemplum libertinorum in Anglia et sophistarum in Gallia eo usque progressi sunt, ut doctrinae moralis in n. t. traditae veritatem, puritatem, salubritatem scripto impugnarent. His omnibus non quidem sui deerant

adversarii. In universum tamen praevaluit rationalismus moralis, decrevit doctrina morum Christiana.

§. 998. Continuatio.

Jam quibus auctoribus et qualibus eorum scriptis hae mutationes successive productae, quae etiam a morum praeceptoribus Christiane sentientibus scripta edita fuerint, secundum temporis ordinem videamus. Inter primos notatu dignior occurrit Buddeus, qui a. 1711. institutiones theologiae moralis edidit, variis observationibus illustratas. In eis multa philosophia eclectica, quin ea, quae doctrinae Christianae propria sunt, deleret, et ordine systemâtico bonaque methodo usus est. Caeterum etiam pluribus sententiis Speneri, nominatim, non dari actiones moraliter indifferentes, patrocinatus est. Ejus opus haud paucos inter Lutheranos pa tronos, epitomatores et imitatores invenit, quos inter Rambachius, Walchius senior, et Pfaffius pertinent. Inter proprios Spenerianos Breithaupt et Lange theologias morales scripserunt. Quae posteriorem habuit auctorem, a. 1734. sub hoc titulo prodiit: oeconomia salutis eaque moralis, in officiorum, quae Deo, nobis ipsis, et aliis debemus, justo nexu delineata. In hoc opere, cui non parum philosophiae immixtum est, multa auctori peculiaria, et alia Spenerianis communia exhibentur. Posterioris generis sunt disquisitiones de quiete spirituali, tanquam principali medio, in buno proficiendi, de indifferentia morali actionum humanarum nulla. Qui ex adversariis Spenerianorum theologias morales conscripserunt, velut Martinus Chladenius, F. Wokenius, theologus Wittenbergensis, qui suam doctrinam moralem ex libris symbolicis extraxit, orthodoxam doctrinam Lutheranam contra opprobrium, ac si non satis practica et moralis esset, vindicare nitebantur, Spenerianis, quod religionis summam in vitae pietate ponerent, vitio vertebant, esse actiones moraliter indifferentes propugnabant. Ab eis longe magis, quam

Speneriani, quibuscum tamen in nonnullis consentiebat, recessit Adamus Bernd, praedicator Lipsiensis, qui praecipue in opere, quod a. 1728. nomine Christiani Melodii edidit, doctrinas a libris symbolicis alienas proposuit, nominatim: hominem non fide sola justificari, liberum arbitrium singularem animi humani facultatem esse, plenam mentis illustrationem non sine sanctificatione, fidem non absque pietate esse. Ex scriptis ejus proprie moralibus notamus illud, quod a. 1733. sub titulo edidit: Einleitung zur christlichen Sittenlehre und Anleitung zur wahren Gottseligkeit, in quo libro docuit, ideam principalem ethicae Christianae esse fidem activam, caritati junctam, ex libero arbitrio et auxilio Spiritus s. resultantem, cui ideae per totum librum inhaesit. Non multo post, anno scilicet a. 1735. Moshemius primam partem operis sui moralis sub titulo: Sittenlehre der h. Schrift, typo vulgavit, cujus operis, ab auctore non perfecti, quinta pars, a. 1752. ab eodem communicata est. In prima parte doctrina de statu naturae lapsae, in altera de mediis, ex hoc statu in statum gratiae perveniendi, adeoque de poenitentia, in tertia et quarta de ipso isto statu gratiae et de virtutibus Christianis ex eo provenientibus, in quinta denique de officiis erga Deum agitur. Hoc opus auctor s. scripturae ita superstruxit, ut hujus effata ratione et experientia passim confirmaret, a disquisitionibus autem et dissertationibus philosophicis consulto abstineret. Caeterum theologos mysticos non minus quam scholasticos reprobavit, mediaque inter rigorem et laxitatem via incedere tentavit, attamen saepius in posteriorem declinavit. Ejus opus multas insignes observationes de natura humana, sed et multa dogmatica continet; est eloquentissimum et maxime prolixum, quod inter Lutheranos comparuit, elocutio tamen haud raro verbosa est et declamatoria. Operis hujus continuationem post 12 a morte auctoris annos, J. Petrus Miller, ejus discipulus familiaris, qui tanquam

theologiae apud Gottingenses professor mortuus est, suscepit, editoque a. 1770. tomo nono omnia Christiani hominis officia et cum his opus ipsum absolvit. Haec continuatio opus Moshemianum in universum aequat, quoad singulas res, in aliis eo superior, in aliis inferior est. Praeterea continuator toti operi introductionem praefixit, in qua certas notiones generales et historiam theologiae moralis complexus est. Idem epitomen ejusdem operis confecit, et a. 1773. proprium opus: Lehrbuch der ganzen christlichen Moral zum allgemeinen Gebrauche edidit, in quo principium moralitatis proposuit, ex pluribus principiis commixtum.

§. 999. Continuatio.

Non defuerunt inter Lutheranos, qui in colenda theologia morali, Wolfii philosophia practica uterentur. Hujus suprema regula erat, cuivis id faciendum esse, quod ipsum et alios perfectiores reddat. In quantum jam certis actionibus perfectio ista efficiatur, Wolfius earum moralitatem in effectibus earum posuit; qui cum necessarii ei viderentur, internam actionum moralitatem statuit, ab ipso divino arbitrio independentem. Cum porro homo ipse ratione sua intelligere valeat, quid ad suum aliorumque statum perficiendum conducat, Wolfius eum nulla aliena legislatione seu heteronomia indigere, sed eum ipsum sibi legislatorem esse censuit. In quantum autem Deus rerum naturam ita disposuerit, ut certis actionibus perfectio status hominum promoveatur, aliis minuatur; ultimam rationem moralitatis humanarum actionum, nec non supremae legis in Deo sitam, hancque eatenus divinam esse, Wolfius non diffessus est. Nihilominus ejus principia practica adeo a Deo remota et verae moralitati Christianae adversa esse videbantur, ut theologi Lutherani plerique, tum orthodoxi, tum Speneriani graviter ea reprobarent. Nonnulli tamen, aliter sentientes, varia ex eis adoptarunt, adhibita tamen cautione, ne eis

characteres, moralis Christianae peculiares delerentur. Id speciatim valet de Baumgartenio, qui a. 1738. edidit: Unterricht vom rechtmässigen Verhalten eines Christen, oder theologische Moral. Is moralem Christianam in ethica naturali fundari, hancque ab illa confirmari et ampliari judicavit. Theologiam moralem definivit ut doctrinam, quomodo homo suam agendi rationem conformare debeat, ut ad unionem cum Deo pertingat, quam unionem ceu supremum finem omnium officiorum ac virtutum auctor considerabat. Idem obligationem moralem prin[illegible]eo, proxime vero a naturae nostrae indole et ab effectibus actionum nostrarum derivavit. Inter reliquos moralistas Wolfianos adhuc notari meretur J. Petrus Reusch, theologus Jenensis, qui in sua theologia morali, a. 1760. ipso jam mortuo edita, plus caeteris sententias Wolfii sectatus est, et principium perfectionis pro officiis statuit, quae caeterum una cum eorum motivis, impedimentis, et adminiculis satis bene exposuit. Ex aliis theologiae moralis scriptoribus, qui philosophiam Wolfianam non curarunt, memoratu digniores sunt: Schubertus, qui in suis institutionibus theologiae moralis, a. 1759. in lucem emissis, doctrinae de officiis Christianis, principium: Deum super omnia et proximum sicut se ipsum ab homine amandum esse, substravit; — Toellnerus, qui a. 1762. edidit: Grundriss der Moraltheologie für seine Zuhörer, nebst Gedanken von der wahren Lehrart in derselben. Is hoc moralitatis principium statuit: Dei voluntati, in s. scriptura promulgatae, propter Jesum Christum obediendum esse. Praecipua hujus operis pars est disquisitio de recta methodo, theologiam moralem tradendi, nec non de ejus principiis et natura. Quamquam auctor multa philosophia instructus et philosophice versatus est, atque necessitatem ostendit, ethicam philosophicam semper cum theologia morali conjungendi, hanc tamen minime cum illa permisceri voluit, quin limites inter utramque accurate definivit, ac quibus rebus posterior

a priori

a priori differat, monstravit. — Jeremias Frid. Reufs, cancellarius universitatis Tubingensis, et theologiae in eadem professor, in elementis theologiae moralis, quibus, quae ad rectam pie beateque in Jesu Christo vivendi rationem pertinent, generatim exponuntur, a. 1767. editis, id quoque praeter alia sibi proposuit, ut naturalismo morali, faciem suam locis biblicis velanti, ac continuo magis tum invalescenti obicem poneret. Caeterum ab aeterna beatitate, velut supremo hominis Christiani fine progressus, qua ratione hic illius particeps fieri possit, monstravit, et virtutes fundamentales ac officia Christiani, naturamque verae pietatis explicavit, in usu optimorum quorumque philosophorum ac theologorum moralium non minus quam in exponendis locis biblicis egregius. Eodem anno Lessius edidit Compendium der theologischen Moral, quod a. 1777. in pluribus mutatum sub novo titulo comparuit. Is moralitatis principium a promovenda salute societatis humanae petiit. Dogmaticam fundamentum moralis Christianae pronuntiavit. Repudiata laxitate, quae tunc temporis moralistas haud paucos depascebatur, severiora praecepta tradidit, speciatim in doctrina de mendacio, de restitutione, de oblectationibus. De iisdem rebus mitius praecepit Christ. Aug. Crusius, professor Lipsiensis, cujus kurzer Begriff der Moraltheologie, oder nähere Erklärung der praktischen Lehren des Christenthums, a. 1772. et 73. in 2 tomis comparuit. Is, cum philosophiae Wolfianae prae caeteris adversaretur, dogmaticam eo arctius cum morali conjunxit, hancque nonnisi ceu practicam expositionem partis cujusdam illius consideravit, unde factum est, ut multa ex dogmatica, atque in his etiam singulares opiniones libro suo immisceret. Liberum arbitrium strenue vindicavit. Consuetam officiorum divisionem reprobavit. Supremam moralitatis legem hanc proposuit: ex obedientia erga naturalem et necessarium supremum Dominum nostrum, omnia quae hujus perfectionibus, perfectioni

essentiali propriae nostrae aliarumque creaturarum omnium naturae, denique relationibus rerum a Deo institutis consentanea sunt, nobis facienda, contraria omittenda esse. Crusii principià plures secuti sunt, nominatim Morus, cujus praelectiones academicas in theologiam moralem, Germannice scriptas, post mortem auctoris Christ. Frid. Traugott Voigt orbi litterario communicavit. C. C. Tittmann consiliarius supremi consistorii Lipsiensis in libro suo a. 1783. sub titulo: Christliche Moral edito, hanc methodum observavit, ut remotis caeteris fontibus [illegible]is, ab omni philosophia abstinens, ex solis effatis et exemplis n. t. doctrinam moralem deduceret, id quod breviter, perspicue, additisque officiorum motivis et adminiculis praestitit. Reinhardus amplum, multa eruditione, praesertim philosophica et historica refertum, magno ingenii acumine rerumque ex experientia haustarum usu, ac methodo stricte philosophica conscriptum opus vulgavit, quod ab a. 1788. — 1815. in 5 tomis sub titulo: System der christlichen Moral, comparuit. Auctor theologiam moralem scientiam esse dixit, docentem, in quo secundum doctrinam Christi et apostolorum supremus gradus perfectionis consistat, quem homo in hac vita attingere possit, quibusque mediis et exercitiis ad eum enitatur. Hinc naturae humanae perfectionem seu omnium ejus facultatum excultionem tanquam supremum omnis moralitatis principium proposuit. Facultates humanas prolixe exposuit, atque ex universa anthropologia plurima attulit, non ut moralem theologicam in philosophicam converteret, sed ut ethicam Christianam cum natura humana penitus concordare omni ex parte ostenderet. Hoc opus a plurimis magno plausu exceptum est.

§. 1000. Continuatio.

Interea Cantius in libris: Grundlegung zur Metaphysik der Sitten, et: Kritik der praktischen Vernunft,

principia sua moralia proposuit. Is puram rationem practicam tanquam unicum verum fontem omnium legum moralium, et reverentiam erga illam ac legem moralem ab ea dictatam tanquam fundamentum obligationis moralis et tanquam unicum genuinum motivum statuit, quod homini respicere liceat, ni actiones ejus mercenariae fiant et virtus deturpetur. Igitur Dei auctoritatem et voluntatem a re morali penitus exclusit, hancque non religioni, sed vice versa religionem morali superstruxit, et moralitatis principium hoc statuit, rationi conformiter esse agendum, porro autonomiam rationis asseruit, et in actionum consiliis ac motivis rigorismum introduxit. Haec principia moralia non paucis theologorum Lutheranorum, non tamen omnibus ex toto probabantur. Guilielmus Schmid in libro: Uiber den Geist der Sittenlehre Jesu und seiner Apostel a. 1790. edito, ostendere conatus est, moralem Jesu doctrinam non aliam esse, quam moralem purae rationis, cujus principium illi non tantum ubique substratum sit, sed etiam disertis verbis secundum omnes tres formulas, quibus Cantius illud enuntiavit, in n. t. commemoretur. His sententiis conformes etiam tres libri erant, ab anno 1793. — 97. sermone Germannico ab eo editi, in quibus theologiam moralem pertractavit, nisi quod in altero, et magis in tertio doctrinae morali a Jesu et apostolis traditae plura, quae a morali rationis purae absunt, inesse, et supremum illud principium ab eis non propositum fuisse concesserit. Similiter Ammon in libro: Die christliche Sittenlehre nach einem wissenschaftlichen Grundrisse. Erlangen. 1795., theologiam moralem secundum principia Cantiana pertractavit, et supremum ejusdem principium non quidem disertis verbis in n. t. enuntiari, attamen in pluribus ejus effatis contineri asseruit. Sed in altero libro quem a. 1800. Gottingae sub titulo edidit: Neues Lehrbuch der religiösen Moral und der Christlichen insbesondere, a principiis Cantianis tanquam minus solidis

multum recessit, in summo theologiae moralis principio Dei voluntatem complexus est, et characteres ethicae Christianae conspicuos reddidit. Idem a. 1823. primam partem novi operis sub titulo: Handbuch der christlichen Sittenlehre vulgare coepit, in quo moralem Christianam, nullum systema philosophicum sequens pertractat, et conscientiam religiosam virtutis Christianae veraeque moralis animam pronuntiavit. Stäudlinius a. 1798. Grundrifs der Tugendlehre zu academischen Vorlesungen für zukünftige Lehrer in der christlichen Kirche edidit. Is in non [illegible] quidem a principiis Cantianis recessit, nominatim in eo, quod officia erga Deum admitteret. Doctrinam autem moralem n. t. cum morali rationis purae eandem esse negavit, illamque plenitudine, soliditate, et puritate huic cedere contendit. Has tamen sententias in libro: Grundsätze der Moral zu academischen Vorlesungen a. 1800. edito multum mitigavit, et in alio, qui a. 1805. sub titulo: philosophische und biblische Moral comparuit, universam ethicam biblicam secundum dispositionem historicam pertractavit. Genuinam theologiam moralem anno demum 1813. exhibuit in Lehrbuch der Moral für Theologen. Praeter hos I. E. C. Schmidt in Lehrbuch der Sittenlehre mit besonderer Hinsicht auf die moralischen Vorschriften des Christenthums. Giessen. 1799., Paulus Joach. Sigism. Vogel in Lehrbuch der christlichen Moral. Norimbergae et Altdorfii, et Samuel Theoph. Lange, theologus Rostockiensis in System der theologischen Moral. Lipsiae et Rostockii. 1803., principiis Cantianis in universum inhaeserunt, quamquam in singulis ab eis recederent, et varia sibi propria proferrent.

§. 1001. Continuatio.

Generatim theologi morales, scholae criticae addicti, in eo quidem convenerunt, rationi practicae primatum in morum doctrina, et judicium in omnem ethicam, Christiana non excepta, competere, ita quidem,

ut, si cum ejus effatis non consentiat, divinitas ei abjudicanda sit. Caeterum in his dissenserunt, num ethica Christiana et moralis rationis purae penitus inter se concordent, num supremum moralitatis principium, a pura ratione dictatum, in s. scriptura contineatur, num ethica Christiana quaedam sibi propria, quaedam positiva, quae dictamina rationis practicae excedant, habeat, et an haec sint retinenda. Ab altera autem parte non defuerunt, qui moralia Cantii principia improbarent, et moralistis, ethicam Christianam eis conformantibus adversarentur, quos inter notatu digniores sunt Reinhardus, Maasius, in libro: Ueber die Aehnlichkeit der Christlichen mit der neuesten philosophischen Sittenlehre, Lipsiae a. 1791. edito, et Döderleinius, qui a. 1789. edidit: Kurzer Entwurf der christlichen Sittenlehre zum Gebrauche seiner Vorlesungen, in quo libro tota virtus fidei in Deum, supremo ejus dominio et retributioni superstructa, atque omnia secundum s. scripturam et usum practicum exposita erant. Hi aliique moralistarum Cantianorum adversarii ostendebant, locis n. t. ab istis sensum alienum affingi, esse officia Christiana, quae e supremo principio rationis practicae derivari nequeant, revelationem jam vi conceptus sui praescripta continere debere, rationi impervia, adeoque propter solam auctoritatem divinam admittenda, Jesum et apostolos doctrinas suas morales religioni superstruxisse, motiva, sensualitatem tangentia passim adduxisse, docuisse, hominem non suis viribus, sed solo gratiae divinae auxilio emendari posse, eorum doctrinam practicam naturae humanae universae magis accommodatam efficaciorem, pluribusque hominis indigentiis congruam esse, quam criticam. Haec quidem a Cantianis facile negari non poterant, unde etiam factum est, ut paulatim permulti eorum a priori systemate suo deflecterent, et pauciores postea illud sequerentur. Nihilominus Cantii principia moralia durabiles quosdam affectus in colenda theologia morali apud universos

produxerunt, cujusmodi erant, quod illius cum ratione consensioni demonstrandae jam major opera impendebatur, quod eudaemonismo, qui illa aetate haud pauca scripta moralia infecerat, obex ponebatur, et in proponendis motivis major cautio adhibebatur, quod doctrinae moralis dignitas et soliditas haud parum firmabatur. Hi effectus in scriptis moralibus, quae postea comparuerunt, passim cernebantur. Horum recentissima quaedam sunt: Georg. Jac. Lud. Reufs, System der reinen populär-praktischen christlichen Sittenlehre, ein Handbuch für [illegible]nslehrer und angehende Theologen. Lipsiae. 1819. Auctor omnia officia sub quatuor virtutes principales distribuit conscientiae religiositatem, veritatis amorem, sui ipsius moderamen, et studium veritati cognitae conformiter agendi; — Theoph. Phil. Christ. Kaiser biblische Moral. Erlangae. 1821. quae tota ex bibliis hausta est; — Frid. Henr. Christ. Schwarz, professoris Heidelbergensis evangelisch-christliche Ethik, ein Handbuch für Theologen und andere gebildete Christen. Heidelbergae. 1821. Huic auctori principium ethicae Christianae, quam multa cum claritate pertractat, est conscientia; — I. F. de Flatt, praelati Würtembergensis et theologiae in universitate Tubingensi professoris († 1821.) Vorlesungen über christliche Moral, aus den Papieren desselben nach seinem Tode herausgegeben von I. C. F. Steudel. Tubingae. 1823. In hoc opere voluntas divina per Jesum revelata tanquam principium cognoscendae moralis et tanquam ultima obligationis ratio proposita, motivorum Christianorum efficacia et puritas demonstrata, ethicaeque Christianae consensus cum morali rationis et sensu honestatis indicata est.

§. 1002. Continuatio.

Casuistica inter Lutheranos velut singularis scientia nunquam fuit tractata. Quod autem jam superiori periodo apud eos usu venerat, ut vel singuli theologi,

vel integrae facultates theologicae requisitae de singularibus casibus magis intricatis in religionis negotio sententiam suam dicerent et conscriberent, etiam hac periodo usque ad medium circiter saeculum 18. perduravit. Ejusmodi judicia, seu, ut etiam dicebantur consilia theologica, nonnunquam etiam sive singula, sive collecta typis vulgata sunt. Sic Spenerus aliique consilia theologica, quae hic vir numero plurima de diversissimis rebus religiosis et ecclesiasticis scripto dederat, collecta prelo commiserunt. Christianus Frid. Börner ultra 200 judicia, a facultate theologica Lipsiensi, cui ipse adscriptus erat, partim 17., partim 18. saeculo data, a. 1751. typo communicavit. Baumgartenius ultimus erat, qui collectiones consiliorum theologicorum, partim a se, partim a facultate Halensi datorum instituit publicavitque. Consilia et judicia in his collectionibus data, materias ad jurisprudentiam ecclesiasticam, ad theologiam pastoralem, dogmaticam, moralem pertinentes, pauciora conscientiae casus concernunt. — Theologiam mysticam inter Lutheranos praecipue Speneriani coluerunt. Ex orthodoxis nonnulli, velut Val. Ernest. Löscher, I. Guil. Jäger, theologus Tubingensis, Joannes Franke, Rostockiensis, theologiam mysticam genuinam a spuria secernere, hanc refutare, illam ex s. scriptura accuratius definire conati sunt, sed nihil aliud protulerunt, quam eam in poenitentia, justificatione, spiritus renovatione, sapientiae ac virtutis studio consistere. Quaecuncque autem theologia mystica inter Lutheranos fuerit, ejus cultura, progrediente saeculo 18., praecipue altero ejus dimidio magis magisque decrevit, ad quod etiam I. Joachimus Spalding libro suo: Ueber den Werth der Gefühle im Christenthum, a. 1761. edito nonnihil contulit, cum illud pretium satis depressisset. — Neque ascesin Lutherani multum coluerunt. Fuerunt tamen inter eos, qui devotionem et pietatis sensa meditationibus, orationibus, et canticis, hunc in finem scriptis excitare et alere stude-

rent. Hoc scriptorum genere prae aliis inclaruerunt: I. Andreas Cramer, G. Frid. Seiler, I. Petrus Miller, I. Augustus Hermes, praedicator Dittfurthensis in ditione Quintelburgensi, Christophorus Christ. Sturm, I. Fridericus Feddersen, praepositus Altonae († 1788.) J. Georg. Rosenmüller, Aug. Herm. Niemeyer, et ex poetis: Gellert, Klopstock, Utz, Weisse, Münter.

§. 1003. Inter Calvinianos.

Calviniani etiam in theologia morali et numero et praestantia scriptorum Lutheranis multum inferiores fuerunt, nec tantas quoad materiam et formam illius mutationes susceperunt. Antiquiores doctrinas morales generaliores secundum pristinam methodum inter ipsa dogmata locis convenientibus exposuerunt. Campegius Vitringa a. 1716. systema theologiae practicae, sive de vita spirituali brevem commentationem edidit, in qua de hac potissimum agitur, rejecta distinctione inter contemplativam et activam, vitam vere spiritualem semper etiam activam esse docetur, et quae ejus indoles sit, quibus modis sese exerat, ostenditur. F. Adolphus Lampe in delineatione theologiae activae, ex limpidissimis doctrinae evangelicae fontibus petitae, a. 1727., et A. Witsius in schediasmate theologiae practicae, a. 1729. Groningae edito, doctrinam moralem arctissime cum dogmatica conjunxerunt, eamque tamquam practicam hujus applicationem pertractarunt. Similiter Wittenbachius in compendio theologiae dogmaticae et moralis, a. 1754. edito, plura ad ethicam spectantia in dogmatica exhibuit, caetera moralia separatim quidem tractavit, attamen immediate ex dogmaticis derivavit, simulque quis inter ista locus eis conveniat, indicavit. Vernetus in posteriori parte institutionis suae Christianae, etiam doctrinam moralem secundum s. scripturam et rationem multa cum perspicuitate et facundia pertractavit, atque ita versatus est, ut prius generales quasdam et praeliminares materias velut de gravitate

et fundamentis ethicae Christianae, de conditionibus actionum moraliter bonarum, deinde officia erga Deum, nos ipsos et proximum, postremo officia particularia singulorum statuum, conditionum et relationum exponeret. Praecipuum opus morale, quod hac periodo inter Calvinianos prodiit, est Stapferi Sittenlehre, 6 tom. 1756. — 66. In hoc opere pariter praecedunt dissertationes de materiis praeliminaribus et generalioribus; sequuntur hominis officia omnis generis, ubi motiva, et transgressionum sequelae diligenter notantur; postremo ascesis exponitur. Rationes generales cunctorum officiorum humanorum auctor partim in supremo Dei dominio ejusque perfectionibus, partim in hominis destinatione ad perfectionem et felicitatem posuit. Fundamentum ethicae Christianae dogmaticam quidem statuit, non tamen ex hac multa illi intulit. Rigorem Calvinismi secundum morem plerorumque Reformatorum sui temporis plurimum mitigavit. Cum philosophiae Wolfianae patronus esset, non tantum amplum ejus usum in suo opere fecit, sed etiam illud totum methodo systematica et philosophica multa cum soliditate et perspicuitate elaboravit. C. G. Robertus, professor theologiae apud Marburgenses a. 1770. ethicae Christianae compendium in auditorum usum elaboratum edidit. Is theologiam moralem, remota omni philosophia ex sola s. scriptura hausit, simul tamen ejus cum sana ratione et experientia consensum monstravit. Amorem erga Deum primariam moralitatis legem statuit. Falsiloquia in certis casibus non tantum licita, sed etiam praecepta pronuntiavit. Bertrandi elementa moralis universalis a. 1775., ejusdemque ethica evangelica, seu considerationes in orationem Christi montanam, paucos post annos in lucem emissa, pertinent inter opera moralia, populari magis quam scientifica methodo elaborata. Samuel Endemann, post Robertum theologiae in universitate Marburgensi professor, in suis institutionibus theologiae moralis, a. 1780. in 2 voluminibus vul-

gatis, decessorem suum in plerisque rebus secutus est. Ejusdem compendium theologiae moralis, post quatuor annos in lucem emissum, sicut compendiam Roberti in plerisque Calvinianis Germanniae scholis theologicis ad praelectiones publicas introductum fuit. Recentissima theologia moralis, quae inter Calvinianos comparuit, illa est, quam de Wette a. 1819. sub titulo: Christliche Sittenlehre vulgare coepit, quae multa sibi peculiaria habet, et prolixam historiam ethicae Christianae, duos tomos implentem exhibet.

§. 1004. Continuatio.

Mysticismus hac periodo plures quidem cultores inter Calvinianos nactus est; sed qui scripta mystica edidissent, nulli extiterunt, nisi forte huc referantur auctores diversorum scriptorum pseudomysticorum, cura sodalitatis Basileensis, a tractatibus compellatae, postremis his annis vulgatorum. Ipse Petrus Poiret, Gallus Metensis, in diversis Germanniae ac Bataviae locis praedicator, talia non composuit, etiamsi scripta mystica aliorum admodum coleret, verteret, ederetque, et mysticismum, cujus maximus patronus erat, pro viribus promoveret. At libros asceticos et devotioni sensisque pietatis excitandis accommodatos plures ex Calvinianis elucubrarunt. Horum librorum celebriores sunt: Petri Roques verus pietismus, seu tractatus, in quo natura et effectus pietatis explicantur, Gallice scriptus, et a. 1731. in lucem emissus. — J. Friderici Osterwald, praedicatoris Neocomensis († 1747.) Abhandlung von den Quellen des Verderbens unter den Christen; — Joannis Tobler plura opuscula ascetica, a. 1776. collectim in 3 tomis edita, inter quae sunt: Ermunterungen, mein Mögliches zu thun; vom wahren Trost für allerley Traurige; Gedanken und Seufzer eines guten Christen an seinem Ende; — Georgii Joach. Zollikofer, praedicatoris Calvinianorum Lipsiensium († 1788.) Andachtsübungen und Gebethe zum Privatgebrauche

für nachdenkende und gutgesinnte Christen. 2 tom. Lipsiae. 1785. Frid. Adolphi Krummacher, tum praedicatoris Kettwigensis in Westphalia Festbüchlein. 2 tomuli. 1808. et 1810. — Ex Anglicanis tanquam theologiae moralis scriptor innotuit Thomas Stackhouse, cujus ethica Christiana, Anglice scripta, methodo populari exarata est. Ex iisdem Isaacus Waats, († 1748.) et Philippus Doddridge, uterque praedicator Presbyterianorum, rem moralitatis et pietatis scriptis promovere conati sunt, prior quidem in institutione ad orationem, in doctrina de motibus animi et de humilitate, posterior in libro: de initio et progressu verae pietatis in anima humana.

§. 1005. Status theologiae pastoralis. Inter Catholicos.

Priori saeculi 18. dimidio ille status theologiae pastoralis inter Catholicos in universum adhuc perduravit, qui elapsis saeculis obtinuerat, ex quo theologia ista non tanquam singularis scientia in scholis tradebatur, sed ea, quae futuro animarum curatori ad munus suum rite obeundum, necessaria erant, partim in jure canonico, partim in casuistica vel theologia morali adferebantur, partim proprio futuri pastoris studio committebantur. Huic quidem plures libri succurrebant, verum inter hos nullus erat, qui institutiones pro omnibus muneris pastoralis partibus methodo quadam systematica exhiberet; sed qui subinde comparebant, etsi praestantiores inter eos non deessent, aliqua tantum munera pastoralia complectebantur, magisque sacerdotibus informandis, quam futuris animarum curatoribus excolendis apti erant. Hujusmodi libri erant: Joannis Opstraet pastor bonus, seu idea, officium, et praxis pastorum; liber, qui propter praestantiam suam in pluribus locis, praesertim Germanniae, altero adhuc elapsi saeculi dimidio recusus est; — Alphonsi de Ligorio homo apostolicus instructus in sua vocatione ad audiendas confessiones, sive praxis et instructio confessariorum. Tres

tom. 4. opus pariter multis, praesertim Italis probatissimum; Manginii, Galli, introductio ad s. ministerium, seu methodus, digne implendi omnes functiones status ecclesiastici tam spirituales, quam temporales; opus Gallice scriptum 1750. Parisiis. 3 voll. — Ducosii, pariter Galli, pastor apostolicus, et ipse Gallice scriptus. Lugduni 1751. 2 voll. — Francisci Neumayr vir apostolicus, a. 1771. Ingolstadii editus. — Majores progressus theologia pastoralis inter Catholicos in Germannia fecit, ex quo in reformatione studiorum theologicorum in terris Austriacis simul decretum fuerat, ut in posterum theologia tanquam singularis disciplina plene et practice atque in lingua vernacula traderetur, quem in finem Rautenstrauchius a. 1778. Viennae edidit: Tabellarischer Grundrifs der in deutscher Sprache vorzutragenden Pastoraltheologie. Quo facto jam plures viri non tantum in Austriacis, sed etiam in aliis Germanniae Catholicae terris surrexerunt, qui disciplinas theologicas reformandi studio, quod tum inter Germannos Catholicos exardescebat, animati, opera pastoralia elucubrabant, omnes aut plerasque partes muneris pastoralis complectentia et methodo scientifica et systematica concinnata.

§. 1006. Continuatio.

Talia erant: Fr. Ch. Pittroff Anleitung zur praktischen Gottesgelehrtheit nach dem Entwurfe der Wiener-Studienverbesserung zum Gebrauche academischer Vorlesungen. 3 tom. Pragae. 1778. et 79. Kirchenamts-Politik nach den allgemeinen und besondern Verhältnissen der Kirchenstatistik und Pastoralklugheit in der Anwendung auf die Seelsorgergeschäfte; — Michaelis Horvath, professoris Budensis theologia pastoralis. Viennae. 1780. — 81. 3 tom. — Josephi Lauber institutiones theologiae pastoralis. 3. tom. 1780. — 81. Praktische Anleitung zum Seelsorgeramte oder Pastoraltheologie. Brunae. 1790. — Francisci Giftschütz, theologiae in universitate Viennensi professoris Leitfaden für die in den k. k.

Erblanden vorgeschriebenen deutschen Vorlesungen der Pastoraltheologie. 2 tom. Viennae. 1785. — J. Michaelis Sailer Vorlesungen aus der Pastoraltheologie. 3 tom. Monachii. 1788. — 89. Neue Beyträge zur Bildung des Geistlichen. 1809. — Francisci Andreae Schram vollständiges System der Pastorallehre. 2 tom. Wirceburgi. 1788. — 91. — Francisci Geiger, parochi Endrichingensis Pastorallehre von den Pflichten des Seelsorgers. Augustae Vindel. 1789. qui liber non tam institutionem scientificam, quam admonitionem ad animarum curatores continet, officia muneris sui rite explendi, et pro triplici eorum, qua Christianorum, qua civium, qua pastorum relatione multa oportuna monita suppeditat; — Petri Conrad, professoris Trevirensis, Leitfaden der deutschen Vorlesungen über die Pastoraltheologie zu Trier. 2 tom. Treviri. 1789., liber maximam partem ex decretis synodalibus, praescriptis dioecesanis, et epistolis pastoralibus contextus; — Gregorii Köhler Anleitung zum praktischen Unterricht künftiger Seelsorger. Moguntiae. 1789. Praktische Anleitung für Seelsorger am Kranken- und Sterbebette. Ibid. 1792. Praktische Anleitung für Seelsorger im Beichtstuhle. Ibid. 1796. — J. V. Fichtl Entwurf aller berufsmäfsigen Pflichten eines Seelsorgers in einer theoretisch-praktischen Anleitung. Augustae Vindel. 1789. — Leopoldi Aloysii Hoffmann Handbuch für Prediger und Seelsorger. Pesthini et Viennae 1789. — Wolfgangi Anselmi de Edling, der Priester, wie man ihn wünschen mag, und wie er nicht alle Tage zu haben ist. 4 tomi. Graecii. 1794. — Caroli Schwarzl, theologi Friburgensis Anleitung zu einer vollständigen Pastoraltheologie. 3 partes. Augustae Vindel. 1799. et 800. — Matthiae Fingerlos liber sub titulo: Wozu sind Geistliche da? 2 tom. Landishuti. 1800. Versuch einer Pastorallehre. 2 tom. Ibid. 1805. — Mauri de Schenkl institutiones theologiae pastoralis. 1802. — Dominici Gollowitz Anleitung zur Pastoraltheologie im weitesten Umfange. 2. tom. Landishuti 1803. — Francisci Pollaschek regulae

pastorales in usum suorum auditorum, ad curam animarum finito anno scholastico egressorum. Olomucii. 1803. — Andreae Reichenberger, theologiae pastoralis in universitate Viennensi professoris Pastoralanweisung nach den Bedürfnissen unsers Zeitalters. 5 tom. Viennae. 1805. — 11. Hic liber ab autore in epitomen redactus in terris Germanno-Austriacis pro academicis praelectionibus publica auctoritate praescriptus est; — Thomae Josephi Powondra, theologiae pastoralis in lyceo Olomuceno professoris, [illegible]na theologiae pastoralis. 6 tom. Viennae. 1818. — 19. Praeter haec opera recentioribus temporibus inter Germannos Catholicos plura scripta periodica, nomine emporiorum, archivorum, scriptorum menstruorum etc. comparuerunt, in quibus plurimae et diversissimae materiae, omnes partes muneris pastoralis attinentes sparsim, et haud raro praestanter pertractatae sunt. Ex his scriptis illud prae caeteris commemorari meretur, quod nomine: Theologisch - praktische Monathschrift, curante Francisco Freindaller, canonico regulari ad S. Florianum in Austria supra Onasum, aliquamdiu theologiae apud Lincienses professore, Lincii ab anno 1802. comparuit.

§. 1007. Continuatio.

De singulis quibusdam theologiae pastoralis partibus, velut de homiletica, catechetica et liturgica, ante restaurationem illius disciplinae in generalibus pro munere pastorali informationibus praecipere non consuetum erat, et postea quoque, quum institutiones pastorales, illas partes jam complecterentur, eae tamen in pluribus libris singularibus diligentius et uberius excolebantur. Ex singularibus institutionibus ad homileticam vel eloquentiam sacram, quae labente hac periodo comparuerunt, notatu digniores sunt sequentes: Blasii Gisberti, Jesuitae Galli, bonus gustus eloquentiae Christianae, Lugduni. 1702, postea vero a. 1715. plurimum auctus et emendatus sub titulo: eloquentia

Christiana in idea et in praxi editus, qui liber, Gallice scriptus, non solum Catholicis, sed etiam Protestantibus adeo placuit, ut eum saepius recuderent, additamentis et annotationibus augerent, in linguam Germannicam transferrent, et ita translatum anno 1788. Simpertus Schwarzhueber denuo typis exprimi curarit; — Natalis Alexandri institutiones concionatorum. Parisiis. 1713. — Vincentii Houdry bibliotheca praedicatorum, Lugduni a. 1716. Gallice edita, in qua praeter regulas homileticas etiam themata et dispositiones sermonum sacrorum una cum locis, e s. scriptura et sanctis patribus eis convenientibus, nec non exempla e praestantibus oratoribus sacris, et propriae auctoris elaborationes adferuntur; — Muratorii liber, Italice scriptus et Venetiis a. 1750. editus: de concionibus eloquentiae popularis, quam auctor prae sublimiori et artificiosa commendat, atque eruditionem et rem scholasticam a concionibus abesse jubet; — Joannis Nogherra dissertationes de moderna eloquentia sacra, et de moderno stylo profano et sacro, liber pariter Italice scriptus et Venetiis a. 1753. editus; — Hermanni Goldhagen rhetorica, applicata ad eloquentiam civilem et ecclesiasticam. Manhemii. 1760. — Rudolphi Graser, Benedictini Cremifanensis vollständige Lehrart zu predigen, oder wahre Beredsamkeit der christlichen Kanzel, nach den Vorschriften der berühmtesten Redner Frankreichs und Deutschlands in gründlichen Regeln verfaſst. Augustae Vindel. 1768., cui operi, magnam partem ex antecessoribus hausto, sed et propriis auctoris observationibus multis et egregiis instructo, tanquam altera pars a. 1769. accessit Beredsamkeit auf der Kanzel in Regeln, Exempeln und vollständigen Mustern; — Ignatii Wurz, e societate Jesu homileticae in universitate Vindobonensi professoris, Anleitung zur geistlichen Beredsamkeit. 2 tom. Viennae. 1770.—72. opus prolixum, a copia regularum, monitorum utilium, et exemplorum commendatum, quod auctor paucos post annos in compendium

redegit, cui nec claritas, nec scitu necessariorum quidquam dee t; — Henrici Braun Anleitung zur geistlichen Beredsa eit. Monachii. 1779., in qua auctor multum de a us et passionibus excitandis ac dirigendis praec ., — Leopoldi Aloysii Hoffmann Anleitung zur gei en Beredsamkeit. Viennae et Pesthini. 1790. — J. Micha s Sailer kurzgefaſste Erinnerungen an junge Prediger. Monachii. 1791. — Phil. Josephi Brunner Beyträge zur Homiletik. 4 tomuli. Salisburgi. 1791. — 95. Ejusdem neue Beyträge zur Homiletik. Heilbronnae. 1802. — 1804. 2 tomuli. — lmi Mercy Grundsätze der Beredsamkeit für junge G iche. Ulmae. 1810. — J. Sev. Maury cardinalis, postea archiepiscopi Parisiensis, principia eloquentia pro sacra cathedra et pro tribunali. Parisiis. 1804., liber Gallice scriptus, in quo strictim et singulariter non tantum regulae homileticae proponuntur, sed etiam praecipui oratores sacri Gallorum et Anglorum secundum eorum virtutes et vitia describuntur, Hispani autem et Germanni elementis eloquentiae Christianae adhuc inhaerere judicantur. His similibusque scriptis nec non iis, quae in universalibus institutionibus theologiae pastoralis proponebantur, ars homiletica inter Catholicos ad insignem perfectionis gradum evecta, non tantum quoad formam, sed etiam quoad materiam emendata et completa, rectitudine, plenitudine, soliditate, et methodo systematica instructa est. Nec inutilis theoria permansit, sed quemadmodum ex praeclaris eloquentiae sacrae exemplis magnam partem hausta erat, ita vice versa eandem eloquentiam reapse multum promovit, et accedentibus praesulum ecclesiaticorum et nonnullorum summorum principum curis effecit, ut numerus bonorum concionatorum, saltim in Germannia Catholica longe major esset, quam elapsis saeculis fuerat. Non tamen de omnibus terris Catholicis idem valet, quamquam certe nulla est, quae non meliores quosdam imo egregios oratores sacros hac periodo habuerit. In Gallia primo saeculi 18. dimidio Joannes Massillon, ex pres-

presbytero oratorii episcopus Claramontanus († 1742.) a suavitate et simplicitate dictionis, a sublimitate cogitationum et ab arte, animum movendi et peccatorum effugia eludendi celebratus, et Guilielmus de Segaud, e societate Jesu († 1748.) a vivida morum descriptione laudatus, inclaruerunt. Post hos vera eloquentia sacra inter Gallos defecit et nonnisi quaedam ejus affectatio, garrulitas splendoris cupida, at simplicitate et vi destituta locum habuit. Inter Germannos eloquentia sacra usque in alterum saeculi 18. dimidium supina jacuit. Ab illo autem potissimum tempore, quo studia theologica inter eos reformari coeperant, etiam meliores et nonnulli praestantes oratores sacri surrexerunt.

§. 1008. Continuatio.

Multo magis quam homiletica, ars catechetica inter Catholicos per magnam hujus periodi partem jacuit. Curam gerere, ut parvuli aut rudiores introductum catechismum memoriae mandarent, loca aut dicta ejus difficiliora qualicuncque modo explicare, memoriae mandata requirere, haec fere erant, quae a catechetis praestabantur. Quae cum sine speciali institutione facile praestari possent, ejusmodi institutiones a nemine conscriptae, sed solummodo a nonnullis novae interdum catecheses in subsidium catechizantium exaratae sunt. Tales erant: Amati Pouget institutiones Catholicae in modum catecheseos, quae Venetiis annis 1761. et 65. in 2 tomis fol. prodierunt, atque etiam in linguam Germannicam sub titulo: Katholische Unterweisungen aus der Schrift und Erblehre translatae sunt: — Ludovici Lipsin catechismus historico-dogmaticus, in quo symbolum apostolorum explanatur, in usum missionariorum et parochorum. Venetiis 1753. — Ambrosii Wiest biblischer Catechismus. Augustae Vind. 1767. — Recentiori tamen tempore Catholici in Germannia gravitatem et necessitatem artis catecheticae intelligere coeperunt, atque jam ejus theoriam conde-

a, hanc magis magisque excolere et in praxin deducere, a[illegible] meliores catechismos aliosque libros catecheticos c[illegible]ponere eventu haud infelici conati sunt. Primus, [illegible] his de rebus eos admonuit, methodumque melio[illegible] eis monstravit, fuit Michael Ignatius Schmidt, [illegible] lle historiae Germannorum scriptor, tunc [illegible] clericalis Wirceburgensis moderator. Is a. [illegible]769. methodum tradendi elementa prima religionis, [illegible] catechizandi edidit, quae quidem minime plena, [illegible]ec satis systematica erat, interim tamen praeter alia [illegible]na id urgebat, ut [illegible]ae mandanda intellectui prius admoveantur, par[illegible]ptis interrogationibus ad res respondendas ipsi perducantur, eumque in finem methodus Socratica adhibeatur. Hic Schmidtii liber a [illegible]nedicto Strauch, decano canoniae Saganensis in Silesia in linguam Germannicam translatus, atque a Francisco Ignatio Felbiger, ejusdem canoniae praeposito praefatione instructus a. 1772. Bambergae sub titulo [illegible]: Der Katechist nach seinen Eigenschaften und [illegible] oder die rechte Weise, die ersten Gründe der Religion zu lehren. Idem Felbiger non multo post proprium opus catecheticum conscripsit, quod a. 1774. Viennae sub titulo: Vorlesungen über die Kunst zu katechisiren comparuit, atque eadem fere cum Schmidtianis principia exhibet. Eodem anno Philippus Jacobus Tangel ibidem Erläuterungen über das geschickte und zweckmäfsige Katechisiren edidit. Lincii Octavius Zoffal a. 1793. typis vulgavit: Entwurf der psychologisch katechetischen Lehrart nebst einem practischen Versuche eines christkatholischen Unterrichts für die kleinsten Kinder. Eodem anno Bernardus Galura Friburgi Brisgojae communicavit Grundsätze der wahren Socratischen Katechisirmethode. Michael Vierthaler in libro a. 1793. Salisburgi sub titulo: Geist der Socratik, a se edito, etiam ostendit, qua ratione methodus Socratica in institutione religionis adhibenda sit. Paderbornae a. 1794. Anleitung zum practischen

Katechisiren; in fano autem S. Hippoliti a. 1796. Vollständige Anleitung zum katechisiren sowohl auf Schulen als in der Kirche in 2 tomis comparuit. Wratislaviae a. 1802. Anton. Godef. Steiner Versuch einer Theorie der katechetischen Dialogik zum Gebrauche eigener Vorlesungen für Studierende, et H. Mücke Versuch eines Lehrbuches der Katechetik edidit. Vitus Antonius Winter conscripsit religiös-sittliche Katechetik, quae a. 1811. Landishuti comparuit. Vindobonae a. 1819. J. Michael Leonhard, canonicus scholasticus, et supremus scholarum Germannicarum in terris Austriaco-Germannicis inspector, typis exprimi curavit: Theoretisch-practische Anleitung zum katechisiren als Leitfaden zu den katechetischen Vorlesungen und zur eigenen Bildung für katholische Religionslehrer. Idem non multo post alium librum a se exaratum communicavit, in quo ostenditur, quomodo secundum regulas, in institutione theoretica propositas, singulae religionis doctrinae tradendae sint. Eodem anno 1819. Guilielmus Friedrich, informator in schola quadam, quam Catholici Erlangae habent, ibidem edidit: Versuch einer neuen katechetischen Anleitung zur Begründung ächter und lebendiger Religion. Recentissima, quae hac periodo comparuit, institutio catechetica illa est, quam Josephus Weinkopf, artis catecheticae et didacticae Viennae ad S. Annam professor elaboravit, et a. 1822. sub titulo: Wissenschaftliche Katechetik und Didactik publici juris fecit.

§. 1009. Continuatio.

At vero non tantum institutiones catecheticae, sed etiam plures novi catechismi, et permulti libri elaborati sunt, in quibus vel catechismi exponuntur, vel religionis doctrinae, tam theoreticae, quam practicae alio ordine et modo, juxta diversam instituendorum aetatem, ingeniique culturam diverso traduntur, vel etiam historicae biblicae et pericopae evangelicae modo populari

[illegible] r. Imprimis praepositus Felbiger a. 1766. tri- [illegible] echismum, Germannice scriptum in usum scn[illegible], quae ad ejus canoniam pertinebant, edidit. Prim[illegible] o infima classe parvulorum destinatus, et ab ipso [illegible] ger compositus, fidei elementa, maxime nece[illegible] t solum memoriae mandanda continebat. Alte[illegible] quem sicut tertium Benedictus Strauch exaravit, pro [illegible] unda classe destinato, omnes fidei doctrinas discer[illegible] n intellectui et persuasioni admovere propositum erat. Tertius denique, in suprema discipulorum classe exponendus, do[illegible] morum exhibebat et voluntati excolendae compa[illegible] s erat. Hic catechismus Felbigerianus ex catechismo Petri Canisii ita haustus erat, ut alia in meliorem ordinem collocata, alia addita, et stylus emendatus esset. Idem non tantum per reliquam Silesiam Borussicam, sed etiam per alias quasdam Germanniae Catholicae terras introductus, et a. 1771. Bambergae et Wirceburgi sub titulo: Katholischer Katechismus zum Gebrauche der schlesischen und anderer Schulen editus est. Secundum eundem et Canisianum ille compositus est, quem imperatrix M. Theresia sub praesidio cardinalis et archiepiscopi Viennensis Migazzi exarari curavit, et a. 1777. in omnibus provinciis Germanno - Austriacis, consentientibus cunctis earundem episcopis introduxit. Similes catechismi in aliis terris Germanniae Catholicae introducti sunt. In nonnullis antiquus Canisianus retentus est. Hinc inde, praesertim extra Germanniam catechetae vel Tridentino seu Romano, vel Bellarminiano utebantur. In Gallia in diversis dioecesibus diversi catechismi in usu erant. Anno autem 1806. unus pro omnibus totius Galliae ecclesiis Catholicis catechismus, approbationem legati pontificii in fronte gerens, Napoleonis decreto praescriptus est, qui fere ex toto major Bossueti catechismus erat, et nonnisi in quarto decalogi praecepto proprium de imperatore capitulum adjectum habebat. Reliquorum scriptorum catecheticorum, quae inde ab

octoagesimis elapsi saeculi annis usque ad hodiernum diem inter Catholicos in Germannia comparuerunt, maxima est multitudo, et quoad amplitudinem, conditionem instituendorum, methodum, et bonitatem diversitas.

§. 1010. Continuatio.

De liturgia rite et secundum praescripta ecclesiae peragenda scriptores theologiae pastoralis in universalibus suis institutionibus praecipere non omiserunt. Fuerunt vero recentioribus temporibus inter Germannos Catholicos nonnulli, qui de liturgia in universum scripto tractarent, ejus principia proponerent, quomodo conformanda et emendanda sit, ratiociniis et propositis speciminibus ostenderent. Tales erant: Martinus Gerbert, (Principia theologiae liturgicae. 1759. Vetus liturgia Allemannica, disquisitionibus praeviis, notis, et observationibus illustrata. 3 tom. 1776. Monumenta veteris liturgiae Allemannicae in 2 voll.) Augustinus Krazer, (De apostolicis, nec non antiquis ecclesiae Occidentalis liturgiis, illarum origine, progressu, ordine, liber singularis. Augustae Vind. 1786.) Gregorius Köhler, (Principia theologiae liturgicae ex selectissimis auctoribus. Moguntiae. 1788.) Benedictus Maria Werkmeister, (Beyträge zur Verbesserung der katholischen Liturgie in Deutschland. Ulmae. 1789.) Felix Antonius Blau, qui a. 1792. edidit: Ueber die Wirksamkeit der gottesdienstlichen Gebräuche in der katholischen Kirche, postquam jam anno 1789. una cum Antonio Josepho Dorsch Beyträge zur Verbesserung des äusseren Gottesdienstes in der katholischen Kirche, Francofordii ad Moenum edidisset. L. Busch, (liturgischer Versuch, oder deutsches Ritual für katholische Kirchen. Erlangae. 1803.) Jos. Michael Schellhorn, (Arnsteins Beyträge zur zweckmässigen Einrichtung des öffentlichen katholischen Gottesdienstes und der Liturgie. 1805.) Anno sequenti Tubingae comparuit Entwurf ei-

nes neuen Rituals von einer Gesellschaft katholischer Geistlichen des Bisthums Constanz. Antonius Winter, (Prüfung des Werthes und Unwerthes unserer liturgischen Bücher 1804. Liturgie, was sie seyn soll, unter Hinblick auf das, was sie im Christenthume ist, oder Theorie der christlichen Gottesverehrung, vermehrt mit Empirie 1809. Erstes deutsches kritisches Meſsbuch. 1810.)

§. 1011. Inter Lutheranos.

Etiam theologia pastoralis magnas inter Lutheranos mutationes hac periodo experta est. Primis ejus temporibus Speneriani in suis institutionibus pastoralibus ostendeer conabantur, in pastore magis animum regeneratum et pietatis studium, quam orthodoxiam et eruditionem esse requirendam, eum severos mores a saeculi levitate longe alienos prae se ferre oportere, ei in id nitendum esse, ut fideles ei concrediti non solum veram fidem habeant, sed vel maxime constanti vitae emendationi studeant, alios quoque docere et emendare satagant, adeoque et ipsi quodammodo sacerdotes fiant. Talia consilia et principia secuti sunt Joachimus Lange, qui institutiones suas pastorales, a. 1707. Norimbergae editas, ad methodum institutionum medicarum adornavit, adeoque de physiologia, pathologia, semiotica, diaetetica, pharmaceutica, et chirurgia spirituali tractavit; A. H. Franke, qui in monitis suis pastoralibus, oder theologischen Erinnerungen und Vorschlägen für einige im Lehramt stehende Freunde, a. 1717. Halae editis, in pastoribus consilia, muneri eorum rite obeundo apta, producere studuit, eisque severisissimas morum regulas praescripsit. Sed sicut in aliis rebus, ita et in theologia pastorali Speneriani eorumque adversarii nonnihil de suis sententiis progressu temporis remiserunt, et tandem talibus theologis locum cesserunt, qui utriusque partis bona conjugerent. Ex his notatu digniores sunt: Salomo Deyling,

cujus institutiones prudentiae pastoralis, a. 1734. Lipsiae publicatae simul jus ecclesiasticum Saxonicum complectuntur, et ob plenitudinem, rerum usui aptarum selectum, eruditionem, dictionis claritatem aliasque dotes egregias inter praestantissimos hujus generis libros Lutheranos referuntur; Christ. Tim. Seidel, theologus Helmstadiensis, qui in sua Pastoraltheologie quam plurimas sapientes regulas, meditationi et experientiae innixas, etiam pro multis casibus rarioribus communicavit. Toellnerus in Grundrifs einer erwiesenen Pastoraltheologie a. 1767. edito, hanc theologiam in ordinem et formam scientificam redigere conatus est, eumque in finem omnia ad ejus ambitum pertinentia ex principiis generalibus, in s. scriptura fundatis deduxit, sed nonnisi theoremata principalia evolvit, concatenavit, comprobavit. Cum hoc tempore naturalismus inter Lutheranos invalesceret, etiam de muneris pastoralis origine, necessitate, utilitate, dignitate, fine, officiis, conceptus longe viliores propagabantur. Itaque jam de universo statu pastorum abrogando in scriptis agebatur, pastores passim praedicatores et doctores populi appellabantur, eruditio eis vel minus necessaria, vel plane inutilis, imo noxia judicabatur, postulabatur, ut simul ludimagistri et usque ad certum quemdam gradum paedagogi, oeconomi, jurisconsulti, medici essent. His ausibus alii scripta particularia opposuerunt, in quibus muneris pastoralis finem sublimem, dignitatem, utilitatem tuebantur, atque ad ejus aestimationem restaurandam continuo majorem pastorum culturam commendabant. Tales erant: Spalding, (über die Nutzbarkeit des Predigtamtes und deren Beförderung. Berolini. 1772.) David Gottlieb Niemeyer, (über den Wachsthum christlicher Lehrer in Erkenntnifs und Erfahrung nach den Bedürfnissen unserer Zeit. Lipsiae 1778.) Lüdke, (Gespräche über die Abschaffung des geistlichen Standes.

Berolini. 1784.) Schuderoff, (Predigerspiegel. Lipsiae. 1800.) Ewald, (Geist und Würde des christlichen Religionslehrers. Heidelbergae. 1806.) Alii harum rerum aliarumque indigentiarum istius aetatis rationem habebant in generalibus, quas conscripserunt, institutionibus pastoralibus. Iidem simul hanc disciplinam a variis naevis purgarunt, novis observationibus, consiliis, praescriptis ditarunt, meliorem rerum tractandarum selectum fecerunt, aptiorem eas proponendi rationem introduxerunt, nonnullas ejus partes uberius excoluerunt, alias, separatim coli solitas, intra ejus ambitum susceperunt, methodum magis systematicam excogitarunt, et elocutioni elegantiori operam dederunt. Tales erant: J. Petrus Miller, (Anleitung zur weisen und gewissenhaften Verwaltung des evangelischen Lehramtes. Lipsiae 1774.) J. Georgius Rosenmüller, (Anleitung für angehende Geistliche zur weisen und gewissenhaften Verwaltung ihres Amtes. Ulmae. 1778. et Pastoral-Anweisung zum Gebrauche academischer Vorlesungen. Lipsiae. 1788.) F. G. Seiler, (Grundsätze zur Bildung künftiger Seelsorger, Volks- und Jugendlehrer. Erlangae. 1786.) Lefs, (Ueber christliches Lehramt, dessen würdige Führung, und die schickliche Vorbereitung dazu. Gottingae. 1790.) Aug. Herm. Niemayer, (Entwurf der wesentlichen Pflichten christlicher Lehrer nach den verschiedenen Theilen ihres Amtes. Halae. 1786.) F. H. C. Schwarz, (der christliche Religionslehrer nach seinem moralischen Daseyn und Wirken. 2 tom. Giefsae 1798. et 1800.) Christ. Victor Kindervater, (Ueber nützliche Verwaltung des Predigtamtes, Schulunterrichtes, Bildung der Gemeinden und Lebensgenufs auf dem Lande. 2 tom. Lipsiae. 1802. — 1806.) J. Frid. Christoph. Graeffe, praedicator Gottingensis, cujus Pastoraltheologie nach ihrem ganzen Umfange. 2 tom. Gottingae. 1803. tanquam opus, omnium, quotquot hactenus inter Lutheranos comparuerant, plenissimum, et ab eruditione, largo philosophiae usu, et experientiarum copia laudatum est, Godef. Ben-

jam. Eisenschmidt, parochus Schwaranus prope Geram, (Das religiös-sittliche Leben des christlichen Predigers, nach Pauli Anweisung und Johann Hornbecks Leitung Ronneburgae. 1819.) Lud. Hüffel, (Ueber das Wesen und den Beruf des evangelisch-christlichen Geistlichen. Giessen. 1822.) Joannes Borott pastor Bohemo-Zwittaviensis, (synopsis theologiae pastoralis, candidatorum theologiae et munus pastorale ineuntium usibus adornata. Dresdae. 1822.) Frid. Lud. Theodorus Wolff, pastor Burgdorfensis in ducatu Brunsvicensi, (Der evangelische Predigerstand nach seiner Wirksamkeit, seinen Bedürfnissen und Erfordernissen, Luneburgae 1823.) Praeterea singulares institutiones pastorales pro praedicatoribus ruralibus, pro militaribus, pro superintendentibus conscriptae, et speciales materiae permultae in sic dictis repertoriis, emporiis, diariis pertractatae sunt, in quo genere Oemlerus theologus Jenensis caeteros omnes diligentia et scriptorum multitudine superavit.

§. 1012. Continuatio.

Mutationes, quas speciatim homiletica subiit, partim ab innovatione aliarum disciplinarum theologicarum, exegeticae, dogmaticae, et moralis, partim ab usu novarum philosophiarum, partim a majori cultura linguae vernaculae, rhetorices ac poeseos, partim a mutato aetatis genio, indeque natis novis auditorum desideriis, nova sentiendi ratione descenderunt. Sicut orationes sacrae Spenerianorum et orthodoxorum ita et eorum institutiones homileticae plurimum ab invicem discrepabant. Joach. Lange in sua oratoria sacra, ab artis homileticae vanitate repurgata, quae a. 1707. in lucem prodiit, non tantum oratori sacro varia praescripta, et inter haec pristinis rectiora dedit, sed etiam naevos, quibus tunc temporis permulti concionatores laborabant, reprehendit, nominatim artificia in dispositione sermonis, eruditionis in exponendo textu ostentationem, digressiones polemicas, defectum usus practici. Ipse a sermone sacro

sis, Halensium, inter quos informatus fuerat, naevis concionatoriis motus, non tantum mandatum a rege suo impetravit, quo, qua ratione praedicatores tirones ad pie praedicandum instituantur, praescriptum, et aptus philosophiae in concionibus usus praeceptus erat, sed etiam Grundrifs einer Lehrart, ordentlich und erbaulich zu predigen, nach dem Inhalte der königlich. preufsischen Cabinetsordre, a. 1740. edidit, in qua pietatis excitationem, et morum emendationem, finem toti orationi sacrae propositum statuit, et usum philosophiae magis formalem, quam materialem praescripsit, licet ipse in sacris suis sermonibus haud raro materiis quoque philosophicis usus est. Alii quoque homiletae, velut Schubertus in Anweisung zur geistlichen Beredsamkeit, a. 1734. publicata, usum philosophiae in sacris sermonibus approbarunt; alii vero ei adversabantur, velut J. Oporin, theologus Gottingensis, et G. F. Meyer, qui in homiletica, a. 1772. sub titulo: Kunst zu predigen edita, supremum illius principium sic dictam aedificationem statuit, atque ut sermones non tantum morales, sed etiam dogmatici habeantur, et ut isti semper simul practici sint, illi fundamento dogmatico nitantur, postulavit. Spaldingus in libro suo: Ueber die Nutzbarkeit des Predigtamtes doctrinas religionis speculativas et mysteriosas pro concionibus inutiles judicavit. Cum alii, velut Ernestius, Herderus, Döderleinius hanc ejus opinionem impugnarent, renovata est inter Lutheranos disceptatio de materiis sacrae cathedrae convenientibus, jam prioribus hujus periodi temporibus agitata, ubi quaesitum fuerat, num sermones sacros ex toto morales esse, num praeter doctrinas religionis dogmaticas etiam sententias mere theologicas in eis proponere liceat. Nunc vero renovata et continuata lite quaesitum est, an doctrinae, confessioni Lutheranae characteristicae, an historia evangelica et speciatim miracula Jesu et apostolorum in concionibus sint proponenda, an liceat novas explorationes theo-

Religionslehrer des 19. Jahrhundertes, Altonae. 1801. ab aliis homiletis in plerisque recessit, et religionis doctores ad eloquentiam liberam, nullis regulis adstrictam, instituere conatus est. Post hunc institutiones homileticas adhuc ediderunt: Tittmann, (Lehrbuch der Homiletik. Wratislaviae. 1804.) Cannabich, (Anleitung zur gehörigen und dem Geiste des gegenwärtigen Zeitalters gemäſsen Einrichtung der christlichen Religionsvorträge. Lipsiae. 1806.) Schott, (Kurzer Entwurf einer Theorie der Beredsamkeit mit Anwendung auf die Kanzelberedsamkeit. Lipsiae. 1807. Philosophische und religiöse Begründung der Rhetorik und Homiletik. Ibid. 1815.) Marheinecke (Grundlegung der Homiletik. Hamburgi. 1811.)

§. 1013. Continuatio.

Quomodo ipsi sacri sermones Lutheranorum labente hac periodo comparati fuerint, magnam partem jam ex dictis colligi potest. Speneriani nempe simplicitati, piarum sensionum excitationi, usui practico, et dictioni biblicae studebant; at sermonis decorem, eruditionem, et artem rhetoricam negligebant, accurata rerum et conceptuum determinatione, nexu, ordine, et claritate carebant, dictionibus, figuris et imaginibus biblicis, sermoni sine explicatione intextis, auditoribus obscuritatem inducebant, et universim plus animum commovebant, quam intellectum illustrabant, aut mores constanter emendabant. Eorum adversarii in suis concionibus plerumque formam usitatam rigide observabant, multam eruditionam scholasticam proferebant, polemice versabantur, fidei dogmata pertractabant, applicationem practicam morumque praecepta passim negligebant. Introducta philosophia Wolfiana praedicatorum Lutheranorum haud pauci non tantum formam sed etiam materias illius sermonibus suis sacris inferebant, neglectisque passim argumentis et rebus biblicis, imo fidei dogmatis, nonnisi ratiociniis utebantur et res mo-

omnino multi praestantes, a Lutheranis typo vulgata est.

§. 1014. Continuatio.

Artem catecheticam inter Lutheranos Speneriani quam maxime promoverunt, cum secundum auctoris sui exemplum parvulos et rudiores diligenter in religione modo catechetico instruerent, has instructiones enixe commendarent, instituta catechetica, ubi juvenes in ista arte informarentur, erigerent, et scriptis etiam institutionibus eam promovere et perficere studerent, quales prioribus saeculi 18. decenniis multae inter Lutheranos comparuerunt, velut a J. H. Hedinger, theologo Stuttgardiensi, a Christophoro Matthaeo Seidel, praedicatore Berolinensi, qui in libro: Deutliche Anweisung zum rechten Katechisiren, a. 1711. edito, regulas catecheticas in scriptis Speneri dispersas conjunctim exhibuit, et jam methodum Socraticam commendavit; a H. J. Hahn; a S. C. Teuber; a J. J. Rambach, cujus liber, a. 1722. sub titulo: Wohlunterrichteter Katechet, typis mandatus, catecheticam secundum genuina principia fusius et methodo systematica exposuit, optimusque sui generis erat, quem alii plures institutionibus suis catecheticis, etiam scripto editis, fundamento posuerunt; a Paulo Jacobo Förtsch, extraordinario philosophiae apud Gottingenses professore, qui in libro: kurzer Entwurf der katechetischen Theologie zum Gebrauche academischer Vorlesungen, a. 1738. edito, et religionis doctrinas, parvulis ac rudibus tradendas definivit, et regulas, secundum quas tradantur, statuit, ex indole et fine istius institutionis deductas, et observationibus practicis illustratas. Quae post medium saeculum 18. nova in re paedagogica et didactica, principia statuebantur, mox etiam ad catecheticam applicabantur, et jam speciatim disquirebatur, quando, quo ordine, quomodo, et in quibus religionis doctrinis parvuli et juvenes informandi sint. Basedowius in praefa-

chetisches Handbuch zum Gebrauche für academische Vorlesungen und Uebungen, Jenae in 3 partibus, annis 1791. et 92. editum, observationum et regularum ex experientia haustarum soliditate, succincta plenitudine, indigentiarum aetatis et consiliorum reformatoriorum respectu, genio denique philosophico, priores omnes hujus generis libros superavit; C. L. Droysen, qui in libro: Ueber die beste Art, die Jugend in der christlichen Religion zu unterrichten, Lipsiae a. 1793. edito, praeprimis disquisivit, quae primo religionis doctrinae et quomodo tradendae sint; J. Frid. Christoph. Gräffe, qui ab anno 1795. — 99. vollständiges Lehrbuch der allgemeinen Catechetik nach kantischen Grundsätzen, Gottingae in 3 tomis edidit, in quo totius philosophiae criticae summa proponitur, et regulae catecheticae omnes ex theoriis facultatum cognoscendi, sentiendi et appetendi deducuntur.

§. 1015. Continuatio.

Post haec adhuc sequentes institutiones catecheticae inter Lutheranos comparuerunt: G. F. Dinter, professoris et consiliarii ecclesiastici ac scholastici Regiomontii, qui vero plus catechesibus in catechismum Lutheri, ab anno 1807. — 1822. in 9 tomis editis inclaruit, Regeln der Katechetik, als Leitfaden beym Unterricht künftiger Lehrer in Bürger- und Landschulen. Neostadii ad Orlam. 1801. — J. Cp. F. Baumgarten magistri superioris in schola Magdeburgensi pro opificibus, die Katechesirkunst, ein Handbuch für Anfänger und Ungeübte in derselben. 3 tom. Cöthen. 1801. — 1805., quem librum auctor postea ita transformavit, et tres tomos ad duos reduxit, ut plane novum opus sit, anno 1822. sub eodem titulo editum; — F. W. Wolfrath Versuch eines Lehrbuchs der allgemeinen Katechetik und Didactik zum Gebrauche für academische Vorlesungen. Lemgo. 1807. Ejusdem Versuch eines Lehrbuches der religiös - moralischen Katechetik und

beliebigen Gebrauche evangelischer Liturgen und Gemeinden, a. 1823. Rigae edito. Alii varia consilia de liturgia emendanda aut aptiori reddenda scripto communicarunt, id quod praesertim recentissimo tempore, cum ipsa auctoritas publica in terris Borussicis reformationem seu amplificationem liturgiae meditaretur, a plurimis factum est, nominatim a Fr. Mohn, praedicatore Teutoburgensi, qui a. 1821. edidit: Ueber Verbesserung und Verschönerung der evangelischen Gottes- und Christenverehrungen, quo in libro primo theoria liturgicae, deinde liturgiae diversae continentur.

§. 1016. Inter Calvinianos.

Calviniani etiam in disciplinis pastoralibus parum hac periodo praestiterunt. Praecipuum opus pastorale, quod inter eos comparuit, illud est, quod Petrus Roques, praedicator Basileensis, lingua Gallica conscriptum a. 1723. sub titulo edidit: Pastor evangelicus, seu tentamina de excellentia et natura sacri ministerii, de dotibus sacrorum ministrorum, et de causis exigui progressus, quem hodie praedicatio evangelii habet, una cum dissertatione praeliminari, ubi historice ostenditur, quomodo verbum Dei annuntiatum fuerit in ecclesia Judaica et Christiana. Hoc titulo simul etiam argumentum hujus operis indicatum est, quod nec plenum, nec systematicum, attamen cum perspicacia et rerum tractatarum scientia ac studio conscriptum est, et homileticam satis plenam continet. Ex caeteris, qui adhuc de theologia pastorali scripserunt, commemorandi veniunt: I. H. Hottinger, qui Basileae a. 1741. typum pastoris evangelici edidit; L. C. Mieg, theologus Heidelbergensis, cujus meletemata sacra de officio pastoris evangelici publico et privato a. 1747. Francofordii ad Moenum prodierunt; J. J. Pfeiffer, theologus Marburgensis, qui a. 1789. edidit: Anweisung für Prediger und die es werden wollen, zu einer treuen Führung ihres Amtes; A. Gerard, theologus Aberdeensis in Scotia,

cujus praelectiones de administratione muneris pastoralis, sermone Anglico conscripta a. 1799. Londini comparuerunt; J. G. Tobler, qui a. 1820. Araugiae edidit: Gotthold, der wackere Seelsorger auf dem Lande. Horum institutiones pastorales methodo magis systematica et scientifica compositae et indigentiis aetatis accommodatae sunt, atque praescriptorum severitate insigniuntur.

§. 1017. Continuatio.

Quod speciatim homileticam attinet, Calvinianis nec viri, qui de ea scripto praeciperent, nec clari concionatores hac periodo defuerunt. Inter Gallos Joannes Placaeus (la Placette) a. 1733. Rotterdami observationes de modo praedicandi, Gallice scriptas, typo vulgavit. Sed hic liber nonnisi monita quaedam pro praedicatoribus continet, quae partim materiarum selectum, partim elocutionem, partim pronuntiationem concernunt. Caeterum auctor illos sacros sermones, quibus fides et certa de veritate doctrinarum Christianarum persuasio producitur, caeteris omnibus praefert, doctrinas, quarum veritas explorata non est, proponere vetat, et cautionem in usu argumentorum philosophicorum inculcat. Post eum J. H. Le Maitre reflexiones de methodo praedicandi maxime simplici et naturali a. 1745. Halae vulgavit, pariter Gallice, non methodo scholastica, sed conversatoria scriptas, paucasque regulas continentes. Inter oratores sacros Calvinianorum Gallorum saeculo 18. celeberrimus extitit Jacobus Saurin, qui ab anno 1701. Londini, post quatuor autem annos Hagae in Batavia usque ad mortem suam a. 1730. praedicatoris munere functus est; a materiarum selectu, indigentiarum auditorii et adjunctorum temporis respectu, ordine, perspicuitate et soliditate dictorum, vi animos commovente, dictionis elegantia et suavitate, pronuntiationis fervore, voce sonora et corporis venustate laudatus, quibus omnibus auditores suos quasi in

extasin rapuit, et ingentem usque ad mortem suam applausum retulit. Neque in eum opprobria ceciderunt, quae aliis praedicatoribus Gallis merito fiebant, eos nempe neglectis fidei dogmatis, et textu, imo s. scriptura universa seposita, fere solam doctrinam moralem tractare. — Praedicatoribus Batavis methodus, quae analytica dicitur, usitata erat, ex qua singulae textus partes, imo verba, adhibita omnis generis eruditione philologica et archaeologica, imo allatis variis variorum interpretum sententiis exegetice explicabantur, et in fine, qui plerumque post horam ingruit, brevis applicatio ad mores fiebat; unde a nonnullis praedicatoribus plures tomi sermonum in singula capitula biblica confecti sunt. Hanc methodum theologi quidam Batavici velut Joannes van der Wayen a. 1704., et Samuel van Til, a. 1717. etiam editis scriptis exponere et illustrare studuerunt. Campegius Vitringa in animadversionibus ad methodum homiliarum ecclesiasticarum rite instituendarum, a. 1721. editis, eandem quidem methodum propugnavit, voluit tamen, ut textus applicatio uberior et magis practica et ad pietatem excitandam accommodata esset. At Ewaldus Hollebeck, theologiae apud Lugdunenses professor, in libro de optimo concionum genere a. 1768. edito methodum Anglicanam commendavit, ex qua textus, si explicatione indigebat, breviter explicabatur, propositiones quaedam principales ex eo deducebantur, hae exponebantur, argumentis confirmabantur et tandem ad fidem, pietatem, virtutem auditorum, secundum eorum circumstantias et indigentias promovendam applicabantur. Multi quidem de hujus methodi commendatione indignabantur, eamque variis ex causis velut ineptam et periculosam reprobabant, impedire tamen non poterant, quo minus pluribus placeret et successive magis magisque inter praedicatores Batavos, e quibus caeterum nullus majorem nominis famam consecutus est, invalesceret. Ex Scotis David Fordyce, professor Aberdeensis († 1751.)

librum de arte praedicandi edidit, sermone Anglico per modum trialogi scriptum, in quo Theodorus, colloquentium princeps, reliquos docet, artem praedicandi magis a sentiendi ratione, quam a ratiociniis et regulis dependere, ejusque summam in imitatione naturae consistere, porro praedicatorem virum probum, non plausus, sed unice auditorum convincendorum et emendandorum studiosum esse oportere. — Inter Helvetios Germnnnicos I. C. Altmann Bernae 1735. delineationem oratoriae sacrae edidit, in qua secundum morem Batavorum, quomodo textus biblicus recte exponatur, potissimum ostendit. Anno 1767. a Joanne Felice Hefs, diacono Tigurino, in lucem emissa est Prüfung der philosophischen und moralischen Predigten. Sub illis tales intellexit, in quibus veritates theoreticae religionis naturalis exponuntur et argumentis e sola ratione petitis comprobantur; sub istis tales, in quibus vel doctrinae morales solo rationis usu exponuntur, vel doctrinae Christianae theoreticae a parte sua practica pertractantur. Hoc sensu utriusque generis conciones non tantum approbat, sed etiam necessarias pronuntiat, quae assertio illo tempore satis inusitata erat. Conradus Pfenninger, pariter diaconus Tigurinus a. 1777. librum: Von der Popularität im Predigen in 3 tomulis edidit, in quo conceptus popularitatis accurate determinatur, et ipsius Jesu exemplo illustratur. Ex concionatoribus in Helvetia Germannica prae caeteris inclaruere Joannes Tobler, ab originalitate, animo sincero, fido, affectibus impensis pleno, e sacris ejus sermonibus elucente commendatus, et J. Casparus Lavater, diaconus Tigurinus († 1800.), fervore religioso et dictionis energia clarus, verum etiam a phantasia exorbitante et syncretismo in religionis negotio notatus. — Calviniani in Germannia usque ad medium saeculum 18. plerumque dogmaticas aut mysticas conciones habebant. Homiletae altero demum ejusdem saeculi dimidio inter eos surrexerunt, videlicet J. H. Arnoldt, theologus Regiomontanus, qui a. 1763. Anfangsgründe der homiletischen Gottesgelahrtheit edi-

dit, in quibus doctrina de applicatione accurate pertractatur, caeterum non doctrinis moralibus, sed excitata fide animos emendandos esse praecipitur; — J. P. Brand, theologus Hanoviensis, qui in Einleitung zur Erkenntniſs und zum Gebrauche des heut zu Tag in einem groſsen Theil der evangelisch-reformirten Kirche gebräuchlichen methodi concionandi, a. 1766. Francofordii et Lipsiae edita, praecipuas regulas homileticas, ex illis, qui antea de hac re scripserant, collegit, et modo captu facili per quaestiones et responsiones proposuit; — S. Mursinna theologus Halensis, qui in sua homiletica, sive de recta eloquentiae ecclesiasticae ratione libello, a. 1766. edito, institutionibus suis regulas Ciceronis et Quintiliani fundamento posuit. Post hos adhuc S. Strimesius Berolini a. 1770. criticam concionatoriam, et Thym a. 1800. Halae Magdeburgicae historisch-kritisches Lehrbuch der Homiletik edidit. Inter praedicatores Calvinianorum Germannicorum duo insigniores erant, nempe Aug. Frid. Guil. Sack, cui eloquentia virilis adscribitur, quique primus inter Calvinianos in Germannia sermones morales habuit, et G. J. Zollikofer, praedicator moralis, philosophicus, minus popularis, a cogitationum ubertate, ingenii acumine, digno, serio et gravi dicendi genere ac sermonis praestantia commendatus.

§. 1018. Continuatio.

Institutiones catecheticae saeculo demum nostro a quibusdam Calvinianis Germannicis compositae sunt, nempe a C. Daub, qui a. 1801. Francofordii ad Moenum Lehrbuch der Katechetik zum Behufe seiner Vorlesungen, et a J. G. Müller Schafhusiae, qui a. 1810. librum: Von dem christlichen Religionsunterricht edidit. Ille primo, qua ratione officia coactionis, deinde virtutis, postea doctrinae religionis in universum, postremo qua ratione doctrinae religionis Christianae sub triplici illo respectu catechetice tradendae sint, docuit,

et principia sua magnam partem ex philosophia critica derivavit. Müllerus censuit, primam religionis institutionem, parvulis quantocius communicandam, in narrationibus biblicis constare oportere; in sequiori institutione systematica primo loca selecta biblica, secundum materias disposita memoriae mandanda, tum librum tradendum esse, doctrinas Christianas arcte connexas et bene illustratas in brevibus propositionibus vel in quaestionibus et responsionibus continentem, in quo historia Jesu fundamento posita sit, cuique hujus doctrinae de Deo, homine, officiis, mediis salutis etc. apte jungantur. Sed longe major erat numerus librorum, in quibus jam prioribus hujus periodi temporibus catechismi, vel religionis doctrinae modo catechetico a Calvinianis exponebantur. Inter eos praecipuus erat ille, qui ab Osterwaldo Genevae a. 1702. sub titulo: catechismus, seu instructio religionis Christianae, sermone Gallico editus, et deinde etiam in linguam Anglicam, Batavicam et Germannicam translatus est. In eo praemissa brevi historia biblica, religionis Christianae veritas et divina s. scripturae origo domonstratur, symbolum apostolicum exponitur, praecepta morum evangelica, et doctrina de sacramentis traditur. Anno 1706. Daniel de Superville, praedicator Rotterdamensis († 1728.) similem librum communicavit, pariter Gallice scriptum sub titulo: Veritates et officia religionis Christianae, seu catechismus pro instructione juventutis. Praeter hos Jacobus Saurinus, celebris ille concionator, a. 1722. typis vulgavit breviarium theologiae et moralis Christianae in forma catechismi, pariter Gallice scriptum; sed quod captum plebejorum multum excedit. Inter Germannos plures conscripserunt epitomes aut explicationes catechismi Heidelbergensis, inter quas notatu dignior illa est, quam Hermannus Reinholdus Pauli Halae 1740. sub titulo: Heidelbergischer Katechismus oder kurzer Unterricht christlicher Lehre edidit.

§. 1019. Inter Anglicanos.

Quae de historia theologiae pastoralis inter Anglicanos ex hac periodo commemoranda sunt, ad haec fere redeunt: Nulli quidem, qui de universo munere pastorali, nulli, qui de homiletica scripserint, attamen nonnulli clari oratores sacri ex Anglicanis innotuerunt, velut Samuel Clarke, Thomas Sherlock, quorum sacri sermones potius dissertationes religiosae sunt, methodo philosophica, caeterum dictione eleganti exaratae; Thomas Secker, archiepiscopus Cantuariensis († 1768.), unus ex illis, qui posteriori tempore, fortasse a Methodistis excitati, cum majori popularitate, applicatione practica, animo impensiori, et de rebus quoque dogmaticis praedicarunt, orator, materiarum selectu, animi humani cognitione, simplicitate, gravitate, pectore affectibus pleno, dictionis praestantia conspicuus; Sterne quoad formas et materias sermonum suorum singularis, qui mores hominum accurate observatos egregie descripsit, et quem in eloquendis animi sensionibus nemo assecutus est; Hugo Blair, orator, omnibus numeris absolutus, qui etiam fidei dogmata ad frequentes usus practicos transferre calluit; Philippus Doddridge, unus ex praedicatoribus Presbyterianis, quorum sacri sermones universim majori cura elaborati, s. scripturae magis conformes, et piis animi sensis excitandis aptiores erant, quam Episcopalium. Iidem Presbyteriani etiam complures institutiones catecheticas exararunt, e quibus notatu digniores sunt, quae Isaacum Watts auctorem habent. Is inter alia praescripsit, ne quid parvulorum memoriae mandetur, quod non prius intellectu ab eis esset comprehensum, utque pro diversa aetate diversi catechismi habeantur, inter quos infimi maxime doctrinas practicas contineant. Catechismum autem majorem ecclesiae Episcopalis catechetice exposuit Guilielmus Wake in libro Anglice scripto: principia religionis Christianae explanata brevi commentario in catechismum ecclesiasticum.

Caput tertium.

De ecclesiae organismo.

A. *Hierarchico.*

§. 1020. Conamina ecclesiasticam episcoporum potestatem ampliandi.

Labente hac periodo plura conamina facta sunt, episcopis illam jurisdictionem recuperandi, quae mediis saeculis eis decesserat. Huc pertinet liber, qui a. 1763. Francofordii ad Moenum sub hoc titulo comparuit: Justini Febronii jurisconsulti de statu ecclesiae et legitima potestate Romani pontificis liber singularis, ad reuniendos dissidentes in religione Christianos compositus. Nam septimo capite hujus libri, quo universim monarchica potestas Romani pontificis impugnatur, etiam jura, quae episcopis competant, evolvuntur et vindicantur. Porro huc pertinet conamen trium principum electorum ecclesiasticorum et metropolitae Salisburgensis. Huic ansam dederunt nuntii apostolici in Germannia, quorum actibus electores illi jam a. 1769. permoti sunt, ut imperatori 30 gravamina contra sedem apostolicam exhiberent, eumque rogarent, ut lege lata, ne causae mere civiles ad illam sedem vel ejus nuntios deferantur prohiberetur, imo nuntiaturae penitus abrogarentur. Cumque pontifex a. 1785., petente electore Bavarico novam nuntiaturam pro hujus terris Monachii erigeret, eique episcopum Frisingensem, Salisburgensis suffraganeum subordinaret; tres electores ecclesiastici et metropolita Salisburgensis de restrictione jurisdictionis suae apud imperatorem conquerentes, ejus praesidium implorarunt. Imperator pontifici quidem significavit, se non permissurum, ut episcoporum Germannicorum jurisdictio per nuntios restringatur,

aut impediatur, et hos nonnisi qua procuratores causarum pontificis politicarum et primatialium habiturum esse. Nihilominus pontifex a. 1786. novum nuntium Monachium ablegavit, atque etiam ille, qui Coloniae residebat, non tantum jurisdictionem suam, sicut antea exercere pergebat, sed etiam in litteris, ad animarum curatores in dioecesibus Coloniensi, Trevirensi, et Moguntina datis omnes dispensationes quatuor archiepiscoporum, speciatim in causis matrimonii, quae facultates quinquennales excederent, nullas irritasque pronuntiavit. Has litteras tres electores ecclesiastici clericos suos ad nuntium remittere, et in posterum nullas litteras pontificias sine consensu vicariatus accipere jusserunt. Cumque imperator in rescripto ad eorum querelas dato, eos, ut sua caeterorumque episcoporum jura dioecesana et metropolitica contra sedem pontificiam vindicarent, hortatus, suumque auxilium pollicitus fuisset; quatuor archiepiscopi hunc in finem a. 1786. legatos Emsam miserunt. Hi in propositionibus a se confectis, quarum complexus punctatio Emsensis vocari consuevit, innixi principio: episcopis, qua successoribus apostolorum illimitatam ligandi et solvendi potestatem immediate a Christo concessam esse, praeprimis statuerunt, recursum ad sedem Romanam, et exemtiones monasteriorum esse abrogandas, dispensationes omnis generis ab episcopo ordinario esse concedendas, ideoque facultates quinquennales non amplius a pontifice petendas, decreta pontificia sine episcopi consensu nec promulgandas, nec obligatorias habendas, nuntiaturas penitus esse abrogandas. Praeterea deputati, maxime respectu collationis beneficiorum, judicarunt, concordatum Francofordiense regulae, Schaffnaburgense vero exceptionis instar tamdiu habendum esse, donec vel per concilium nationale, vel provisione imperiali constitutio ecclesiae Germannicae reformata foret.

§. 1021. Continuatio.

Postquam archiepiscopi has deputatorum suorum propositiones ratas habuissent, easdem imperatori transmiserunt, simulque, ut se in juribus suis recuperandis adjuvaret, ab eo petierunt. Imperator eis rescripsit, se quidem ad auxilium eis ferendum promtum esse paratumque, attamen, ut puncta Emsensia effectui dari possint, necessarium esse praevium consensum suffraganeorum, exemtorum, nec non principum, in quorum territoria eorum dioeceses extendantur. Sed hic consensus obtinendus non erat; elector enim Bavaricus ad abrogandam nuntiaturam permoveri non poterat. Episcopi suffraganei principiis metropolitarum suorum non consentiebant, et Spirensis datis ad imperatorem litteris conquestus est, quod episcopi ad congressum Emsensem non fuerint adhibiti, eumque rogavit, ne puncta Emsensia confirmaret, priusquam et ipsi sententiam suam dixissent. Cumque non multo post archiepiscopus Trevirensis ab illis punctis penitus recederet, et omnia pristino statui restitueret, totius negotii eventus plane nullus fuit. — Etiam ex imperantibus civilibus nonnulli jurisdictionem episcoporum suorum, praeter ipsorum voluntatem ampliare conati sunt. Sic Josephus II. eos in casibus, pontifici, praesertim in bulla coenae reservatis, absolvere jussit. Idem eis praecepit, ut nulla facultate a pontifice aut ejus nuntio requisita, in impedimentis mere canonicis dispensarent. Prohibitis facultatibus quinquennalibus voluit, ut propria auctoritate ea omnia concederent, ad quae facultates istae pertinebant. Sublata omni exemtione cuncta monasteria episcoporum jurisdictioni subjecit. Cumque nuntio apostolico Viennae residenti omnem actum jurisdictionis ecclesiasticae interdixisset, episcopos suos a praeveniente et concurrente pontificis jurisdictione liberavit. Ejus frater Leopoldus, magnus dux Tusciae in litteris circularibus, a. 1786. ad omnes Tu-

sciae episcopos datis, inter alia praecepit, ut in synodis dioecesanis disquireretur, quaenam pontificiae dispensationes, legitimae episcoporum potestati subtractae adeoque recuperandae sint; porro voluit, ut totus clerus regularis episcopis subjiceretur. — In Gallia quoque per concordatum, quod respublica sub consulibus cum sede apostolica iniit, omnis exemtio ab episcopali jurisdictione prohibita fuit, statutumque, nulli nuntio apostolico sine concessione regiminis civilis licere, jurisdictionem aliquam ecclesiasticam exercere. Inversione, quam Germannia per bellum, a. 1792. a Gallis illatum, et deinceps subiit, etiam nuntiaturae, quae Coloniae et Monachii erant, abrogatae sunt. Principes Germannici illi, qui conjunctim inde ab anno 1818. de constitutione ecclesiae Catholicae, suis in terris existentis, cum sede apostolica tractarunt, episcopos suos a pontifice fere independentes reddere tentarunt; sed hunc, ut consentiret, permovere non potuerunt. Universim omnia conamina, jurisdictionem episcoporum, restricta pontificis potestate ampliandi, exiguum effectum consecuta sunt.

Pius und sein Pontificat. Neueste Religionsgeschichte, fortgesetzt von Planck. 1 Th.

§. 1022. Patriarchae Latini.

Neque metropolitae, nec patriarchae Latini ampliorem ac hactenus habebant jurisdictionem hac periodo obtinuerunt. Caeterum novus patriarcha in Lusitania creatus est. Petente enim rege Joanne V. Clemens XI. a. 1716. archiepiscopatum Ulyssiponensem in duos divisit, in orientalem et occidentalem, et posteriorem ad gradum patriarchatus, qualis Venetianus est, cum multis praerogativis et honoribus evexit, eique tres Lusitaniae archiepiscopatus Ulyssiponensem orientalem, Braccarensem et Eburianum subordinavit. E contra medio circiter saeculo 18. patriarchatus Aquilejensis sublatus est. Huic auferendo ansam dederunt collisiones inter

regimen Venetianum et Austriacum de patriarcha Aquilejensi. Quoniam hic sedem suam in ditione Venetiana habebat, ejus autem dioecesis etiam in terras Austriacas extendebatur; conventum fuerat, ut alternis vicibus modo ex clero Venetiano, modo ex Austriaco eligeretur. Ad hanc aequalitatem eludendam patriarchae Venetiani fere semper coadjutorem e subditis reipublicae assumebant. Qua de re cum imperàtrix M. Theresia a. 1749. apud pontificem conquesta fuisset; Benedictus XIV. post alia quaedam rem componendi tentamina a. 1751. effecit, ut utrumque regimen conventionem a se propositam acceptaret, vi cujus post mortem patriarchae, qui tum erat, ejus dignitas supprimeretur, et in hujus locum duo archiepiscopatus erigerentur, quorum alter, Utinensis, Venetianam, alter, Goritiensis, Austriacam patriarchatus partem comprehenderet.

Le Bret Staatsgeschichte der Republik Venedig. 3 Th.

§. 1023. Relatio pontificis ad ecclesiam.

Quae in quatuor propositionibus cleri Gallicani rejecta fuerat Romani pontificis infallibilitas et superioritas supra concilium oecumenicum, praesenti adhuc periodo a multis theologis et canonistis, imprimis Italicis strenue defendebatur. Ex his notatu digniores sunt: Josephus Augustinus Orsi Dominicanus, a quo edita sunt: de irreformabili Romani pontificis in definiendis fidei controversiis judicio adversus quartam cleri Gallicani propositionem a Bossueto propugnatam, anno 1739; anno autem sequenti: de Romani pontificis in synodos oecumenicas et earum canones potestate; Jacobus Hyacinthus Serry, ejusdem ordinis, auctor dissertationis duplicis de Romano pontifice in ferendo de fide moribusque judicio fallere et falli nescio, eodemque conciliis oecumenicis auctoritate, potestate, jurisdictione superiori. Nihilominus contraria ecclesiae Gallicanae sententia hac periodo continuo plures asseclas et defensores nacta est, praecipue inter Germannos Catholicos. Ad hoc plurimum contulit liber Ju-

stini Febronii, sub quo nomine latuit J. Nicolaus de Hontheim, suffraganeus archiepiscopi Trevirensis, supra allegatus. In hoc non tantum infallibilitas et superioritas Romanorum pontificum supra concilium oecumenicum negabatur, sed etiam omnis eorum potestas, ad finem primatus, unitatis scilicet ecclesiasticae conservationem, haud necessaria, ex variis fontibus accidentalibus, velut ex jurisdictiune eorum patriarchali, ex spontanea causarum majorum ad eos delatione, ex eorum arrogantia, praecipue vero ex Pseudo-Isidori decretalibus derivabatur. Praeterea aliae assertiones liberiores in libro Febronii contentae erant, velut: potestatem clavium a Christo toti ecclesiae collatam fuisse, quam haec per ministros suos exerceat, inter quos pontifex primarius sit, universitati tamen subordinatus; primatum ab ecclesia etiam cum alio episcopatu, quam cum Romano conjungi posse; primati nullam in ecclesia jurisdictionem competere, excommunicationes pontificias non fuisse effectus jurisdictionis; causas fidei pontifici non esse reservandas; doctrinas ab eo damnatas etiam a provincialibus conciliis denuo examinari posse; pontificem nec in fidei, nec in disciplinae materia leges pro universa ecclesia valituras rogare posse. In fine libri auctor nationes Christianas ad potestatem pontificis limitandam provocavit, et media, quibus id fieri possit, indicavit, velut auxilium imperantium civilium, examen litterarum pontificiarum, antequam admittantur, resistentiam contra arrogationes pontificias, appellationes ab abusu. Hinc mirum non est, librum Febronii a pontifice Clemente XIII. mox damnatum fuisse, qui insuper episcopis Germannicis et nuntiis suis in Germannia mandavit, ut eum supprimi, et auctorem, si detectus fuerit, severe puniri curarent. Verum principia Febronii quam plurimis placebant, imprimis in Germannia, ita ut post duos annos jam nova libri illius editio procuranda esset. Sed et extra Germanniam in Gallia, Italia, prae-

parum aucta est *). Quidquid autem fuerit, sedi pontificiae retractatio Febronii non multum profuit; nam principia ab eo proposita non solum a multis theologis et canonistis praesertim in Germannia Catholica adoptata, ampliusque evoluta, firmata, in scholis et libris tradita, et sic continuo latius propagata sunt, sed etiam imperantes civiles in suis ad pontificem et ecclesiam relationibus passim secundum ea egerunt, et dispensationes, beneficiorum reservationes, monachorum exemtiones, appellationes ad sedem pontificiam vel penitus sustulerunt, vel admodum limitarunt, litteras autem pontificias approbationi suae, seu sic dicto placeto regio subjecerunt. Congressus Emsensis et puncta in eo delineata probabiliter ejusdem libri Febroniani fructus erant. Caeterum nemo Catholicorum ipsum primatum Romani pontificis impugnavit aut rejecit; qui enim in Gallia, fervente revolutione, pontificis imaginem publice insultarunt et combusserunt, sicut et rectores reipublicae, qui in epistola quadam in causa politica ad Pium VI. data eum nonnisi principem et episcopum urbis Romae vocarunt, non tantum Catholicam sed omnem religionem, saltim Christianam abjecerant. Ipsos schismaticos Ultrajectenses Romanum pontificem tanquam suum et totius ecclesiae primatem agnovisse, ex eorum historia supra narrata satis apparet. Rectores civitatum non solum Catholici sed etiam Protestantes ejusdem primatum publice et solemniter eo agnoverunt, quod rem Catholicam suis in terris non sola sua auctoritate, nec conventione quadam cum clero Catholico in eis existente ordinari posse, sed hunc in finem transactiones seu concordata cum illo ineunda esse existimarent. In his conventionibus nihil novi de relatione pontificis ad ecclesiam et clerum vel episcopos statutum deprehenditur. In concordato cum rege Siciliae diserte statutum est, ut causae majores sedi apostolicae reserventur, et ad eandem libere appellari possit.

*) Walch neueste Religionsgeschichte VII. Th.

§. 1024. Relatio ecclesiae Catholicae ad Graecam schismaticam in Turcia.

Relatio inter ecclesiam Catholicam et Graecam schismaticam, nullam labente hac periodo mutationem subiit. Perdurabant tentamina Catholicorum, schismaticos in Turcia tum per missionarios, imprimis Jesuitas, tum per monachos in coenobiis, quae Latini in diversis locis Turciae Europaeae et Asiaticae habent, ad unionem cum ecclesia Romana reducendi. Quo haec conamina magis promoverentur, Clemens papa XII. (1730. — 1740) proprium seminarium, a nomine ejus gentilitio Corsinium dictum, in Calabria erexit, in quo juvenes Graecorum ibi habitantium pro convertendis popularibus suis excolerentur. Nec omni successu destituta erant conamina Catholicorum. Quamquam enim non totam ecclesiam Graecam Romanae conciliarent, singulos tamen coetus et viros haud paucos a schismate abduxeruntt, quos inter etiam eruditi erant, qui causam Latinorum contra Graecos propriis scriptis propugnarunt, velut Aloysius Andruzzi, Cyprius, qui priori elapsi saeculi dimidio professoris munere in universitate Bononiensi fungebatur, ediditque hos libros: vetus Graecia de sancta Romana sede praeclare sentiens. Consensus tum Graecorum tum Latinorum patrum de processione Spiritus s. e Filio. Perpetua ecclesiae doctrina de infallibilitate papae in decidendis ex cathedra fidei quaestionibus extra concilium oecumenicum et ante fidelium acceptionem. Imo ex ipsis patriarchis nonnulli Romano pontifici ejusque ecclesiae se subjecerunt, nominatim a. 1773. Demetrius Capasulis, patriarcha Alexandrinus, qui, quod dignitatem suam adversus alium sibi oppositum et a Turcis adjutum tueri non posset, errores Graecorum in litteris Romam missis abjuravit, et pallium a pontifice petiit[1]; porro a. 1731. Jeremias III., patriarcha CPnus, qui nulla alia re, quam intellecta justa Latinorum causa motus, cum parte cleri sui primatum pontificis agno-

vit, et communionem cum ecclesia Romana inivit. Verum reliqua pars cleri, longe major, patriarcham, improbato ejus actu deposuit, eumque velut seditiosum ad regimen Turcicum detulit, cujus jussu sine dubio interfectus fuisset, nisi Latini celeriter eum abduxissent.*) Nam Turcae ex causis politicis unioni Graecorum cum Latinis adversabantur, et Graeci universim inveteratum in Latinos odium continuo sustentant ac fovent, iisque singulis adhuc annis qua haereticis et ecclesiae inimicis solemniter anathema dicunt, quod patriarcha CPnus prima Dominica Quadragesimae, orthodoxa dicta, clerus autem Jerosolymitanus sabbato sancto apud sepulchrum Salvatoris contra eos pronuntiat. Hoc odium nonnunquam in vehementes lites, imo in graves persecutiones Catholicorum exarsit, qualis recentissimo adhuc tempore excitata fuit. Anno nempe 1818. mense Aprili schismatici Jerosolymitani ecclesiam s. sepulchri vi irruerunt, sacerdotes Catholicos, sacris ibi operantes male tractarunt, verberibus abegerunt, unumque eorum interfecerunt, et hac ratione possessionem istius ecclesiae, quam ex tractatibus regum Catholicorum cum aula Ottomannica hactenus Latini tenuerant, sibi vindicarunt, et Catholicos postea quoque cruenter persequebantur. Et quamquam post aliquod tempus presbyter a rege Galliae ad Sultanum ablegatus effecit, ut illa ecclesia Catholicis redderetur, schismatici tamen aliqua in ea loca illis eripuerunt, et identidem, favente gubernatore Turcico, alia eripere, ipsosque penitus abigere conabantur. Eodem fere tempore metropolita schismaticus Haleppensis per patriarcham CPnum missionarios Catholicos regimini Turcico velut seductores descripsit, qui malis artibus subditos imperii ad religionem Francorum traducere studeant, eoque edictum impetravit, quo omnes Catholici Haleppenses, quorum numerus 12,000 erat, metropolitam schismaticum ut episcopum suum revereri, a suis ecclesiis frequentandis abstinere

et ...nonnisi cultui schismaticorum interesse jubebantur. ...ul 14 sacerdotes Catholici ex urbe relegati, et laico... ...i interfecti, multi in carceres conjecti, eo quod ...tum protestari ausi essent. E reliquis plurimi ... Libanum fugerunt, et quamquam consules ...orum et Austriacorum pro afflictis intercedebant, et ad ...ilegia eis concessa provocabant, tamen post ali... ...us in illos, qui edicto obtemperare recusabant, ...mtione bonorum, vinculis, imo suppliciis ani... ...sum est. Persecutio ad peregrinos quoque Catho... ...qui nonnisi per ...mpus Beroeae moraban-tur, extensa, et missio... ...ini ipsis moribundis assistere prohibiti sunt. Tandem constanti Austriae, Galliae et Hispaniae legatorum apud aulam Ottomannicam intercessione effectum est, ut anno sequenti res Catholicorum Haleppensium in integrum restituueretur [3]).

[1]) Elfsner Fortsetzung etc.

[2]) Acta hist. eccles. 4. Bd.

[3]) Oesterreichischer Beobachter. August, Sept., Oct. 1818.

§. 1025. In Italia et Dalmatia.

Quod attinet schismaticos extra imperium Turcicum, illi, qui in terris Venetianis habitabant, aliquamdiu, ut ecclesiae Romanae accederent, sollicitati sunt. Ansam ipsi eo praebuerunt, quod circa initium hujus periodi regimen civile ab electione capellanorum suorum excludere conarentur. Tunc enim regimen jam legem effectui dare coepit, juxta quam Venetianus Graecorum archiepiscopus, omnesque eorum clerici cum ecclesia Romana uniti esse debebant. Effectus erat, ut, cum Graeci tales, qui auctoritatem pontificis et fidem Latinorum admittebant, et ab episcopis Latinis approbati erant, repudiarent, inde ab anno 1718. episcopis, multisque in locis, omnibus animarum curatoribus destituerentur, id quod non tantum Venetiis et in territorio reipublicae Italico, sed etiam in Dalmatia, Alba-

nia, et Peloponeso, quae tunc Venetianis subjecta erant, obtinebat. Ad hunc rerum statum, de quo non minus, quam de violentia episcoporum Latinorum, presbyteros schismaticos non tolerantium, Graeci iterato apud regimen conquerebantur, finiendum, illud a. 1762. presbyterum quemdam Graecum, Georgium Faceam archiepiscopum Graecorum Venetianum eligi curavit, cui vero patriarcha CPnus non tantum confirmationem, quam ab eo petiit, denegavit, sed eum etiam in litteris Venetiam missis apostatam pronuntiavit, e clero ejecit, Graecisque, ne sacris ab eo faciendis adessent, interdixit, atque haec omnia propterea, quia fidei formulam a patriarcha sibi propositam subscribere recusaverat. Cum e contra fidei formulam in concilio Florentino conditam cum jurejurando acceptasset, pontifex Romanus Clemens XIII. eum approbavit. Sed ex Graecis in terris Venetianis habitantibus eum nonnisi illi tanquam episcopum suum agnoverunt et cum eo communicarunt, qui cum ecclesia Romana uniti erant, quorum non exiguus erat numerus, praesertim in Dalmatia et Albania. Qui in schismate perseverabant, inde a tempore Faceae, qui non multo post evectionem suam e vita excessit, nec successorem habuit, regiminis benevolentia a sollicitationibus episcoporum Latinorum liberabantur, et libero religionis exercitio sub propriis suis clericis fruebantur, qui rerum status nec postea, cum terrae Venetianae aliis dominis obvenissent, nisi in eo mutatus est, quod in Peloponeso, Albania et in septem insulis maris Jonici schismatici, numero alioquin superiores, iterum ad principatum emerserint. — Qui in aliis terris Italicis sedes fixerant Graeci, sicut jam elapsa periodo omnes unionem cum ecclesia Romana iniverant, ita et praesenti in ea perseverabant, nec aliis quam unitis exercitium religionis et jura civilia concedebantur. Magnus duntaxat Hetruriae dux Franciscus Stephanus a. 1757. sicut aliis acatholicis, ita et schismaticis in urbe Liburno liberum religionis ex-

ercitium concessit, quod ejus filius et successor ampliavit, et variis juribus civilibus auxit. *) — Tentamen, schismaticos in Dalmatia, speciatim in dioecesi Sebenicensi, cujus episcopus clam consentiebat, ecclesiae Romanae conciliandi, quod a. 1823. nonnulli presbyteri Catholici Graeci ritus susceperunt, incolarum quorumdam violentia frustratum est.

*) Le Bret dissertatio historica de statu praesenti ecclesiae Graecae in Dalmatia, quae ritum Slavo - Servicum sequitur. Ejusd. Magazin für Staaten - und Kirchengeschichte. Ejusd. Geschichte der fremden Nationen in Italien.

§. 1026. In terris Hungaricis, Polonicis, et Russia.

In terris Hungaricis priori hujus periodi tempore conversiones schismaticorum ad ecclesiam Catholicam continuabantur. Hae in Croatia et Slavonia rarius optatum effectum habebant, in Hungaria frequentius, frequentissime in Transsylvania, ubi usque ad annum 1744. episcopo et presbyteris exemplo praeeuntibus, plerique schismatici errores Graecorum abjecerant. Sed illo anno monachus quidam peregrinus inter conversos comparuit, reverendo suo habitu externo et morum severitate magnam apud populum auctoritatem, imo sanctitatis opinionem sibi comparavit, eaque usus est ad conversos ad defectionem ab ecclesia Catholica perducendos, persuadens, eos salutem non consecuturos, nisi ad fidem patrum reversi fuissent. Ille quidem non multo post comprehensus et Viennam abductus est, at ejus sermones tantam in conversos vim habuerant, ut omnes ad schisma reverterentur, et nec monitis postea nec minis aliisve mediis ad presbyteros unitos recipiendos permoveri possent. ¹) Caeterum schismatici in terris Hungaricis religionis causa tam parum inquietabantur, ut potius privilegia, quae eis originetenus concessa fuerant, saepius confirmarentur et augerentur, et tandem a. 1791. in publicis comitiis perfecta jurium omnium

aequalitas cum Catholicis eis concederetur. — In Polonia schismatici diversis modis ultra privilegia sibi concessa progredi tentabant, nominatim novas ecclesias, ubi ex lege eis non competebat, aedificabant, praecipue vero praesentia Suecorum, qui Poloniam occupaverant, sicut reliqui dissidentes, in rem suam utebantur. Igitur in eos quoque decreta publica directa erant, quae a. 1716. ad dissidentes intra limites eis praefixos reducendos condita sunt, inter quae id quoque erat, ne novae amplius ecclesiae ab eis aedificarentur, imo ultra legem extructae diruerentur. Ejusmodi refroenationes sicut caeteros dissidentes, ita et schismaticos vehementer irritarunt, eosque ad interventionem alienorum, speciatim Russorum implorandam, denique ad confoederationes ineundas excitarunt, quibus omnibus regni interitus non parum promotus est. Qui regno diviso sub potestatem Russorum venerunt, utique omnia jura civilia et ecclesiastica, quibus caeteri incolae fruebantur, obtinuerunt. Haec nec Borussi illis denegarunt, qui sibi obvenerunt; qui vero Austriacis cesserunt, primo in statu pristino relicti, deinde secundum praescripta tolerantiae, a Josepho II. edita, habiti sunt. Qui in provinciis Polonicis a Russis occupatis hactenus cum ecclesia Romana uniti fuerant, nunc sub novo schismaticorum imperio fere omnes ad idem schisma reversi sunt.[1]) — Russos denique cum ecclesia Romano-Catholica uniendi labente hac periodo nullum tentamen susceptum est, nisi quod Sorbonna Petrum Magnum Parisiis praesentem, et hoc innuente clerum Russicum ad unionem invitaret, quae vero invitatio nullum prorsus effectum habuit. Neque singulorum conversiones, quamquam earum exempla non penitus desunt, facile effici poterant, cum leges admodum severae adversus convertentes latae sint. Vice versa etiam pauci ex Catholicis ad ecclesiam Russicam transierunt, quod praeter alia partim inde venit, quia clerus Russicus fere nullam proselytis faciendis operam impendit, partim

inde, quia Catholici sicut et Protestantes plena religionis libertate et jure civitatis in Russia fruuntur. Utrumque jam Petrus Magnus, praecipue in edicto, a. 1702. edito concessit, sed ex causis maxime politicis, cum ad culturam populi sui promovendam peregrinos, ut in Russiam venirent, ibique sedes figerent, permovere conaretur. Hanc tolerantiam ejus successores conservarunt, imo Catharina II. eam auxit, ita ut omnes Christiani non tantum liberrimum religionis exercitium habeant, sed etiam in aedificandis ecclesiis et sustentandis clericis a regimine adjuventur, et ad omnia munera publica pervenire possint. In his tantum religionis Russicae praerogativa et dominium conservatur, quod extraneae, quae principibus ex familia Caesarea nubunt, eam amplecti debent, quod clericis alienis non licet, Russos in ecclesiam suam suscipere, et quod proles ex matrimoniis mixtis oriundae, omnes in religione Russica educandae sunt.[3]) Caeterum, qui hodie ex universis Christianis Graeci ritus cum ecclesia Romana uniti sint, jam capite secundo indicatum est.

[1]) Acta historico - ecclesiastica. 10. 11. 12. Ed.

[2]) Jekel Pohlens Staatsveränderungen. Friese Beyträge. Walchs neueste Religionsgeschichte. 7. Th.

[3]) Hupel russische Miscellen. Grot Bemerkungen über die Religionsfreyheit der Ausländer im russischen Reich.

§. 1027. Relatio inter ecclesiam Romano-Catholicam et sectas Orientales.

Quod sectas Orientales attinet, numerus illorum, qui elapsa periodo, abjectis erroribus Romanum pontificem ut totius ecclesiae primatem agnoverunt, praesenti opera mis ionariorum non parum auctus est. Equidem Nestorianorum in India pars circiter dimidia unioni, quam saeculo 16. cum ecclesia Romana omnes inhaeverant, constanter hucusque inhaesit. Qui in Persia habitant, non quidem numerosi, at omnes Catholici sunt. Horum supremus episcopus seu patriarcha Urmiae re-

. Illorum quoque, qui in utroque littore Tigris
ıntur, permulti cum ecclesia Romana sunt uniti.
ıon solum Diarbechiae ad Tigrim jam dudum pa-
cham habebant, sed missionarii Romani etiam ef-
runt, ut a. 1781. Mosulae quoque, ubi hactenus
archa primarius Nestorianorum haereticorum omni-
sedem habuerat, unus ex Catholicis ad hanc di-
ıtem eveheretur.[1]) Ex Armenis haud pauci labente
periodo ecclesiae Romanae accesserunt, praeser-
in provinciis Turciae Asiaticae, nominatim Ancy-
cujus incolae plerique Armeni sunt. Horum longe
ima pars decurrente saeculo 18., abjecta haeresi,
ıano pontifici ceu visibili ecclesiae capiti se subje-
His quidem ecclesiae, quas habebant, ab haereti-
ɔpe Turcarum ereptae sunt, et quamvis propterea
um divinum in aedibus privatis peragere debent,
ravibus identidem persecutionibus subjiciuntur; ta-
in unione cum illa inita constanter perseverant.
dubio multo plures Armenorum ecclesiae Catho-
accederent, nisi metu persecutionum absterreren-
et nisi patriarchae eorum unioni adeo adversaren-
e quibus Joannes, qui primis saeculi 18. tempori-
CPi sedit, plures missionarios et Armenos unitos
te mulctari curavit.[2]) Caeterum praeter Ancyranos
ıeni Catholici hodie existunt Venetiis, Viennae, in
garia, Transsylvania, Galicia et Polonia, CPi, Ha-
i, et in monte Libano, ubi episcopus Armenorum,
ısia Turcica unitorum, cum titulo patriarchae sedem
et, denique permulti in Persia, quibus praest archi-
copus, qui Nachtschiwaniae in Aran residet. Inter
ıophysitas in India orientali circiter 50,000, quae jam
terita periodo errores abjecerunt, Romanum ponti-
n ut caput ecclesiae venerantur. Cum eodem com-
ionem ecclesiasticam colunt, qui numero haud adeo
ıo in Persia habitant. Ex illis, qui in Syria, Meso-
ımia et Assyria sedes habent, hac aetate haud pauci
accesserunt, qui jam elapsis saeculis unionem cum

ecclesia Catholica iniverant, imo secundum relationes missionariorum, qui in illis regionibus morari solent, ipse eorum patriarcha circa annum 1780. sedi apostolicae se submisit.[3]) Tentamen aliquod Coptos in Aegypto ecclesiae Romanae conciliandi, labente hac periodo institutum fuisse non innotuit. Ii potius animum a Catholicis ab illo tempore, quo his Nestorianismum adjudicarunt, aversum conservant. Abyssinii denique in proposito, Catholicos e terra sua excludendi, omnesque eorum missionarios, qui eam ingredi auderent, interficiendi perseverabant, quapropter ad conversionem eorum tentandam nihil aliud fieri poterat, nisi ut nonnulli indigenae Romae in seminario de propaganda fide instituerentur, et deinde in patriam remitterentur, quod nominatim a. 1788. cum duobus ex ista gente factum est, quo autem eventu, non innotuit.

[1]) Borheck Erdbeschreibung von Asien. 3. Th. Henke Religionsannalen.

[2]) Borheck Erdbeschreibung von Asien. 3. Th. Serpos compendio storico.

[3]) Borheck Erdbeschreibung von Asien. 3. Th. Assemann biblioth. Orient. 2. Tom.

§. 1028. Immunitas cleri realis et personalis. Ejus jurisdictio in rebus saecularibus. Ejusdem pars in legislatione civili.

Longe maximam et ecclesiae minime utilem mutationem hac periodo subiit mutua inter ecclesiam et civitatem relatio. Equidem quod relationem ecclesiae ad civitatem attinet, clerus in pluribus terris plerisque privilegiis ac praerogativis, quibus tot saeculis ornatus erat, privatus est. Immunitas realis, saepins jam impetita et violata, tandem penitus sublata est in terris Austriaco-Germannicis ab imperatore Josepho II.; in Gallia a congregatione nationali; in Germannia Catholica extra provincias Austriacas á principibus, quibus territoria Catholica, ut plurimum ecclesiastica, ex pace Lunaevil-

lensi et ex recessu principali deputationis imperii obvenerunt; in Polonia ab illis principibus, qui hoc regnum inter se diviserunt; in Italia a Napoleone et principibus ab hoc constitutis, in Hispania et Lusitania ab iisdem, et a congregatione illorum, qui a populo ad civitatem innovandam deputati dicebantur. In posterioribus tamen regnis, dissipata ista congregatione, cum universo pristino statu etiam immunitas ecclesiastica restituta est. In concordato, a. 1818. inter sedem apostolicam et utramque Siciliam inito, solummodo cautum est, ne bonis ecclesiasticis plus quam saecularibus onerum et tributorum imponatur. Simili modo et simultaneis fere decretis clerici personalem quoque immunitatem amiserunt, et judiciis saecularibus subjecti sunt. In Austria tamen aliquot annos post sublatam immunitatem personalem clericis forum nobilium concessum est. Cum sublatione immunitatis clericorum personalis cohaerebat sublatio jurisdictionis, quam clerus in rebus saecularibus exercebat. Imo in plerisque terris, nominatim in Germannicis et in Gallia, ei etiam jurisdictio in rebus matrimonialibus ademta, et una cum legislatione de iisdem potestati saeculari attributa est. Loco suo inter publicos ordines, adeoque parte, quam in legislatione civili habebat, clerus excidit in Gallia per revolutionem, in Germannia per pacem Lunaevillensem et conclusum deputationis imperialis, in Polonia per destructionem regni. Cum postea res ecclesiastica restauraretur, episcopi novi regni Polonici ex publica, quam a. 1815. accepit, constitutione in cameram superiorem seu inter senatores recepti sunt; in Bavaria duo archiepiscopi, et unus episcopus, a rege denominandus, pariter inter regni consiliarios, priorem cameram constituentes pertinent, clerus autem inferior tot e gremio suo electos ad conventus legislativos mittit, quot octavam partem omnium a populo deputatorum efficiunt; in regno denique Würtembergensi, et in magno ducatu Badensi episcopus pariter in camera superiori

sedem et votum habet. In Gallia a regis voluntate dependet, an et quos episcopos inter pares suscipere velit.

§. 1029. Relatio summi pontificis ad imperantes civiles. Dissidium inter Clementem XI. et Josephum I. imperatorem.

Si relatio, in qua summi pontifices ad imperantes civiles ultima hac periodo erant, quoad rei substantiam breviter indicanda venit, dicendum est, eam in continua fere pugna constitisse, quam isti illis modo de rebus saecularibus, maxime vero de ecclesiasticis movebant, e qua plerumque principes saeculares victores discesserunt. Non amplius pontifices aliquam illorum in rebus civilibus aut politicis subordinationem aut dependentiam a sede apostolica asserebant. Speciatim quoad imperatores Germannicos non amplius jus electos confirmandi aut eorum actibus interveniendi sibi attribuebant, nisi forte quis huc referre velit, Clementem XI. electori Moguntino exprobrasse, quod imperii consultum, quo dux Hanoveranus elector factus est, non impedierit, eidemque significasse, consultum illud a se irritum pronuntiari. Si talia adhuc pontifices praesumebant, nulla fere eorum ratio habebatur, velut, cum idem Clemens regiam dignitatem, quam Fridericus III. elector Brandenburgicus a. 1701. consentiente imperatore sibi attribuit, vehementer improbaret, tum quod princeps haereticus prioribus potius dignitatibus privandus, quam novis augendus esset, tum quod per illam exaltationem jus ecclesiae et ordinis Teutonici, ad quem Borussia pertineat, et sedis apostolicae, a qua sola regiae dignitatis collatio dependeat, violatum fuerit. Litterae, quibus idem pontifex imperatorem et reges Catholicos, ne Fridericum ut regem agnoscerent, hortabatur, effectu non minus caruerunt, quam illud, quod aula Romana eum ejusque successores usque ad

Fridericum II. reapse qua reges non agnovit. Si pontifices nonnunquam imperantibus civilibus adversabantur, id jam non propter causas politicas, sed propter ecclesiasticas, maxime propter violatam immunitatem aut propter assertam circa sacra potestatem factum est, et ubi renitebantur aut se defendebant, rarissime excommunicatione aut aliis censuris ecclesiasticis utebantur. Quae hactenus dicta sunt, pluribus exemplis comprobari possunt. Sic collisio inter eundem Clementem XI. et Josephum I. imperatorem potissimum propter immunitatem ecclesiasticam orta est. Quoniam nempe dux Parmensis in bello, quod Austria ad jus suum in monarchiam Hispanicam contra Gallos tuendam gerebat, cum istis faciebat; Austriaci a. 1706. copias suas in terras illius hyematum duxerunt, et multa subsidia ac tributa ab eo exegerunt, ad quae etiam clero non parum conferendum erat. Sed pontifex omnes, qui cleri immunitatem laederent, censuris in bulla coenae statutis innodatos, et pactum, quo dux ad illa subsidia et tributa praestanda se obligaverat, etiamsi jurejurando confirmatum fuisset, nullum irritumque pronuntiavit. Sed imperator eo tam parum motus est, ut, quoniam pontifex Philippum Andegavensem qua regem Hispaniae agnoverat, potius anno sequenti copias suas in territorium Romanum duci, ibique tributa exigi permitteret. Aliud agmen non multo post per idem territorium, cui minime parcebat, in regnum Neapolitanum contendit. In eodem regno et in ducatu Mediolanensi, pariter a Caesareis occupato omne commercium cum subditis pontificiis interdictum est, et pecuniae, a clero terrarum illarum Romam mitti solitae retinebantur. Imperator praeterea Comacium, urbem maritimam in ditione pontificia tanquam vetus feudum imperii a militibus suis occupari jussit, et in litteris, typo publicatis non tantum bullam pontificiam, qua pactum, cum duce Parmensi, irritum pronuntiatum fuerat, refutavit, sed etiam sedi pontifi-

ciae omne jus feudale, quod in ducatus Parmae et Placentiae illa sibi asserebat, abjudicavit, ostenditque, civitates istas non minus quam Comacium feuda imperii esse, quo facto ab utraque parte de jure patronatus in easdem civitates in pluribus scriptis acriter disputatum, et ab aula Caesarea jus pontificis in Romam ipsam in contentionem vocatum est. His omnibus Clemens vehementer commotus, postquam querelis et monitis nihil profecisset, a. 1708. bullam admodum gravem contra imperatorem edidit, in qua eum vehementer objurgavit, eique excommunicationem et arma materialia minatus est. Reapse non multo post contra Austriacos exercitum instruxit, qui vero ubique pellebatur; quare pontifex, cum Austriaci jam Romae ipsi imminerent, a. 1709. ad pacem cum imperatore faciendam animum adjecit, cujus conditiones hae erant, ut ille copias suas usque ad eum numerum, quem in statu pacis habere solebat, dimitteret, quo facto iste militem e territorio Romano educturus esset, excepto praesidio, Comacii et in aliis quibusdam locis trium legationum septentrionalium sed sine omni animo hostili habendo; porro ut lites de Parma, Placentia et Comacio a viris utriusque partis, necessaria potestate instructis examinentur et pacifice componantur.

Guarnacci vitae et res gestae Roman. pontif. Leben Clemens XI.

§. 1030. Dissidium propter monarchiam Siculam.

Sub eodem Clemente de monarchia Sicula vehementes lites exortae, diu agitatae, et tandem etiam in regis favorem compositae sunt. Illi, per quos rex Siciliae monarchiam istam exercebat, immunitatem ecclesiasticam haud raro violabant, et episcopos pro ea certantes graviter puniebant. Quare monarchia Sicula clero admodum invidiosa erat. Episcopus Liparitanus a. 1715. magistratum Panormitanum, quod per suos officiales a mercibus episcopi vectigalia exegisset, ex-

communicavit. Quam sententiam cum tribunal monarchiae irritam pronuntiasset, et episcopum objurgasset, hic illi ipsi anathema dixit, simulque dioecesin suam interdicto subjecit, et Romam fugit. At tribunal clericis interdictum observare vetuit, et episcopum, ni intra statutum terminum reverteretur, munere privandum judicavit. Pontifex non tantum hoc judicium irritum sed etiam immunitatem et jurisdictionem ecclesiasticam in Sicilia admodum laesam esse, editis litteris pronuntiavit. Has litteras praeses tribunalis quidem suppressit, eae nihilominus episcopis innotuerunt, quorum alii regis, alii pontificis partes sequebantur. Hos tribunal custodiae mancipavit, illos pontifex excommunicavit, qui praeter alia etiam quinque dioeceses Siciliae interdicto subjecit; cumque episcopi et caeteri clerici, qui interdictum observabant, muneribus et proventibus privarentur, in vincula conjicerentur, verberibus et contumeliis afficerentur, e regno ejicerentur; pontifex non tantum praesidem tribunalis ejusque adjutores et satellites excommunicavit, sed etiam ipsam monarchiam Siculam, non quidem expresse, attamen revocatis juribus et privilegiis, a pontificibus Siciliae dominis olim concessis, aboluit; quo facto plures adhuc clerici Siciliam reliquerunt, ita ut a. 1717. tres tantum episcopi in hac insula, Romae autem tria circiter millia clericorum Siculorum essent. Haec ita facta sunt, cum Victor Amadeus, dux Sabaudiae, qui jam antea propter varias res a pontifice sibi denegatas adversus hunc irritatus erat, Siciliam teneret. Postquam a. 1720. Carolus imperator, qui Neapolim jam possidebat, etiam Siciliam accepisset, lis quidem deferbuit, censurae sublatae, et clerici Siculi locis suis restituti sunt. Ad monarchiam autem Siculam, de qua ab utraque parte scripta sibi adversa emittebantur, restituendam, neque Clemens XI. neque ejus successor, Innocentius XIII. permoveri potuit. Sed Benedictus XIII. qui Innocentio a. 1724. successit, pacis amans, suggerente

primario suo negotiorum publicorum administro, cardinali Coscia, illam reapse sub certis modificationibus restituit.[1]) — Verum circa alias quoque materias, rem ecclesiasticam in Neapoli potissimum attinentes, dissensiones et lites inter reges et pontifices ortae erant. Illi namque immunitatem realem, localem, et personalem diversimode laedebant et restringebant, jurisdictionem nuntii apostolici, qui Neapoli esse solebat, limitabant, alienigenis beneficia denegabant a pontifice collata, varia jura circa ecclesias, monasteria, hospitalia, confraternitates, aliasque pias fundationes sibi asserebant, litteras pontificias approbationi suae, seu sic dicto »exequatur« subjicere tentabant, etc. His et similibus coeptis res sub Carolo Burbonico jam eo devenit, ut pontifex huic investituram regni utriusque Siciliae denegaret, rex vero ditionem pontificiam per milites invaderet. Anno tamen 1738. conventio inita, ex qua pontifex regi praeter alia investituram contulit, quo facto hic relationem suam vasalliticam ad sedem apostolicam agnovit, et consuetum asturconem ac censum in signum illius Romam quotannis mittebat.[2]) Ad caeteras autem dissensiones et lites componendas Benedictus XIV. a. 1741. novam cum rege conventionem iniit, ad Neapolim tantum pertinentem, qua praeter alia imprimis immunitas realis, localis, et personalis accuratius definita, statutumque est, ut tribunal erigeretur, e praeside clerico et quatuor assessoribus, duobus clericis a pontifice, et duobus laicis a rege designandis compositum, quod certas quasdam causas definiat, et observationi eorum, quae in hac conventione statuta sint, invigilet.[3])

[1]) Guarnacci lib. cit. Leben Clemens XI.
[2]) Guarnacci lib. cit.
[3]) Vater Anbau der neuesten Kirchengeschichte.

§. 1031. Lites inter pontifices et Sardiniae reges.

Idem pontifex simili conventione dissidia sustulit, quae a multo tempore inter sedem apostolicam et Sar-

diniae reges obtinebant, et circa plura objecta versabantur. Imprimis Victor Amadeus, cum nondum Sardiniam teneret, jus sibi asseruit, episcopatus, abbatias et alia beneficia in suis terris conferendi, nixus quadam bulla, qua Nicolaus papa V. Ludovico ex ejus antecessoribus privilegium concesserat, ut sine ejus consensu nullum a pontifice beneficium in terris ejus conferretur. Hujus privilegii extensionem ab Amadeo factam Clemens XI. reprobavit. Cum idem a. 1707. tam singulis monachis quam integris monasteriis facultatem haereditandi ademisset, et saecularem episcoporum quorumdam jurisdictionem limitasset, pontifex adversus administros, quorum consilio dux illud decreverat, monitorium minis plenum edidit. Dux a. 1711. episcopo Novarensi munus ademit, quod aliquos officialium excommunicasset. Cum pontifex episcopum protegeret, dux legatum suum Roma avocavit, et ne litterae pontificiae suis in terris acceptarentur, prohibuit. Anno sequenti pontifex quosdam ducis consiliarios, qui proventus cujusdam abbatiae occupaverant, anathemate percussit. Cum dux a. 1720. Sardiniam accepisset, pontifex Benedictus XIII. qui hanc insulam quasi feudum ecclesiae Romanae considerabat, a rege, ut hominium sibi praestaret, postulabat. Quod cum iste recusaret, ille episcopos tum in Sardinia, tum in reliquis terris, a rege denominatos rejecit, quo factum, ut multi episcopatus et alia beneficia ibidem vacarent. Erant in Pedemontio quaedam civitates, quas rex non ut supremus dominus, sed ut feuda pontificia possidebat. Eas nunc pontifex reclamabat, rex vero supremum in eos dominium sibi asserebat. His omnibus utriusque partis animi adeo contra invicem irritati sunt, ut omnis inter eos communicatio aliquamdiu interrumperetur. Anno tamen 1727. Benedictus XIII. conventionem cum rege iniit, qua huic praeter alia jus episcopatus, abbatias, et alia beneficia suis in terris conferendi, atque etiam privilegium, quod postulaverat, concessit, ut

nempe nuntius pontificius in aula Tauriensi, munere suo perfunctus, dignitate cardinalitia ornaretur. Sed hanc conventionem Benedicti successor, Clemens XII. iterum rescidit, quod immodicas concessiones contineret, et a paucioribus cardinalibus rata habita fuerit. Hinc novae inter utramque partem simultates. Tandem Benedictus XIV. a. 1741. dissensiones eo sustulit, quod regi jus, omnia beneficia conferendi, et omnia feuda pontificia, in terris ejus sita, nomine vicariatus sedis apostolicae in perpetuum concederet, ea tamen conditione, ut quotannis calicem aureum, mille aureos aequivalentem ad cameram apostolicam mitteret. Ut autem privilegium, candidatum dignitatis cardinalitiae praesentandi, Sardiniae regi concederet, Benedictus XIV. permoveri non potuit.

Guarnacci lib. cit. Bower Lebensbeschreibungen der Päpste, fortgesetzt von Rambach.

§. 1032. Lites pontificum cum Joanne V. Portugalliae, et Philippo V. Hispaniae rege.

Si olim imperatores et reges a pontificibus variis armis ad eorum in rebus saecularibus imperata facienda adigebantur; nunc sorte inversa pontifices ad voluntatem imperantium civilium in rebus ecclesiasticis implendam mediis severioribus perducebantur. Id praeter jam narrata testatur agendi ratio, qua rex Portugalliae Joannes V. a sede apostolica privilegium extorsit, ut nuntius pontificius in aula Ulyssiponensi, munere suo perfunctus, nonnisi qua cardinalis discederet. Occasio et series gestorum haec erat. Vincentius Bicchi, qui sub Clemente XI. nuntiaturam Ulyssipone obibat, plura, quae nec munus, nec dignitatem ejus sacerdotalem decebant, commisit, quapropter rex a pontifice, ut eum avocaret, petiit. Id quidem Clemens non fecit, Bicchium objurgasse contentus. Sed ejus successor, Innocentius XIII. Bicchium reapse avocavit. Tunc vero rex postulavit, ut abiturus purpura ornaretur.

Quod cum pontifex partim propter malos viri mores, partim quod tale privilegium regi Lusitanico concedere nollet, denegaret; hic Bicchio abitum et novo nuntio a pontifice designato aditum prohibuit. Cumque Benedictus XIII. promissionem suam, regis voluntati obsequendi, propter cardinales renitentes implere non posset, rex adeo inde irritatus est, ut omnes subditos suos Roma avocaret, pontificios e regno suo amoveret, omnemque communicationem inter terras Romanas et Lusitanicas tolleret. Imo a. 1729. ulterius progressus eleemosynas, quae variis ecclesiis et monasteriis Romae ex Lusitania transmitti solebant, retinuit, et dispensationes in certis quibusdam matrimonii impedimentis a sede pontificia peti vetuit. Quibus vexis ut finis fieret, et pristina concordia restitueretur, Benedicti successor Clemens XII. regis voluntati tandem satisfecit. Alias quoque pontifices ad indignationem principum arcendam, et ad mala ecclesiae inde nascitura praecavenda necessitate circumventi erant, illorum petitionibus, de dignitate cardinalitia hominibus indignis aut inhabilibus conferenda annuendi.

§. 1033. Collisio Benedicti XIV. cum republica Venetiana, et Clementis XIII. cum Genuensi.

Ut imperantes civiles decreta, quibus exercitium potestatis pontificiae limitabatur, revocarent, pontifices non amplius monitis aut mediis severioribus, imo ne precibus quidem semper impetrare poterant. Sic respublica Venetiana a. 1754. vetuit, ne litterae pontificiae effectui darentur, nisi prius a regimine civili cognitae. Simul prohibuit, ne in posterum indulgentiae, privilegia altarium, variique generis dispensationes et concessiones, nisi quaedam sub certis conditionibus, a pontifice peterentur et acciperentur. Hoc reipublicae decreto papa Benedictus XIV. graviter commotus eam impensis monitis ad illud revocandum permovere co-

natus est, sed nihil aliud impetravit, quam ut respublica contestaretur, sibi minime in animo fuisse, auctoritatem pontificiam ab auctoritate patriarchae aut regiminis civilis dependentem reddere. Igitur Benedictus, cum efficacioribus mediis careret, saltim omnes conventiones commerciales inter suos et reipublicae subditos sustulit, et mercibus Venetianis majora vectigalia imposuit.[1]) Attamen Clemens XIII. qui ei a. 1758. successit, et natione Venetus erat, cum a republica revocationem illius decreti quasi gratiam, sedi apostolicae concedendam petiisset, eam etiam quasi gratiam impetravit. Eo gravius idem Clemens ab aliis imperantibus civilibus offensus est. Sic, cum a. 1759. petente Paschali Paoli, Corsorum, in rempublicam Genuensem rebellium duce, at consensu republicae frustra requisito, nihilominus episcopum quemdam tanquam visitatorem apostolicum in Corsicam ablegasset, qui ecclesias insulae visitaret, episcopatus rectoribus destitutos administraret, monachos reformaret; Genuenses publico decreto magnum praemium illis constituerunt, qui episcopum capturi sibique tradituri essent. Simul duas naves instruxerunt, quae eum interciperent, irrito tamen eventu; nam ille feliciter in Corsicam pervenit, munereque sibi demandato plures annos functus est. Pontifex quidem illud Genuensium edictum, quod eum horrore implevit, tanquam libertati ecclesiasticae et dignitati episcoporum summe injuriosum rescidit, datisque litteris reipublicae exprobravit, quod contra ipsius episcopum quasi contra piratam processisset. At illa litteris pontificiis scripta publica opposuit, quibus suam agendi rationem defendere conabatur, nec nisi reverso visitatore pacari potuit.[2])

[1]) Le Bret Staatsgeschichte der Republik Venedig. 3. Th.

[2]) Klausing historia controversiae recentissimae inter pontif. Rom. et rempublicam Genuens. Lipsiae.

§. 1034. Clementis XIII. collisio cum Josepho I. Lusitaniae rege et cum duce Parmensi.

Non magis pontifici parcebat Josephus I. rex Lusitaniae. Quoniam nuntius pontificius in aula Ulyssiponensi expulsionem Jesuitarum non minus improbabat, quam primarius pontificis administer Torreggianus, rex a papa postulavit, ut nuntium revocaret, Torreggiano in negotiis Lusitaniae non uteretur. Accidit a. 1760., ut nuntio jam dimisso, attamen adhuc Ulyssipone morante, legati extranei propter festum quoddam aulicum palatia sua illuminarent, nuntius autem pontificius idem non faceret, eo quod munus ejus non amplius a rege agnoscebatur, et ipse propterea non sicut caeteri legati illa de re praemonitus fuerat. Nihilominus rex inde irritatus eum per milites e regno eduxit, legatum suum in aula pontificia cum omnibus subditis suis Roma avocavit, subditos pontificios e Lusitania amovit, merces e ditione Romana regno suo invehi prohibuit, denique omnibus clericis et laicis interdixit, ne sine licentia primarii administri dispensationes aut concessiones ullas ab aula pontificia peterent, aut pecuniam in territorium Romanum mitterent. Haec discordia demum sub Clemente XIV. a. 1770. sublata est, quo rex novum nuntium admisit, et communicationem cum sede pontificia restituit. Rege a. 1777. mortuo, Pombalius, primarius ejus administer, qui illam sedem ubi potuit, impetierat, omni potestate exutus est. Id fecit Maria Francisca, quae Josepho patri in regno successit, ab hoc ipso in testamento admonita, ut concordiae inter regnum et sacerdotium conservandae semper studeret, et animo insuper religioso praedita. Haec igitur nuntio apostolico jurisdictionem et privilegia a patre ademta restituit [1]). — Multo gravius autem Clemens XIII. impetitus est, cum ducem Parmensem propter violatam immunitatem ecclesiasticam excommunicasset. Is a. 1764. ecclesiis et monasteriis plus quam vigesimam totius haereditatis partem testamento

gubernacula promotus, hoc autem a. 1760. Hispaniae regnum adepto, primarius utriusque Siciliae administer constitutus fuerat, quam Ferdinando, Caroli filio et successore adhuc minorenni, illimitata potestate gubernabat. Hic iisdem fere, quibus collegae ejus in Lusitania, Hispania, et Gallia, principiis addictus erat, et pro his jura et commoda sedis pontificiae in utraque Sicilia limitare conabatur, juvenemque regem suae agendi rationi conciliavit. Imprimis jam sub Clemente XIII. statutum est, ut tam episcopatus quam caetera beneficia fundis instructa, quae omnia hactenus a pontice conferebantur, in posterum a rege conferrentur. Anno 1776. prohibitum, ne quis concessiones et dispensationes, speciatim in re matrimoniali a sede pontificia peteret, statutumque, ut omnes ejusmodi dispensationes ab episcopis tribuerentur. Anno 1779. pontifici proventus intercalares beneficiorum vacantium denegati, constitutique laici administratores istorum proventuum, deductis expensis inter pauperes dioecesis distribuendorum. Denique a. 1788. etiam traditio asturconis et census vasallitici, quae jam antea, obtinentibus inter utramque partem litibus, nonnunquam interrupta fuerat, omissa est. His aliisque jurium et emolumentorum suorum laesionibus pontifex Pius VI. non potuit non graviter commoveri. Non aliis tamen armis, quam quaerimoniis, monitis, protestationibus, scriptis jurium suorum defensionibus utebatur. Praeterea episcopis a rege denominatis confirmationem denegabat, cumque hic vicissim a pontifice denominatos non admitteret; factum est, ut progressu temporis ultra 50 episcopatus vacarent. Anno 1786. pontifex, legatis Neapolim missis dissensiones tollere iterato sed frustra tentavit. Anno tandem 1790., cum aula Neapolitana aequiora consilia erga sedem apostolicam admisisset, conventio inter utramque partem inita est, qua statutum, ut in posterum relatio regis vasallitica et traditio asturconis ac census cessaret, cujus loco quivis rex regnum adiens

Pius apud ejus coronationem, qua non multo post Mediolani rex Italiae inaugurari voluit, comparere detrectaret, eoque odium illius sibi contraheret. Deinde a. 1806., cum Galli regnum Neapolitanum invaderent, territorium pontificium, per quod exercitum ducebant, non secus ac terram hostilem tractarunt, et rebus omnibus exhauserunt, nec regno illo occupato, militem e ditione Romana eduxerunt. Praeterea Napoleon et principes ab eo pendentes plura in re ecclesiastica egerunt, quae pontifici probari non poterant. Denique ille ab hoc varia postulavit, vel justitiae, vel constitutioni ecclesiae, vel independentiae et utilitati territorii pontificii adversa, velut: ut pontifex Josephum Bonaparte Neapolis regem ungeret et coronaret; ut codicem legum Gallicarum in suum territorium introduceret, quibus legibus praeter alia matrimonium tanquam contractus mere civilis sistebatur, et dissolubile declarabatur; ut liberum omnium religionum exercitium ibidem concederetur; ut pro ecclesia Gallicana patriarcha a pontifice independens constitueretur; ut episcopi pariter a sede apostolica in posterum independentes pronuntiarentur; ut omnes ordines religiosi et caelibatus clericorum abrogarentur; ut pontifex cum regibus Italiae et Neapolis foedus offensivum et defensivum contra Anglos iniret, hosque a portubus territorii sui excluderet. Quamquam omnes hae postulationes tales erant, ut papa vix ullam earum concedere posset, tamen, etsi omnes concessisset, possessionem terrarum suarum, vix sibi servasset. Igitur ineunte anno 1808. Galli, duce Miolli territorium pontificium ulterius invaserunt, et mox, nemine resistente, Romam ipsam occuparunt. Nam Pius, ne quis eis resisteret, prohibuerat, nihilque aliud agebat, nisi ut suo et successorum suorum nomine contra occupationem ditionis ecclesiasticae scripto protestaretur, subditosque ad quietem agendam adhortaretur, per legatum suum in aula

communicatos aliisque censuris ecclesiasticis subjectos pronuntiavit; porro alia bulla breviori, ad Napoleonem ipsum directa excommunicationis sententiam contra eum latam eidem significavit. Has bullas Galli omni data opera supprimere nitebantur. Non multo post pontifex a militibus Savonam abductus, ibique sollicite custoditus, charta et atramento prohibitus, ab omnibus clericis separatus, et nonnisi praesente inspectore ad colloquium cum aliis admissus, sortem suam duram non minori animi fortitudine quam patientia sustinuit.

Correspondence authentique de la cour de Rome avec la France jusqu' a l'enlevement du souverain pontife. Relation authentique de l'assaut au palais Quirinal et de l'enlevement du souverain pontife par les generaux Miollis et Radet.

§. 1038. Iisdem restitutus.

Illo tempore, quo haec facta sunt, potentia Napoleonis tanta erat, et tam firma videbatur, ut dominium pontificis saeculare, ejusque in regenda ecclesia independentiam, arctissime cum illo connexam, in perpetuum intercidisse, atque hunc saecularis dominii interitum progressu temporis etiam jacturam potestatis primatialis et dissolutionem ecclesiae Catholicae secuturam esse, hostes hujus ecclesiae laetabundi vaticinarentur, amici autem ejusdem solliciti ad promissionem divini ejus auctoris: »Portae inferi adversus eam non praevalebunt,« respicerent, donec eventus hujus promissionis veritatem et divinitatem denuo comprobaret. Interea plures in Gallia episcopatus vacaverant, cumque Napoleon a Pio, ut episcopos a se denominatos confirmaret et canonice institueret, postularet, pontifex, se id tum demum facturum esse contestatus est, si pristino statui restitutus foret, id quod ad negotia ecclesiae cum libertate, et adhibita senatus cardinalitii consultatione administranda omnino necessarium erat, Quum jam ex defectu praesulum ecclesiaticorum varia

suae restitutus est, omnesque fere terras, quas ecclesia Romana ante pacem Tolentinam possederat, tandem recepit.

Storia di pontificato di Pio VII. Beyträge zur Geschichte der katholischen Kirche im 19. Jahrhunderte. Heidelberg. 1818. Histoire des malheurs et de la captivité de Pie VII.

§. 1039. Potestas principum in rebus ecclesiasticis.

Ex iis, quae hactenus de relatione pontificis ad imperantes civiles narrata sunt, apparet, hos praesenti periodo continuo majorem in rebus ecclesiasticis potestatem sibi vindicasse, speciatim collationem episcopatuum et aliorum beneficiorum obtinuisse, litteras pontificias praeviae cognitioni et approbationi suae subjecisse, dispensationes et concessiones pontificias varii generis a suis subditis arcuisse, immunitates ecclesiasticas aut limitasse aut abrogasse, incrementum bonorum ecclesiasticorum impediisse, monasteria sustulisse. Inter eos erant, qui plus caeteris in rebus ecclesiasticis, utut pontifice improbante et reclamante disponerent, nempe Venetiae, Austriae et Hetruriae rectores. Venetiani inde potissimum ab anno 1762. donationes et legata, ecclesiis aut monasteriis facienda, irrita pronuntiarunt, a bonis ecclesiasticis tributa exegerunt, pontifici collationem beneficiorum ei reservatorum denegarunt, litteras ejus placito suo subjecerunt, sodalitates et confraternitates spirituales, missiones et poenitentiae praedicationes abrogarunt, exemtiones monasteriorum eorumque nexum cum praepositis extraneis, speciatim generalibus, sustulerunt, et haud pauca eorum penitus aboluerunt. — In Austria jam M. Theresia multa circa res et personas ecclesiasticas decrevit, jus asyli, incrementum monachorum et bonorum ecclesiasticorum, recursum ad pontificem limitavit, excommunicationem episcopalem fere prohibuit, novos episcopatus sine concursu sedis apostolicae fundavit, om-

tate disposuit, attamen majori cum moderatione. Sic v. g. sacram inquisitionem et jus asyli abrogavit, bullam coenae, cujus annuam promulgationem ipsa sedes apostolica jam inde a temporibus Clementis XII. omiserat, confessionali affigi aut e sacro suggestu praelegi vetuit, causas saeculares clericorum, matrimoniales, et lites de beneficiis ad forum civile transtulit, incrementum bonorum ecclesiasticorum cohibuit, peregrinationes sacras, unius diei moram excedentes interdixit, nimiam pompam in ornamentis templorum prohibuit, confraternitates spirituales et multa monasteria sustulit, sublataque exemtione residuorum nexum cum praepositis extraneis dissolvit, et meliorem disciplinam eis invexit, proventus beneficiorum non curatorum meliori sustentationi clericorum, curae animarum vacantium destinavit, beneficiorum candidatos rigoroso examini subjecit. Rem ecclesiasticam amplius reformaturus, idque consentiente clero facturus, Leopoldus a. 1785. litteris circularibus synodos dioecesanas indixit, in singulis Tusciae episcopatibus celebrandas, quae quasi praeparationes ad futurum concilium nationale essent, in quo reformatio a duce intenta communibus episcoporum suffragiis decerneretur. Hinc 57 articulos, res continentes, in quibus reformationem desiderabat, ad singulos episcopos eo fine transmisit, ut de iis in synodis dioecesanis praevie deliberaretur, et deliberantium mentes ad unitatem perducerentur. Res in articulis contentae concernebant cultum divinum publicum, disciplinam clericorum, regimen ecclesiasticum. In eis abusus auferendos, emendationem efficiendam, et media, quibus, modumque, quo id effici expediat, magnus dux indigitavit. Articulos illos singuli episcopi privatim discusserunt, suamque desuper sententiam scriptam magno duci transmiserunt. Solus Scipio de Ricci, episcopus Pistoriensis, synodum dioecesanam congregavit, in qua non tantum articuli, quos princeps proposuerat, approbati, sed etiam varia circa doctrinam in

reliqua puncta vel rejecerunt, vel circa ea dissenserunt. Discessuri ex ore magni ducis non obscure intellexerunt, sibi ob discordes ipsorum sententias satisfactum non esse. Hinc etiam convocatio concilii nationalis omissa est. Hoc non obstante Leopoldus varia, quae ad rem ecclesiasticam reformandam facere videbantur, decernere pergebat. Sed jam pontifex reclamabat, suamque indignationem diversimode manifestabat. Sic omnes libros de rebus ecclesiasticis tractantes, qui Florentiae, Pistorii, et Prati comparebant. in indicem librorum prohibitorum retulit, et episcopo cuidam, a magno duce denominato, institutionem canonicam denegavit. Leopoldus vice versa legatum suum Roma avocavit, et nuntium apostolicum velut legatum pro negotiis mere politicis abhinc habuit, appellationes quoque ad sedem pontificiam interdixit. Plena concordia restitui non potuit, quia magnus dux a coeptis suis non absistebat. Cum a. 1790. ad gubernacula monarchiae Austriacae suscipienda discessisset, rectores civitatis ab eo constituti impedire non potuerunt, quo minus varia ab eo abrogata, v. g. processiones, confraternitates, restituerentur. Caeteras reformationes ejus filius et successor Ferdinandus conservavit, a novis autem eo magis abstinuit, quia revolutio Gallicana et bellum inde exortum studia principum a rebus ecclesiasticis paulisper avocabat. Riccius autem episcopus post Leopoldi discessum variis incommodis expositus erat. Pius VI. pontifex in bulla a. 1794. edita, 75 propositiones ex actis synodi Pistoriensis, variis censuris damnavit, quam damnationem Riccius, qui jam antea episcopatu se abdicaverat, a. 1805., cum Pius VII. Parisiis Romam revertens, aliquot dies Florentiae moraretur, subscripsit.

[1] Atti e decreti del concilio dioecesano di Pistoja. Neueste Religionsgeschichte, fortgesetzt von Planck. 1. Th. Schmalfus histor. eccles. Tom. V. Huth Kirchengeschichte des 18. Jahrhunderts. Vaters Anbau der neuesten Kirchengeschichte.

rum tenorem monasteria sustulerunt, et bona ecclesiastica in usus arbitrarios impenderunt. In concordato Bavarico statutum quidem est, episcopos causas matrimoniales examinare et decidere, cum clero et populo suo dioecesano, nec non cum sede apostolica libere communicare, et decreta ac statuta ecclesiastica libere promulgare posse. At in legibus, ad novam regni constitutionem pertinentibus, post concordatum emissis, statutum, legislationem et jurisdictionem de matrimonio, in quantum id contractus civilis sit, soli potestati saeculari competere, et nullum decretum aut statutum ecclesiasticum sine placito regio promulgari posse. Caeterum id ipsum, quod pontifex de re ecclesiastica concordata cum principibus saecularibus iniverit, ostendit, sedem apostolicam non diffiteri, imperantibus civilibus potestatem in illa re qualemdemumcuncque convenire.

§. 1042. Novum jus ecclesiasticum.

Cum theoria non raro praxim sequatur, praxis autem circa regimen ecclesiasticum in pluribus terris Catholicis hac periodo alia fuerit, quam elapsis saeculis; etiam jus ecclesiasticum, prout in scholis ac libris tradebatur, novam ibidem faciem induit. In Gallia quidem rectores civitatis quatuor propositiones, elapso saeculo 17. a clero statutas non multum curabant, imo cardinalis Floerius, qui regnante Ludovico XV. gubernacula civitatis tenebat, eas in conventu quodam cleri rejici curavit. Nihilominus plures juris ecclesiastici doctores et scriptores, velut Cironius, abbas Floerius, et non raro etiam magistratus eis insistebant, atque auctor libri, Gallice scripti, qui a. 1757. sub titulo: historia juris publici ecclesiastici Gallici, comparuit, primatum pontificis arctioribus, quam hactenus auditum fuerat, limitibus circumscripsit et fere ad merum primatum honoris restrinxit. Studium historiae ecclesiasticae antiquae continuo magis propagatum effecit, ut principia Gallicana etiam extra Galliam indies pluribus

probarentur, et secundum illa a nonnullis juris canonici doctoribus potestas pontificis magis limitaretur, jura autem episcoporum et metropolitarum extenderentur. Inter hos notatu dignior est Bernardus Zeger van Espen, presbyter saecularis Belga, qui inde ab anno 1675. jus canonicum multis annis in universitate Lovaniensi cum magna nominis fama tradidit, postremo autem vitae tempore, eo quod Jansenistis in Belgio et Batavia accessiset, munere suo privatus est, quo facto Ultrajectum se contulit, ibique a. 1728. diem supremum obiit. Multo magis principia Gallicanis similia, et quae pontificiis potestatem plus adhuc limitabant, scriptis Febronii propagata sunt, maxime per Germanniam, sed et extra eam, speciatim in republica Venetiana et in Lusitania, ubi praecipue Antonius Pereira, juribus episcoporum et principum contra pontificem et ecclesiam propugnandis tempore Pombalii operam dedit. Ad eam, quam imperantes civiles altero potissimum saeculi 18. dimidio sibi asserebant, in rebus ecclesiasticis potestatem vindicandam et fundandam, circa relationem mutuam inter ecclesiam et civitatem a doctoribus juris canonici principium propositum est, utramque a se invicem esse independentem, simul tamen ab iisdem assertum, ecclesiam esse in civitate, summo principi competere dominium altum et eminens, speciatim in bona ecclesiasiastica, jus supremae inspectionis, adeoque etiam cavendi, ne quid detrimenti respublica capiat, denique sic dictum jus advocatiae, ex quo possit omnia disponere et instituere, quae ecclesiae utilia sibi videantur. Ex his propositionibus principalibus jura gravissima imperantium civilium in rebus ecclesiasticis derivabantur. Extra Austriam nonnulli ulterius progressi, ecclesiam a civitate in omnibus, exceptis forte dogmatibus, omnino dependere expresse affirmabant et systemati Protestantium territoriali accedebant. Sed et pristinum jus canonicum in eadem Germannia suos adhuc habet patronos, in Hispania aliud, excepto

forte revolutionis tempore, nunquam valuit, in Italia denique, ubi sedes pontificia illud tuetur, numerus eorum, qui idem propugnant, aliena principia sectantibus longissime praevalet.

§. 1043. Modus ad dignitates ecclesiasticas perveniendi.

Cum imperantes civiles suam in rebus ecclesiasticis potestatem adeo ampliarent, summis pontificibus etiam collatio episcopatuum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum maximam partem decessit, et ad principes pervenit, unde factum est, ut hodie episcopatus fere omnes sive regia denominatione sive libera electione conferantur, ita tamen, ut in posteriori imperanti civili concursus, quo omnis ei ingratus voce passiva privatur, in utraque autem pontifici jus confirmationis seu canonicae institutionis conveniat. Quod speciatim Italiam attinet, jam supra narratum est, Benedictum XIV. in conventione, a. 1741. cum Sardinia facta, regi jus concessisse, non tantum episcopatus, sed etiam beneficia his minora denominando conferendi. Cum Napoleon concordatum Gallicum et Italicum, quo ei jus, episcopos denomiuandi attributum erat, ad omnes terras Italicas, quas postea sive cum Gàllia, sive cum regno suo Italico conjunxit, extenderet; factum est, ut etiam episcopatus ditionis Genuensis regiae denominationis fierent, quae et postea, quam illa ditio ad regem Sardiniae pervenisset, conservata est. Eodem modo factum est, ut episcopatus in hodierna Tuscia, Parma, Mutino, et regno Lombardo - Venetiano, quos ante revolutionem Gallicanam pontifex conferebat, denominationis regiae fierent, postquam jam Pius VI. imperatori Josepho II. indultum, omnes episcopatus et alias dignitates ac beneficia in Lombardia denominando conferendi tribuisset. Quoad regnum utriusque Siciliae, Benedictus XIV. in conventione, anno 1741. inita, regi 26 episcopatus conferendos, Pius VI.

di apostolicae maximo numero in omnibus fere terris reservata erant, pleraque eidem decessisse, imperatores inde a Josepho I. jus primarum precum sine sedis apostolicae indulto, quod inde a Friderico III. requiri solebat, exercere conatos, sed optatum eventum, renitente eadem sede, non penitus consecutos fuisse, denique in recentissimis concordatis aliquas praebendas pontificis collationi reservatas esse, et quidem in Bavaria praeposituras capitulorum, in terris Borussicis praeter easdem etiam canonicatus, qui in sic dictis mensibus papalibus, Januario, Martio e. s. p. vacaverint, in regno utriusque Siciliae abbatias consistoriales, quae regii patronatus non sunt, primam cujusvis capituli dignitatem, canonicatus patronorum expertes, qui in sex prioribus anni mensibus vacaverint, beneficia simplicia ejusdem conditionis, denique parochias, quae in curia Romana, vel promotione ad altiorem dignitatem, a pontifice facta, vacare contigerit.

§. 1044. Bona ecclesiastica.

Cum ecclesia labente hac periodo ex omni fere parte insultibus exposita fuerit, mirum non est, bona ejus terrena, quae invidiam et habendi cupidinem incendere solent, praecipue impetita et absumta fuisse. Revera ecclesia nunc dimidio saeculo plus bonorum temporalium amisit, quam multis saeculis acquisiverat. Ac primo quidem quod summum attinet pontificem, etiamsi territorium suum contiguum in Italia recepit, comitatus tamen Avenionensis ei restitutus non est, ut nihil dicatur de magna vi argenti, et de rebus pretiosis, quibus Galli ditionem pontificiam invadentes et pacem facientes aut simulantes ecclesiae Romanae facultates exhauserunt. Praeterea sedes apostolica jam antea, et eodem etiam tempore, ademtis ei variis juribus utilibus, v. g. redditibus intercalaribus beneficiorum vacantium, et sic dicto jure spolii, amissa collatione plurimorum beneficiorum, prohibitis a potestate saecu-

re, bona temporalia acquirendi et per se administrandi. Pro ipso in concordato Bavarico statutum est, ut annatae et taxae cancellariae pro institutione episcoporum secundum mensuram proventuum annuorum denuo determinarentur; in Neapolitano autem ex redditibus episcopatuum et abbatiarum quarumdam, portiones, quae summam 12,000 scutatorum quotannis efficiant, eidem reservatae sunt. In eodem concordato statutum est, ut bona ecclesiastica, a Gallis occupata et nondum divendita, restituerentur. Liberalitas piorum Catholicorum erga ecclesiam non quidem penitus defecit, siquidem speciatim in Gallia ab anno 1802. — 1823. ultra quindecim francorum milliones fundationibus ecclesiasticis impensae sunt.

B. *Liturgico.*

§. 1045. Mutationes circa ritus quosdam sacros.

Circa liturgiam mutationes gravioris momenti hac periodo non acciderunt. In pluribus ecclesiis Germannicis, praesertim Austriacis, posteriori saeculi 18. tempore in aliquas partes cultus divini publici, orationes et cantus in lingua vernacula introducti sunt. Postea nonnulli in Germannia ipsam liturgiam in lingua vernacula celebratam, et secundum indigentias recentioris temporis transformatam cupiebant, et varia hunc in finem scripto proponebant. Universim Catholici in Germannia in id nitebantur, ut cultus divinus publicus simplicior redderetur. Hunc in finem frequentiori eucharistiae expositioni modus positus, vigiliae pleraeque, et multae processiones ac peregrinationes sacrae abrogatae, praesertim vero spectacula quaedam in eis usitata prohibita sunt. Similiter pompa in cultu divino publicc, in illuminatione ecclesiarum, in vestimentis sa-

ctorum, aut aliis mediis spiritualibus a Deo obtinendi vel obtenti. Haec omnia, sicut et imagines, honestatis sensum offendentes, e templis amota, altaria ad minorem numerum reducta, et a nimiis ornamentis liberata, parsimonia quoque in picturis praescripta. Dies festi quidem hac periodo novi quidam introducti sunt, velut festum cordis Jesu, festum septem gaudiorum B. Mariae, quod Benedictus XIV. petente Joanne V. Lusitaniae rege instituit. Clemens XI. festum conceptionis B. Mariae ad universam ecclesiam extendit, festum sanctissimi nominis Jesu Dominica secunda Januarii ubique celebrari jussit, atque etiam festum rosarii, Dominica prima Octobris celebrandum, universale reddidit, eo quod victoria, a Carolo VI. imperatore de Turcis reportata, et Corcyra non multo post ab obsidione soluta, supplicationibus sodalitatum rosarii adscribebatur. At vero dies festi adeo jam aucti erant, ut non solum neglectis laboribus salus domestica et publica, sed etiam vitiis et delictis, ex otio nasci solitis boni mores detrimentum paterentur. Hinc nonnulli imperantes, nominatim Carolus IV. rex utriusque Siciliae, et Franciscus Stephanus, magnus dux Hetruriae a Benedicto XIV. petierunt, ut dierum festorum numerum pro terris ipsorum minueret. Pontifex consentientibus cardinalibus et episcopis hos dies pro illis terris ad eos restrinxit, qui hodie adhuc a Catholicis celebrantur, eandemque restrictionem postea non tantum aliis regnis Catholicis petentibus, velut Sardiniae, Austriae concessit, sed etiam in proprium suum territorium introduxit. In Hispania demum circa annum 1790. dies festi ad minorem numerum reducti sunt. Ex concordato Gallicano tres tantum, aliis quam Dominicis diebus celebrandi relicti sunt, nempe festum nativitatis Christi; assumtionis B. Mariae et omnium sanctorum, caetera festa in sequentes dies Dominicos translata sunt.

§. 1047. Cultus sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum. Confraternitates.

Cultus sanctorum, sacrarum imaginum, et reliquiarum labente hac periodo in nonnullis terris Catholicis decrementum expertus est. Sancti non amplius tantis laudibus celebrabantur, nec tam frequenter invocabantur. Non amplius novae devotiones, novi honores pro eis excogitabantur, imo ex illis, qui antea viguerant, nonnulli aboliti, nonnulli minus frequentati sunt. Numerus sacrarum imaginum, praesertim in ecclesiis, potius minutus quam auctus est. Ex sic dictis gratiosis aliae abolitae sunt, aliae fama sua exciderunt. Nec numerus sacrorum peregrinatorum tantus est, ac olim erat. In reliquiis admittendis major cautio introducta est. Honores eis exhiberi soliti ex parte auctoritate publica minuti sunt. Confraternitates spirituales, quarum finis plerumque in peragendis certis devotionibus consistebat, recentiori tempore vel reformatae sunt, vel sublatae. Ad earum reformationem pertinet, quod fratribus hinc inde loco vestimentorum et insignium singularium, alia magis simplicia et decora data, quod eis finis beneficus, promotio nempe pietatis et amoris erga proximum praefixus, huicque etiam statuta eorum adaptata fuerint. In Austria et Tuscia summi imperantes, abrogatis omnibus confraternitatibus, unicam, cui amor activus erga proximum ceu finis propositus sit, esse voluerunt.

Universim: Huths Kirchengeschichte des 18. Jahrhunderts. 2. Th.

C. *Disciplinari.*

§. 1048. Jejunia. Poenitentia. Excommunicatio. Indulgentiae.

Praescripta disciplinaria ab ecclesiarum praesulibus labente hac periodo minime relaxata aut sublata, sed potius saepius inculcata et aucta sunt, quem in finem etiam multae synodi celebrabantur, e quibus notamus magnam illam, quam Benedictus XIII. a. 1724. Romae, et nationalem, quam Alexander, primas Hungariae a. 1822. Posonii celebravit, in qua posteriori praeter alia de disciplina cleri tam saecularis quam regularis, de educatione cleri junioris in seminariis, et institutione reliquae juventutis in scholis publicis, atque de universa morum corruptela tractatum est *). Sed haec ipsa morum corruptela, quae hujus periodi decursu magis magisque invalescebat, effecit, ut praescripta disciplinaria in nonnullis terris Catholicis, posteriori praesertim tempore, parum observarentur. Sic speciatim jejunia magis magisque praesertim in Germannia et Gallia negligebantur, etiamsi lenitas ecclesiae sensualitati saeculi dispensationibus plurimum indulgeret. Poenitentia semper et in omnibus casibus in occulto peragebatur; attamen Benedictus XIII. de restituenda quadam publica serio cogitavit. Excommunicatio rarius quidem pronuntiata est; non tamen desunt exempla eam tum a summis pontificibus, tum ab episcopis non tantum in homines privatos, sed etiam in imperantes civiles pronuntiatam fuisse. Ea potissimum propter doctrinas haereticas, propter contumaciam in sedem apostolicam, propter laesionem immunitatis ecclesiasticae infligebatur. Rectores civitatum eam fere abrogare conati sunt; ejus certe promulgationem a placito suo dependentem reddiderunt. Indulgentiae denique tum ab episcopis, tum vero maxime a pontifici-

bus Romanis haud parca manu dispensabantur. Sic Benedictus XIII. illis, qui vespere ad sonitum campanae salutationem angelicam, nec non illis, qui rosarium recitarent, indulgentias concessit. Idem a. 1725. annum jubilaeum cum indulgentiis plenariis celebravit, quod etiam annis 1750. et 75. factum, anno autem 1800. propter sinistras perturbati temporis circumstantias omissum est. Pius VII. a. 1810. fidelibus in terris Austriacis, praescriptas conditiones impleturis, indulgentias plenarias in festo sanctissimi nominis Jesu et per ejus octavam lucrandas concessit. Genus quoddam indulgentiarum, fidelibus defunctis applicandarum erat, cum pontifices altaribus quibusdam, privilegiatis dictis, hanc praerogativam tribuerent, ut missae in illis celebratae prae caeteris ad poenas purgatorii mitigandas vel tollendas valerent, vel etiam certis sacerdotibus praerogativam altarium privilegiatorum concederent.

*) Fabius Nachrichten und Betrachtungen über die ungarische Nationalsynode vom Jahre 1822.

§. 1049. Mores Catholicorum.

Instituta disciplinaria tam parum ac caetera ad religionem pertinentia impedire potuerunt, quo minus mores Catholicorum labente hac periodo indies magis in pejus vergerent. Jam primis ejus temporibus magna illorum corruptela in Gallia, praesertim inter nobiles et cultiores homines grassabatur, quae altero maxime saeculi 18. dimidio per alias terras, speciatim per Germanniam propagata, omni hominum generi communicata, singulis fere annis aucta, et tandem recentiori tempore ad culmen perducta est. Non opus est, amplius eam describere, quam oculis nostris cernimus, omnique ex parte persentiscimus. It solum commemorandum, vitia principalia esse ingens quoddam, quale inter Christianos vix unquam fuerit, voluptatum sensualium desiderium ac studium, incredibilem de propria intelligentia et praestantia superbiam, effroe-

nem sui ipsius amorem seu egoismum, auctoritatis et superioritas alienae impatientem, incircumscriptae libertatis et licentiae appetentem, et ad omnes justitiae ac aequitatis laesiones abripientem, quamprimum proprium commodum inde promoveri possit. Hinc illa in parentes et praepositos inobedientia ac irreverentia, hinc tot seditiones et rerum inversiones, tot violentiae, defraudationes, fornicationes, tot autochiriae miserorum, graviora vitae incommoda ferre nec volentium nec valentium. Nec opus est, multum in causas tantae corruptionis inquirere, cum ea, quae primo capite de propagatione irreligionis et impietatis dicta sunt, de causa ejus principali dubitare non sinant. Simul exinde magnitudo mali elucet, cum defectus religiositatis spem fere omnem emendationis praeciderit, secus ac aliis temporibus, quibus conser vata fides vitiosos haud raro e coeno vitiorum eduxit. Sed injustum foret, si ab altera parte non concedere tur, hanc aetatem etiam variis praerogativis moralibus verisque virtutibus nituisse. Erant in omnibus terris Catholicis permulti inter omnes hominum classes, neque nunc desunt, qui animo vere religioso praediti, religionem, quam mente illustrata superstitionis puram conceperunt, etiam moribus profiteri satagerent; erant, qui ardenti studio, omnia sua consilia et opera praescriptis divinis conformandi agitati, ad summam pietatem imo sanctitatem eniterentur; erant, qui constantia primaevis martyribus digna pro religione Jesu Christi gravissimas calamitates, calumnias, convicia, irrisiones, cruciatus, ipsam denique mortem, sive inter irreligiosos in Europa, sive inter Ethnicos in extraneis orbis partibus perferrent. Quod vero huic aetati praecipuae laudi tribuendum, plurimisque commune est, est quaedam erga afflictos beneficentia, studium quoddam omnis generis miseris auxilio efficaci succurrendi, de quo tot instituta pro pauperibus, pro infirmis, pro orphanis aliisque personis miserabilibus condita, tot volun-

tariae contributiones ad calamitates aliorum levandas testantur.

§. 1050. Gaſsnerus.

Irreligio et incredulitas superius commemorata non impedivit, quo minus inter Christianos, non tantum inter plebejos, sed etiam inter sic dictos cultiores, multiplex superstitio circa valorem rituum sacrorum, rerumque disciplinarium, circa cultum sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum, circa virtutem certarum rerum sacratarum, circa potestatem diaboli in corpora humana, circa auxilium, quod is hominibus ad producendos effectus mirabiles in rerum natura praestare valeat, circa sagas, magiam, spectra, divinationes etc. vigeret. Saeculum 18. jam multum processerat, cum adhuc in nonnullis regionibus faeminae quasi striges sententia publica concremarentur. Cumque viri perspicaciores praejudicia perniciosa, quibus ejusmodi procedendi ratio nitebatur, impugnarent; ab altera parte non deerant, qui physicam hominum cum diabolo conjunctionem, huicque superstructam magiam acriter defenderent, et ex ipsa s. scriptura comprobare conarentur. Potestatem autem diaboli in corpora humana sacerdos quidam Catholicus morbis exorcismo sanatis comprobare tentavit. Erat is Joannes Josephus Gaſsnerus, parochus Cloesterlensis in dioecesi Curiensi, qui inde ab anno 1774. primum in Helvetia, deinde in Suevia, postremo in Palatinatu superiori et Ratisbonae ejusmodi morbos, qui sedem suam in nervis habebant, velut spasmos, epilepsiam etc., adjurato in nomine Jesu daemone, a quo illos excitatos dicebat, sanare conabatur. Quoniam vero non omnes hujus generis morbos a diabolo excitatos statuebat, eosque solos, qui re vera ab isto excitati essent, invocato Salvatoris nomine tolli posse contendebat, duplici exorcismo utebatur, primum probativo, quo post vehementes exorcistae in fronte, cervice, et dolorosis corporis

poris infirmi partibus contactus, diabolus paroximos morbo proprios producere jubebatur, qui, si reapse sequebantur, morbus ab illo excitatus credebatur et exorcismo sanativo tollebatur. Hoc suum systema Gafsnerus etiam in libro a. 1774. edito exposuit, ubi potissimum ad has tres quaestiones respondit: an diabolus corporibus humanis nocere possit? quorum maxime? et quodnam auxilium ferendum sit? In hoc libro praeter alia statuit, infirmum tum tantum invocato nomine Jesu sanari posse, si firmam in virtutem hujus nominis fiduciam habeat, nec minus firmiter credat, morbum suum a diabolo excitatum esse, atque sanatum, si fide ista exciderit, in pristinum morbum recidere posse. Hac conditione Gafsnerus non incommodum effugium sibi paravit, si, quod frequenter accidit, operationes ejus eventum non consequebantur. Caeterum de effectibus ab eo productis non una omnium erat sententia. Nonnulli vera ab eo miracula patrari credebant, atque ex ipsis medicis celebribus quidam infirmos, quos ipsi sanare non valebant, ad eum adduxerunt, imo ex Protestantibus haud pauci auxilium apud eum quaesierunt. Alii Gafsnerum impostorem, alii phantasiastam habebant. Id certum, in effectibus ab eo productis nihil esse, quod non ex viribus et operationibus naturalibus sive physicis, sive moralibus explicari possit, praesertim cum adjuratis medicamenta quaedam, caeteris ignota, velut certum oleum, balsamum, liquorem quemdam singularem, quibus porro utantur, addiderit. Episcopi plures ejus operationes minime approbarunt, ipsumque in dioecesibus suis non tolerarunt. Sedes apostolica, cui acta operationum scripto excepta transmissa fuerunt, eas superstitiosas et illusorias, imo ex parte haereticas judicavit. Iis mandatum Caesaris, quo Gafsnerus sub gravi poena in toto imperio Germannico ab eis abstinere jubebatur, a. 1775. finem imposuit. Ipse ab episcopo Ratisbonensi, praecipuo suo patrono, parochiam amplis redditibus instructam accepit, ubi a. 1779. mortuus est.

Walch neueste Religionsgeschichte 6. Th. Huth. lib. cit. Michl Kirchengeschichte 2. Bd.

§. 1051. Ordinum religiosorum innovatio et suppressio.

In moribus monachorum et clericorum regularium, quamquam naevis minime carebant, talia tamen non erant, quae justam societates eorum abolendi causam suppeditare potuissent; quin imo religio, cura animarum, juventutis institutio et litterae, praesertim theologicae non minus quam elapsis saeculis egregia et gravissima in illis subsidia hac quoque periodo habebant. Verum partim constitutio, partim multitudo earum, genio aetatis tam parum jam arridebat, ut inde a medio circiter saeculo 18. de illa diversimode mutanda, de ista minuenda aut plane extinguenda ageretur. Qui ordinibus religiosis infensi erant, eos a detrimento, quod reipublicae civili ex eis enascatur, impugnabant, virisque potentibus ad animum inducebant, quam noxia sint tot monasteria pro incremento populi, quot manus agriculturae et opificiis per ea subtrahantur, quantum aeris ab eis congestum nec amplius expensum civitati decedat, monachos esse fruges consumere natos, eos superstitionem et stultitiam alere, eos esse copias, quibus pontifex suam in ecclesias et nationes potestatem sustentet. Praeterea bonis, quibus abundare videbantur, redditus publicos passim exhaustos restaurari posse, spes affulgebat. Quoniam vero nimium erat, nec facile assequendum, ut omnes statim uno ictu dejicerentur, praeprimis curabatur, ut numerus eorum decresceret. Hunc in finem tum in quotidiana conversatione, tum in scriptis ridiculi contemtique reddebantur, ita ut continuo pauciores juvenes reperirentur, qui societatibus adeo despectis adscribi vellent. Deinde jam publica decreta impetrata, quibus numerus statutus erat, quem membra singulorum monasteriorum non excederent. Et quoniam de opibus eorum praecipua

sollicitudo, metusque erat, ne progressu temporis omnis substatia publica in manus eorum mortuas perveniret, sic dictae leges amortizationis latae, vel antiquiores renovatae sunt, cautumque, ne donationes aut legata, exiguam quamdam pecuniae summam excedentia eis fierent, neve candidati plus quam similem summam monasteriis inferent. Postea variae reformationes in eis susceptae; denique monasteria et integri ordines, atque in nonnullis terris omnes ordines sublati.

§. 1052. Expulsio Jesuitarum e Portugallia.

Inter ordines religiosos, qui penitus supprimebantur, primus erat societas Jesu. Initium, eam supprimendi factum est in Portugallia, de qua terra, ubi aula et incolae plerique religionis Catholicae hactenus studiosissimi fuerant, nemo talem eventum expectasset. Sed irreligiosorum sententiae et libri illuc quoque jam penetraverant. Praecipue vero primarius et plena potestate instructus regis administer, Josephus de Carvalho, marchio de Pombalio, animo a religione Catholica alienus erat, dominandi libidine flagrabat, ad quam exsatiandam nullum violentiae genus sibi illicitum ducebat, et cum duce Schoasoelio, regni Gallicani administro, cui arcte conjunctus erat, ad sic dictam mentis illustrationem propagandam conspiraverat. Is igitur varios eventus tanquam ansas arripuit ad Jesuitas, qui ejus consiliis obstabant, quorum propterea ruinum decreverat, antea infamandos. Aulae Hispanica et Lusitanica quinquagesimis saeculi 18. annis quamdam terrarum permutationem pactae erant, vi cujus Lusitanis pro urbe, a s. Sacramento compellata, decem reductiones seu parochiae Paraquarienses tradendae erant. Quarum possessionem cum Lusitani capturi essent, Paraquarienses etiam armata manu eis se opponebant, quo factum est, ut pactum illud effectum non consequeretur. Inde irritatus Pombalius confinxit et in vulgus sparsit, Jesuitas in Paraquaria proprium regnum

condidisse, unumque eorum, Nicolaum nomine, ibidem regem esse, magno exercitu instructum, a quo Lusitani repulsi fuissent. Praeterea Lusitanicos Jesuitas ex Maragnonia, Brasiliae provincia, ubi missionem ad convertendos feros indigenas habebant, sub praetextu, eos simile regnum meditari, et indigenas in servitutem redigere, expulit; ut rex, et qui ad familiam regiam et aulam pertinebant, conscientiae suae moderamen eis adimerent, effecit; denique regis nomine a papa postulavit, ut societas Jesu, quae a primigeneo suo instituto plurimum defecisset, in omnibus terris Lusitanicis reformaretur, praecipue vero, ne rebus politicis sese ingereret, ei prohiberetur. Haec reformatio, concedente papa Benedicto XIV. a. 1758. inchoata, illo autem non multo post mortuo, cohibita est, cum ejus successor Clemens XIII. Jesuitis admodum faveret. Mense Septembri ejusdem anni rex Lusitaniae, cum noctu ex metropoli in arcem suam vicinam reveheretur, a quodam sicario impetitus et vulneratus est. Quis hoc facinus proprie procuraverit, nondum quidem publice innotuit; Pombalius autem eo mox usus est, ad conspirationem contra vitam regis, a proceribus quibusdam et Jesuitis, quos omnes consiliis suis adversos perditos cupiebat, initam confingendam. Hanc confictam, omnesque ejus accusatos innocentes fuisse, ipsa aula Lusitanica postea in litteris publicis professa est. Imo ipse Pombalius in libello, pridie quam accusati proceres morte mulctarentur, publicato, confessionem edidit, accusatos, non convictos, sed tantum conjecturis juridicis gravatos esse. Nihilominus mox post commissum facinus decem Jesuitae in tetros carceres conjecti fuerant, quibus postea, cum omnes ex provinciis transmarinis sub gravissimis injuriis et afflictionibus in Lusitaniam deducti fuissent, ultra centum additi sunt, quorum plerique misere perierunt, caeteri post mortem regis, quae simul mors politica Pombalii fuit, dimissi sunt. Post incarcerationem primorum mox omnia

societatis bona, quibus Pombalius adeo inhiabat, ut et cloacas in domibus illius perquireret, occupata, simulque litterae publicatae, in quibus loca, e scriptis casuisticis Jesuitarum excerpta continebantur, e quibus appareret, societatem caedem regum, aequivocationes, reservationes mentales, et similia laxa morum principia approbare. Omnes praeterea scholae eis ademtae, eo quod inepta methodo uterentur, et juventuti noxia principia instillarent; denique edictum publicatum, quo velut affectati Brasiliae regni, aliorumque criminum accumulatorum rei, seditiosi, proditores, et inimici regis, denaturalizati et relegati pronuntiabantur, quod judicium mox executioni datum, omnesque, exceptis incarceratis, omni subsidio destituti, navibus in territorium pontificium transvecti, ibidemque misericordiae hominum commissi sunt. Ut et sanguis effunderetur, unus saltim eorum Gabriel Malagrida, vir septuagenarius, vita ascetica famam sanctitatis et miraculorum consecutus, quo matrona quaedam nobilissima inter conjuratos relata, conscientiae moderatore usa fuerat, majoris partis conjurationis accusatus, et, cum nullo modo convictus, a judicio saeculari non posset, a sacra inquisitione velut haereticus capitis damnatus, suffocatus, et concrematus est. Ejus haereses afferebantur e duobus libris, revelationes divinas, ei factas continentibus, quos jam incarceratus scripsisse dicebatur, qui vero, si reapse ab eo descenderunt, eum magis delirum quam impium fuisse arguunt.

§. 1033. E. Gallia.

Cum suppressio societatis Jesu in Lusitania tam egregie successisset, ejus inimici in Gallia eandem non diutius differendam censebant. Occasio facile fuit inventa. Unus e Jesuitis Gallicis nomine La Valette, visitator generalis et praepositus apostolicus missionum, quas Jesuitae in insulis Gallicis Indiae Occidentalis habebant, amplam ibidem mercaturam faciebat; cum vero

naves, quas mercibus refertas in Europam miserat, bello inter Gallos et Anglos exorto, ab his captae fuissent, mercatoribus quibusdam Massiliensibus aes alienum, quod eis debebat, solvere non poterat. Igitur hi ab ipsa societate solutionem exigebant, quam cum illa, quod sibi coeptorum Valetti pars nulla esset, denegaret, causa ad senatum Parisiensem delata est, qui a. 1761. societatem ad debita Valetti Massiliensibus solvenda damnavit. Igitur haec res finita fuisset, nisi Jesuitarum inimici eorum ruinam decrevissent. Cum igitur causidicus mercatorum in sua actione etiam constitutionem societatis Jesu deprehendisset, unus ex senatoribus ansam inde sumsit, vehementem coram senatu orationem adversus Jesuitas habendi, in qua praeter alia eorum institutum, maxime propter strictam obedientiam, superioribus praestandam, et propter quartum votum, ad pontificem relatum, tanquam civitati summe periculosum descripsit. Senatores, quorum major pars sive ex sophistis, sive ex Jansenistis, Jesuitis aeque infensis constabat, de ista re, ante hunc diem scilicet inaudita, obstupefacti videbantur, et quibusdam ex suis mandarunt, ut constitutionem societatis Jesu accuratius examinarent. Rex quidem senatui vetuit, ne quid ea de re decerneret; at dux Schoasoelius, sophistarum patronus promtissimus, senatores clam ad coepta prosequenda hortatus est, fidem eis faciens, a parte regis nihil eis obstiturum. Igitur senatus 6. Augusti anni 1761. institutum Jesuitarum maxime propter incircumscriptam potestatem praepositi eorum generalis ut tale pronuntiavit, quod auctoritati ecclesiae, conciliorum, sedis apostolicae, et regiminis civilis adversetur; porro decrevit, ut scripta theologica multorum celeberrimorum Jesuitarum propter doctrinas seditiosas, vitae civium ipsorumque summorum principum periculosas, et ethicam Christianam evertentes in eis contentas, per manum carnificis comburerentur; denique vetuit, ne quis eorum societatem in-

grederetur, eorum scholas visitaret, aut quocuncque modo cum eis communicaret. At selecti ex consiliariis regiis, quibus examen constitutionis Jesuitarum a parte regis commissum fuerat, sententiam praelatorum de ea expetierunt. Hi igitur, numero circiter 50 congregati, ea, quae Jesuitis opprobrio vertebantur, partim falsa, partim innoxia judicarunt, eorumque societatem ecclesiae admodum utilem, imo necessariam, eorum institutum laudabile praedicarunt. Praeterea plures urbes, praecipue Lugdunensis, pro conservandis Jesuitis apud regem supplicabant, et pontifex Clemens XIII. litteras intercessorias ad eum dedit. Ex adverso Jesuitarum inimici omnes nervos intendebant ad opus coeptum perficiendum. Senatus doctrinas, moralitati adversas, ex casuistis eorum extractas, typo vulgavit. Voltaerus memorabilia calumniis plena contra eos edidit. Procurator generalis Redonibus, Schalotoesius (Chalotais) in duobus scriptis, quorum alterum Dalambertus confecisse a plerisque credebatur, omnium vehementissime eos impugnavit. Etiam antiquiora scripta eis inimica novis curis edebantur, nominatim Paschalis epistolae provinciales, et ars, reges ex insidiis occidendi, a Jesuitis tradita. Voltaerus aliique sophistae viros potentes ad eos opprimendos hortabantur. Rex quidem ad eos conservandos pronus erat, statuitque, ut senatus Parisiensis consulta per unum annum suspenderentur. Verum is contemta regis auctoritate non multo post novum decretum condidit, ex quo bona Jesuitarum sequestro subjiciebantur, eorumque collegium, a Ludovico Grandi compellatum claudebatur. Rex scilicet totus a duce Schoasoelio, et a concubina sua, marchionissa de Pompadour regebatur, quae etiamsi Jesuitis non propterea infensa fuisset, quod unus eorum in confessionis tribunali ab ea postulavit, ut scandalosae suae vitae rationi renuntiaret, tamen sophistis favebat, et cum duce Schoasoelio propter mutuum adjutorium communem rem facere solebat. Igitur senatus 6. Augusti anni 1762. sententia

existimavit, sed effecit, ut a. 1767. in congregatione consiliariorum regiorum, inter quos haud pauci Jesuitis adversabantur, sine omni praevia accusatione, expulsio eorum ex omnibus terris Hispanicis decerneretur. Consensus regis, Caroli III., qui fidei Catholicae studio decessores suos alioquin non aequabat, maxime per litteras confictas, cuidam Jesuitae Hispanico magnae auctoritatis suppositas, impetratus fuerat; in iis enim rex acerbe traducebatur, atque ita omnes Jesuitas Hispanicos de eo sentire, iidem suppositores regi persuaserant. Igitur una eademque nocte omnes Jesuitarum per totam Hispaniam domus a militibus occupatae, ipsi vero, postquam negotia, hactenus a se gesta, cambia, pecunias a se possessas, aliasque res indicare debuissent, veredariis ad littora maris ducti, ibi navibus impositi, et ad territorium pontificium transvecti sunt. Non multo post litterae regiae, nomine sanctionis pragmaticae publicatae, in quibus nonnisi generaliter dicebatur, regem gravissimis rationum momentis, ad officium suum, obedientiam, pacem, et justitiam inter subditos suos conservandi pertinentibus, nec non aliis aequis et necessariis causis, quas vero in pectore suo recludat, ad consilium permotum fuisse, omnes Jesuitas ex cunctis civitatibus suis expellendi. Has causas non alias fuisse, quam litteras illas supposititias supra memoratas, postea innotuit. Jesuitae navibus abducti, quibus non multo post omnes ex terris transmarinis in Hispaniam transvecti successerunt, quamquam eis modica pensio annua, variis tamen conditionibus circumscripta assignata esset, per aliquod tempus gravissimis aerumnis subjecti erant; siquidem pontifex, quo regem ad expulsos recipiendos moveret, eos in terram suam ab initio non admisit; quo factum est, ut ultra tres menses in mari oberrarent, donec tandem pontifex, intelligens, regem flecti non posse, eos in territorium suum susciperet. Hispaniae exemplum mox utraque Sicilia et Parma, ubi regis Hispa-

ad eos cohibendos, et acta regum Lusitanici ac Burbonicorum contra eosdem commemorata, denique tanquam causa abolitionis id adductum erat, quod papa post maturum rei examen deprehenderit, societatem fructus, ob quos fundata fuerit, non amplius ferre, eaque durante firmam in ecclesia pacem expectari non posse. Caeterum pontifex concessit, ut socii vel alios ordines religiosos ingrederentur, vel tanquam presbyteri saeculares functiones sacras peragerent, vel juventuti instituendae operam navarent. Ita societas suppressa est, cui nihil aliud vitio verti poterat, quam quod erga singulos socios rebus politicis se ingerentes, mercaturam exercentes, et laxiora morum axiomata sequentes indulgentiorem se exhibuerit. Hinc illud praesertim mirum, quod Jesuitae Romae et in territorio pontificio satis dure tractabantur, eorumque praepositus generalis, Laurentius Ricci cum assistentibus suis diu et severe in arce S. Angeli custodiebatur. Causam hanc fuisse dicunt, quod non ea, quae sperata fuerat, copia auri et argenti inventa est, licet omnia diligentissime perquisita fuissent. Caeterum idem Riccius scripto contestatus est, se cum omni, quam praepositus habere queat, certitudine morali fidem facere posse, societatem Jesu nullam justam, ob quam supprimenda fuisset, causam praebuisse. In reliquis terris Catholicis velut in Germannia, Hungaria, Polonia decretum pontificium de abolenda societate Jesu facili opera executioni datum est. Eorum bona partim aliis finibus, cum religione quodammodo connexis impensa sunt, velut in Austria, ubi sic dictus fundus studiorum ex iis formatus est, partim in alienas manus devenerunt, velut in Polonia, ubi magnates ea sibi vindicarunt. Ipsi socii, deposito ordinis habitu, vel curae animarum, vel erudiendae juventuti porro impendebantur, atque vel singuli vivebant, vel vitam communem in domibus propriis continuare permittebantur. Attamen rex Borussiae Fridericus II., qui Jesuitas propter eorum eruditionem

quinque consiliariis regni totidemque archiepiscopis negotium committeretur, omnia monasteria in Gallia visitandi, iisque severiorem disciplinam invehendi. Simul eis mandatum, ut, sicubi pecuniam superfluam deprehenderint, eam auferrent. Commissarii, inter quos ipse archiepiscopus Tolosanus principiis sophistarum infectus erat, mox praeter quaedam statuta, vere utilia, plura monialium monastéria in canonias mutarunt, in quibus faeminae, praesertim nobili genere natae vitam satis laxam et commodam viverent. Postea sublatio omnium minorum conventuum et abbatiarum decreta, atque ut majorum quoque supprimendorum praetextus haberetur, commissarii clam discordias inter monachos disseminabant, et immorigeris ac disciplinae impatientibus patrocinium praestabant; quo factum est, ut coenobia diffamarentur, eaque ex causa usque ad initia revolutionis 1600 supprimerentur. — Sequenti anno, postquam Galli coepissent, etiam Venetiani reformationem et reductionem cleri sui regularis aggressi sunt. Secundum relationes et consilia alicujus deputationis, cui examen rei monasticae in universa republica commissum fuit, senatus praeter plura haud improbanda decrevit, ut monasteria, minoribus redditibus instructa abolerentur, quibus postea etiam majora quaedam addita sunt. — Eodem fere tempore imperatrix M. Theresia majorem aetatem profitendorum, et minorem dotem suscipiendorum praescripsit, ne quis sine permissione summi principis in aliquod monasterium susciperetur, statuit, et praepositos in visitatione monasteriorum eis subditorum, atque in omnibus fere eorum negotiis actibusque a consensu regiminis civilis dependentes reddidit, numerum quoque monachorum pro singulis coenobiis secundum locorum indigentias determinavit. Ejus filius et successor inde ab anno 1781. quam plurima utriusque sexus monasteria in omnibus terris sibi subjectis aboluit, ac primo quidem omnia nonnullorum ordinum, praecipue illorum, qui nonnisi vitae contemplativae dedicati

§. 1057. Inde a revolutione Gallica.

Sed maxima strages ordinibus religiosis inde ab origine revolutionis Gallicanae illata est. Etenim jam mense Februario anni 1790. a congregatione nationali, clericis quibusdam in ea frustra obloquentibus, sublatio omnium, quae adhuc supererant, utriusque sexus monasteriorum decreta, et monachis ac monialibus in saeculum ejectis annuae pensiones assignatae sunt. Principes Germannici, qui ex recessu principali deputationis imperii bona ecclesiastica acceperunt, ut plurimum Protestantes, monasteria in eis sita brevi tempore pleraque sustulerunt. Speciatim Bavaria, in qua jam ab anno 1763. diversa ad cohibendum incrementum monachorum et bonorum monasticorum decreta fuerant, omnia monasteria non tantum in terris recens acquisitis, sed etiam in antiquis aboluit. Non minus in illis terris Germannicis et Italicis, quae ex pace Lunaevillensi Gallis accesserunt, omnes fundationes religiosorum ordinum sublatae sunt, exceptis paucis abbatiis aliisque monasteriis in terris antea Sabaudicis. Anno 1807. Josephus, rex Neapoli obtrusus, plerosque ordines monasticos in hoc regno abrogavit. Napoleon vero a. 1810. in terris Italicis, sive ad regnum Italicum, sive ad imperium Gallicum relatis, territorio pontificio non excepto, omnia coenobia relictis paucis monialium sustulit. Eodem anno rex Borussiae idem in terris sibi subjectis fecit. Similiter in regno Poloniae, ubi a. 1815. adhuc 280 circiter abbatiae et monasteria extiterunt, pleraque sublata sunt. Tandem etiam institutis regularibus in Hispania et Lusitania exitium imminuit. In illa terra jam Josephus Bonaparte, quem Napoleon Hispanis regem obtruserat, a. 1808. monachos et moniales ad tertiam partem reducere statuerat, et anno sequenti omnia cujuscuncque ordinis et generis coenobia tollenda pronuntiaverat. Sed quoniam ejus regnum nec firmum nec diuturnum fuerat, decretum istud ex parte tantum effectui

gregati mox novitiatum erexerunt, cui brevi tempore 40 viri dignitate vel eruditione conspicui adscripti sunt. Sequentibus annis Jesuitae non tantum in multis aliis urbibus ditionis pontificiae collegia aliasque domus societatis suae condiderunt, sed etiam a rege Sardiniae, a duce Mutinensi, et a rege Siciliae invitati, in pluribus locis terrarum, ad hos principes pertinentium consederunt, et continuo latius propagabantur. Sed et extra Italiam, nominatim in civitatibus Helveticis Friburgensi et Vallesiana recepti sunt. In ipsa Anglia collegium erexerunt. Rex Hispaniae a. 1819. ab imperatore Russorum 40 Jesuitas ad nova collegia in regno suo fundanda impetravit. Et quamquam a deputatis eorum institutum mox anno sequenti suppressum fuisset, anno tamen 1823. illud cum caeteris religiosis restitutum est. Sed eodem circiter tempore, quo societas Jesu in aliis terris revixit, in Russia, ubi hactenus perduraverat, sublata est. Ibi Jesuitae a. 1800. Petropolim admissi fuerant, ad functiones sacras in ecclesia, quam Catholici ibidem habent, peragendas. Simul collegium erexerunt, in quo non tantum juventutem Catholicam, sed etiam ex Protestantibus et schismaticis illos, quos parentes, eorum mores et docendi methodum approbantes, eis tradebant, in litteris instituebant. Hac occasione factum est, ut plures ex istis discipulis, vel alumnis, imo etiam adulti ex ipsis schismaticis ad ecclesiam Catholicam per Jesuitas converterentur, quod quidem in Russia severe prohibitum est. Igitur sacerdotes schismatici aliique religionis Catholicae inimici effecerunt, ut Jesuitae a. 1815. Petropoli amoverentur, simulque eis aditus ad ambas imperii metropoles in perpetuum interdiceretur. Jam tum eorum adversarii efficere conati sunt, ut ex toto imperio Russico expellerentur, quod vero imperator nondum permisit. Cum vero nec postea aliis in locis schismaticos convertere cessarent, imperator non potuit, nisi decretum, a. 1820. a rerum ecclesiasticarum administro sibi propositum

quo ut etiam monasteria mendicantium multiplicarentur. Caeterum hodie sine omnibus aut fere omnibus monasteriis terrae Catholicae hae sunt: Gallia, Germannia extra provincias Austriacas, Belgium, Borussia, Polonia. Novis ordinibus regularium fundandis haec certe aetas minime favebat. Erectae quidem sunt priori saeculi 18. dimidio nonnullae congregationes regulares in Italia, sed quae vel propter ignobilitatem suam, vel propter breve tempus, quo durarunt, memorari non merentur. Unica congregatio sanctissimi Redemtoris, cujus socii simpliciter Redemtoristae vocantur, recentissimo tempore in Austria magis innotuit. Ejus auctor erat Alphonsus Liguori, a. 1696. Neapoli nobili genere natus, post strepitum forensem anno aetatis 26. presbyter saecularis, cui jam nihil antiquius erat, quam juvenes in religione instituere, et ad puram Deoque devotam vitam perducere. Anno 1772. episcopus de S. Agatha Gothorum factus, post decem abhinc annos diem supremum obiit, a. 1816. a Pio VII. beatorum numero adscriptus. Congregationis a sanctissimo Redemtore compellatae fundamenta a. 1732. posuerat. Fines ei propositi sunt: vita regulari et ascetica propriae perfectioni morali studere, et proximis bonum exemplum dare, deinde ignorantes et rudes in religione instituere, perditos in viam salutis reducere, porro volente et dirigente episcopo animarum curatoribus in praedicando verbo divino aliisque functionibus spiritualibus opitulari, denique parvulos in litterarum rudimentis et adultiores in altioribus scientiis instruere. Etiamsi vero Benedictus XIV. hanc congregationem, quae Romae primam sedem habuit, a. 1749. solemniter approbasset, tamen rerum adjunctis, ecclesiae, et speciatim ordinibus religiosis adeo adversis, potissimum factum est, ut parum, atque extra Italiam prorsus non propagaretur. Anno demum 1818. civitas Friburgensis in Helvetia eos in ditione sua considere permisit. Anno autem 1820. Viennae ecclesia quaedam cum domo

mum ordinis magistrum sibi elegerant, nova acquisiverunt, atque eatenus ordo adhuc perdurat.

§. 1061. Caelibatus clericorum.

Quamquam vita ascetica et regularis destructione monasteriorum, ordinumque religiosorum tantum decrementum passa est; lex tamen caelibatus ei affinis integra est conservata, unicusque inter imperantes civiles extitit Napoleon, qui posteriori imperii sui tempore, potius ut pontificem vexaret, quam serio abrogationem legis illius postulavit. Durante revolutione, nonnulli ex presbyteris Gallis, qui jusjurandum civile emiserant, faventibus rerum adjunctis usi, matrimonium publicum inire non verebantur. Sed his excessibus, concordato cum sede apostolica inito, finis impositus est. Caeterum altero saeculi 18. dimidio et saeculo 19. plura scripta in Gallia, Italia, et Germannia comparuerunt, quibus lex caelibatus, variis rationibus impugnabatur, et sacerdotibus jus, matrimonium ineundi vindicabatur. Sed non defuerunt, qui scripta ista refutarent, et justitiam ac utilitatem caelibatus clericalis gravibus rationum momentis defenderent.

§. 1062. Conclusio.

Talis ergo erat status ecclesiae Christi usque ad mortem Pii VII. pontificis maximi, qui postquam naviculam Petri, gravissimis tempestatibus jactatam, vigilantia, prudentia, fortitudine ultra 23 annos rexisset; 20. Augusti anni 1823. ad praemia laborum in vita meliori vocatus est. Quod historia cujusvis aetatis docuit, et data occasione saepius a nobis observatum est, in fine operis vividius menti obversatur, nempe ecclesiam Catholicam tot potentissimorum hostium insultus saevissimos sustinuisse et superasse, ut perpetua ejus victoria nonnisi virtuti divinae, eam roboranti et servanti adscribi queat. Judaei et Ethnici, et in his imperatores Romani, orbis terrarum domini, crudelissimis

Series Romanorum pontificum.

Saeculo I.

S. PETRUS APOSTOLUS.

	annus evectionis.
Linus	67
Cletus	78
Clemens	91

Saeculo II.

Anacletus	101
Evaristus	112
Alexander I.	121
Sixtus I.	132
Telesphorus	142
Hyginus	154
Pius I.	158
Anicetus	167
Soter	175
Eleutherius	179
Victor I.	194

Saeculo III.

Zephyrinus	203
Calixtus I.	221
Urbanus I.	226
Pontianus	233
Anterus	237
Fabianus	238

Vacatura 17 mensium.

Cornelius	254
Lucius I.	255
Stephanus I.	257
Sixtus II.	260
Dionysius	261
Felix I.	272
Eutychianus	275
Cajus	283
Marcellinus	296

Saeculo IV.

Marcellus I.	304
Eusebius	309
Melchiades	311
Sylvester I.	314
Marcus	336
Julius I.	—
Liberius	352
Felix II.	355
Damasus I.	367
Siricius	385
Anastasius I.	398

Saeculo V.

Innocentius I.	402

Sergius II. . . 844
Leo IV. . . . 847
Benedictus III. . 855
Nicolaus I. . . 858
Hadrianus II. . . 867
Joannes VIII. . . 872
Martinus II. alias Marinus . . . 882
Hadrianus III. . 884
Stephanus V. . . 885
Formosus . . 891
Bonifacius VI. . 896
Stephanus VI. . . ••
Romanus . . . 897
Theodorus II. . 898
Joannes IX. . . ••
Benedictus IV. . 900

Saeculo X.

Leo V. . . . 903
Christophorus . . ••
Sergius III. . . 904
Anastasius III. . 911
Landus . . . 913
Joannes X. . . 914
Leo VI. . . . 928
Stephanus VII. . 929
Joannes XI. . . 931
Leo VII. . . 936
Stephanus VIII. . 939
Martinus III. alias Marinus II. . . 942
Agapetus II. . . 946
Joannes XII. . . 956
Leo VIII. . . 963
Benedictus V. . ••
Joannes XIII. . . 965
Benedictus VI. . 972
Donus II. . . 974
Benedictus VII. . 975
Joannes XIV. . 983
Bonifacius VII. jam post Benedictum VI. evectus, nunc reversus . . . . . ••
Joannes XV. . . 985
Joannes XVI. . . ••
Gregorius V. . . 996
Joannes XVII. . ••
Sylvester II. . . 999

Saeculo XI.

Joannes XVIII. . 1003
Joannes XIX. . . ••
Sergius IV. . . 1009
Benedictus VIII. . 1012
Joannes XX. . . 1024
Benedictus IX. . 1033
Gregorius VI. . . 1044
Clemens II. . . 1046
Damasus II. . . 1048
Leo IX. . . . 1049
Victor II. . . 1055
Stephanus IX. . . 1057
Nicolaus II. . . 1058
Alexander II. . . 1061
Gregorius VII. . 1073

Vacatura unius anni.

Victor III. . . 1086
Urbanus II. . . 1088
Paschalis II. . . 1099

Saeculo XII.

Gelasius II. . . 1118
Calixtus II. . . 1119
Honorius II. .. . 1124
Innocentius II. . 1130
Coelestinus II. . 1143
Lucius II. . . 1144
Eugenius III. . . 1145
Anastasius IV. . 1153
Hadrianus IV. . 1154
Alexander III. . 1159
Lucius III. . . 1181
Urbanus III. . . 1185
Gregorius VIII. . 1187
Clemens III. . . ..
Coelestinus III. . 1191
Innocentius III. . 1198

Saeculo XIII.

Honorius III. . . 1216
Gregorius IX. . 1227
Coelestinus IV. . 1241

Vacatura 20 mensium.

Innocentius IV. . 1243
Alexander IV. . 1254
Urbanus IV. . . 1261
Clemens IV. . . 1265

Vacatura 3 annorum.

Gregorius X. . . 1271
Innocentius V. . 1276
Hadrianus V. . . ..
Joannes XXI. . . ..
Nicolaus III. . . 1277
Martinus IV. . . 1281
Honorius IV. . . 1285

Vacatura 10 mensium.

Nicolaus IV. . . 1288

Vacatura 2 annorum et 3 mensium.

Coelestinus V. . 1294
Bonifacius VIII. . —

Saeculo XIV.

Benedictus XI. . 1303

Vacatura 11 mensium.

Clemens V. . . 1305

Vacatura 2 annorum.

Joannes XXII. . 1316
Benedictus XII. . 1334
Clemens VI. . . 1342
Innocentius VI. . 1352
Urbanus V. . . 1362
Gregorius XI. . 1370
Urbanus VI. . . 1378
Bonifacius IX. . 1389

Saeculo XV.

Innocentius VII. . 1404
Gregorius XII. . 1406
Alexander V. . . 1409
Joannes XXIII. . 1410

Vacatura 2 annorum.

Martinus V. . . 1417
Eugenius IV. . . 1431
Nicolaus V. . . 1447
Calixtus III. . . 1455
Pius II. . . . 1458
Paulus II. . . 1464
Sixtus IV. . . 1471
Innocentius VIII. . 1484
Alexander VI. . 1492

Saeculo XVI.

Pius III. . . . 1503
Julius II. . . —
Leo X. . . . 1513
Hadrianus VI. . 1522
Clemens VII. . . 1523
Paulus III. . . 1534
Julius III. . . 1550
Marcellus II. . . 1555
Paulus IV. . . ..
Pius IV. . . . 1559
Pius V. . . . 1566
Gregorius XIII. . 1572
Sixtus V. . . . 1585
Urbanus VII. . . 1590
Gregorius XIV. . —
Innocentius IX. . 1591
Clemens VIII. . 1592

Saeculo XVII.

Leo XI. . . . 1605
Paulus V. . . ..
Gregorius XV. . 1621
Urbanus VIII. . 1623
Innocentius X. . 1644
Alexander VII. . 1655
Clemens IX. . . 1667
Clemens X. . . 1670
Innocentius XI. . 1676
Alexander VIII. . 1689
Innocentius XII. . 1691
Clemens XI. . . 1700

Saeculo XVIII.

Innocentius XIII. . 1721
Benedictus XIII. . 1724
Clemens XII. . . 1730
Benedictus XIV. . 1740
Clemens XIII. . 1758
Clemens XIV. . . 1769
Pius VI. . . . 1174
Pius VII. . . . 1800

Saeculo XIX.

Leo XII. . . . 1823